BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
E
20
NAPOLI

S. 65. 15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES

IN

TITULUM DIGESTORUM

DE

JUSTITIA ET JURE,

ET

HISTORIAM POMPONII

DE


ORIGINE JURIS,

ET OMNIUM MAGISTRATUUM ET
SUCSESSIONE PRUDENTIUM;

AUCTORE

WILHELMO VANDER MUELEN,

Domino d'Oudbroukhuyſen, Niecop, Portengen &c. B. Mariæ
Decano, Supremæ Trajectinorum Curiæ Senatore, Aggerum,
qui inferiorem Leccæ partem coercent, Præfecto &c.



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud GULIELMUM VANDE WATER,
Academiæ Typographum.
M D CC XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

L'E C T O R I.

Quum nihil in rebus humanis conſtans vel fixum & perpetuum ſit, verum omnium rerum magnam eſſe varietatem & inconſtantiam rerum uſus doceat (fortunæ enim inſultus nihil diuturnum eſſe ſinit:) Ita quoque regnorum & Rerumpub. mirificam viciſſitudinem & incredibilem mutationem ab omni memoria viri doctrina & ingenio florentiſſimi literis nunquam intermorituris conſignarunt. Si quis enim tot populorum & gentium, quæ per univerſum terrarum orbem diſperſæ, in varios hominum cœtus coaluerunt, annales evolverit, inveniet tenuiſſima omnium Regnorum & Rerumpub. fuiſſe initia. Veriſimile enim eſt mundi primordio, quo gentes diſcretæ & Regna condita, imperii fines non admodum late propagatos fuiſſe. Interjecto vero tempore, fatis ita ducentibus, quarundam gentium imperium ab imis, & exiguis initiis profectum, ad eam creviſſe magnitudinem, ut tandem mole laboraret ſua. Ubi vero ad ſummum humanæ potentiæ faſtigium perveniſſent, brevi tam late in omnes terræ mariſque plagas diffuſi imperii vires adeo attritas & opes decoctas fuiſſe, ut vix ſibi ſufficerent adverſus vicinorum populorum exiguæ manus impetum ſeſe tueri. Donec tandem inteſtinis malis ac morbis decreſcentibus viribus, devictæ

Digitized by Google

& debellatæ, alieno imperio cedere neceſſe habuerint: ita ut veteris Reipub. & florentiſſimi imperii nequidem ullum veſtigium, nec imago reliqua permanſerit. Ubinam gentium, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum & Romanorum tam amplum & vaſtum imperium? ubinam tot ampliſſimæ civitates & Reſpub., quæ cum aliquando mirifice effloruiſſent, poſt certa temporum intervalla, ab hujus univerſi conditore & cuncta moderante Deo conſtituta, everſæ ſunt atque deletæ. Quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc floret fortuna, nunc ſeneſcit, nunc interit, ut inquit Vellejus Paterculus. Non ineleganter Boxhornius, de cauſa collapſi imperii Romani ſermonem habens, *Nimia, inquit, tandem moles, virtutibus velut imperii fulcris per luxum ignaviamque ſubductis, depreſſit faſtigium, & tanquam ingens arbor annis confecta vigoreque exhauſta, ſtetit tanti nominis dignitas, & paulatim exaruit. Suis igitur vexata morbis Reſpub. externis itidem vulneribus patuit.* Verum enimvero quamvis omnes rerum mutationes & viciſſitudines maxime a divina providentia & ſummi Numinis arbitrio proficiſci & pendere haud inficiari poſſit, quicunque Chriſtianorum ſacris initiatus; attamen cauſam proximam (ut Philoſophi loqui amant) ſi reſpiciamus, intus habemus quod ſæpe extra quærimus. Non equidem inficior regna & Reſpub. ab omni ævo ſuas habuiſſe certas periodos, quibus quaſi naſcuntur, & paulatim incrementa accipiunt, creſcunt, & veluti per gradus ad ſummum aſcendunt faſtigium, bonis legibus, moribus & inſtitu-

tis,

Digitized by Google

tis, tum pacis bellique artibus firmantur: tamen interim decreſcunt, conſeneſcunt, & tandem penitus concidunt. Hujus varietatis & mutationis, qua ſæpe obſtupeſcimus, cauſas ſi quis diligenter indagare velit, inveniet in intimis Regni & Reipub. viſceribus plerumque latere. Quemadmodum homo, donec corporis organa & inteſtina omniaque membra bene diſpoſita ſuum faciunt officium, ſecunda utitur valetudine, creſcit, adoleſcit, & robur accipit, & vix ſeneſcere ſe ſentit, quamvis fatalem illam horam, qua vita cum morte commutanda, haud evitare poſſit. Contra vero quoties ægre affecta, morbis aliiſque naturæ humanæ imbecillitatibus implicita ſunt, decreſcunt vires, debilitatur corpus, & ad interitum præceps ruit, donec tandem concidat. Sunt quidem hæ naturæ infirmitates, quas cum corpore fragili & caduco circumferimus, quamobrem quaſi cœlitus immiſſas, nullo humano conſilio evitandas credit vulgus; inſonti naturæ tribuens, cujus in nobismet ipſis plerumque hæret culpa. Quippe ſi attendamus vitæ ducendæ rationem, quam maxima pars hominum amplectitur, facile perſpiciemus illarum infirmitatum morborumque, quibuſcum confligantur mortales, cauſam non aliunde quam ab illis ipſis petendam. Cur miremur profundæ, intempeſtivæ & ſordidæ gulæ hominem pecorum inſtar ventri obedientem, omnibuſque vitiis deditum vitam tranſigentem, in graves quandoque morbos incidere, & cum variis ac infinitis corporis ægritudinibus luctari. Nec aliud fatum Regnorum atque Rerumpub. Quamdiu Reges,

L E C T O R I.

Principes, ſummique Magiſtratus, tum etiam cives atque ſubjecti, e quibus quaſi tot membris in unum idemque corpus coaluerunt, vitæ ducendæ rationem ad juſtitiæ, honeſtatis & æquitatis normam componunt, ad ſummum potentiæ, gloriæ & felicitatis gradum perveniunt, viget pax & concordia inter cives, qua ad ſalutem Reipub. tuendam, & Majeſtatis ſplendorem augendum nullum poteſt excogitari efficacius remedium. Ubi vero a juris tramite deflectunt., & ad turpem & abjectam vitæ degendæ rationem & deperditos mores cum Magiſtratus tum cives prolabuntur, & leges, quæ bonis & honeſtis civibus præmia & honores, & malis & turpem vitam agentibus ſecundum juſtitiæ diſtributivæ normam & regulam ſupplicia decernentes, ſilent, actum de Repub., & quaſi immedicabili morbo implicita cito pede ad interitum properat. Illuſtre nobis ob oculos ponamus exemplum Rempub. Romanam. Ab omni enim hominum memoria nullum floruit Regnum, nulla Reſpub. quæ latius per terrarum orbem circumtulit arma, & tot populos ac gentes ditioni ſuæ adjecit, ut merito terrarum gentiumque dominam deprædicarint rerum Romanarum ſcriptores. Sive enim imperii amplitudinem, ſive optimarum legum ſanctitatem, ſive juſtitiæ adminiſtrationem, quam publicis in rebus gerendis, in privatorum controverſiis in foro & pro tribunali dirimendis, ſumma religione intactam & illibatam ab omni corruptela tuebantur cum Magiſtratus tum judices: ſive morum innocentiam & vitæ probitatem, quam cives excolebant, conſideres; nullum Regnum,

nul-

nullam Rempub. majorem potentia & opibus, nec ſanctiorem morum integritate, nec bonis exemplis & æquis legibus ſapientiſſimiſque inſtitutis ditiorem invenies. Ab ipſa Reipub. infantia, cum cœperint & jacta fuerint imperii & urbis fundamenta, conditor Romulus nihil habuit antiquius, quam ut ſuis Rempub. fundaret legibus. Rationis lumine edoctus nullum Regnum, nullamque Rempub. imo nequidem exiguum hominum cœtum, nec parvam domum ſine juſtitia vel legibus, quæ civibus vivendi & agendi normam atque regulam præſcribunt, diu poſſe conſtare; juſtitia enim eſt quaſi fundamentum, quo ſocietatis civilis innititur fabrica. Ea quippe homines ad ſocietatem colendam natos in unum congregat, ab injuriis vindicat, amore conciliat, in pace retinet, virtutibus ornat, & ad ſocietatem tuendam efformat. *Docet enim juſtitia domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos & manus abſtinere*, ut inquit Cicero. Beata itaque ab omni parte Romana fuit Reſpub. & mirifice auctum imperium acceſſione tot gentium, nationumque, quæ Majeſtatem populi Romani venerabantur, donec in gubernanda Repub. domi foriſque Magiſtratus, & in privatis tractandis negotiis, contractibus celebrandis, commerciis exercendis, omnibuſque domeſticis in rebus peragendis, cives juſtitiæ & honeſtatis præceptis obtemperarint. Verum ubi a juris tramite, invalido legum auxilio, a virtutibus ad vitia deſcitum, labente paulatim diſciplina, mores quoque magis magiſque lapſi ſunt,

&

& cœperunt ire præcipites, in ſummum ſæpe diſcrimen vocata & varias quoque mutationes paſſa fuit Reſpub. Inde optimatum factiones, ſeditiones, bella inteſtina, quibus miſere concuſſa atque labefactata fuit. Hinc toties alius Reipub. ſtatus impoſitus, toties regiminis forma mutata. Tarquinii Superbi ultimi Regis importuna dominatio, & nefarium parricidii ſcelus, quo divina juxta atque humana jura fœdiſſime polluerat, conjunctum cum Sexti Tarquinii infando & violento caſtiſſimæ & ornatiſſimæ matronæ Collatini uxori Lucretiæ illato ſtupro, cauſa fuit, quod imperium Regibus abrogatum, in Brutum Collatinumque libertatis auctores & vindices mutato nomine & jure tranſlatum fuerit. Ex perpetuo enim annuum, ex ſingulari duplex placuit, ne ſcilicet, ut inquit Florus, poteſtas mora vel ſolitudine corrumperetur. Optima enim libertatis cuſtodia, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas. Diuturniora imperia, ut inquit Dio, multos ad faſtum atque ad tentandas res novas impellunt. Conſules itaque ambo deſignati ſub eo nomine imperium accipiunt. Verum nec hic rerum ſtatus diu placuit populo mobilique vulgo. Gratum quidem libertatis nomen, ſed inviſum tandem conſulare imperium, nullis cancellis circumſcriptum. Duos enim pro uno immoderata & infinita poteſtate acceptos dominos querebantur. Nec injuſta forte querelarum cauſa. Regis enim magis nomen quam imperium Regium e Repub. ſublatum videbatur. Summam poteſtatem, quæ ante penes Reges fuiſſet, Conſules ſibi vindicabant. Inani, ſed ſpecioſo tamen li-

ber-

Digitized by Google

bertatis tuendæ nomine, quo innocens plebs plerumque ineſcatur, quaſi ſub larva ſummam imperii libidinem prætexentes. Quam artem optime intelligunt, qui altam, ut vocari ſolet, politicam callent. E Repub. tamen viſum fuit, ut importuna illa Conſulum poteſtas, quæ atrocior prope quam regium imperium videbatur, minueretur. Placuit itaque legem de quinque viris creandis promulgare, qui leges de conſulari imperio conſcriberent. Quæ quidem ipſa lex acerrimas contentiones inter Conſules patriciosque & plebem excitavit. Senatus enim, ut inquit Livius, non ſecus pro imperio, quod ſemel tranſlatum in Conſules, retinendo, quam ſi pro aris & focis certandum, pugnabat. Donec tandem cum per totum ſexennium hæc controverſia protracta fuiſſet, Tribuni contenderint, ut crearentur legum latores, qui leges æquas civitati univerſæ conſcriberent, & hac ratione concordiæ conſuleretur, & certamina, quæ niſi cum ſummo Reipub. detrimento agitabantur, tollerentur. Rem non aſpernabantur patres, verum nequid imperio detraheretur, de quo magis quam de ſalute & tranquillitate Reipub. ſollicíti erant, neminem daturum leges, niſi ex patribus contendebant. Miſſi itaque legati, qui inclytas leges Solonis deſcriberent. Romam legatis reverſis, iterum mutatur forma civitatis, a conſulibus ad Decemviros, quemadmodum a regibus ante ad Conſules venerat, tranſlato imperio, ut tradit Livius. Creati itaque Decemviri in annum & quidem ſine provocatione, & nequis eo anno alius eſſet Magiſtratus. Adeoque

ſummum imperium & jura Majeſtatis penes Decemviros reſidebant, unius quidem anni tempore, verum nullis legibus circumſcriptum, quo nihil libertati tuendæ pernicioſius excogitari potuiſſet. Quippe ante ſub Conſulibus jus provocandi populo datum & intactum reſervatum, quam legem Cicero *patronam civitatis ac vindicem libertatis vocat*. Diverſi ſunt animi ſenſus eorum, qui affectant & ambiunt imperium, & eorum, qui eo jam potiti ſunt. In Decemvirorum numero erat Appius Claudius, penes eum quaſi principem decemviratus regimen erat totius Magiſtratus. Is hiſtrionis perſonam induens, ut ſibi plebis favorem conciliaret, quemadmodum ante fuerat immitis & effrænatus plebique infeſtus, hac dignitate ornatus & honoribus auctus, comitate & humanitate optime diſſimulabat, quod in pectore habebat clauſum. *Nam*, ut inquit Livius, *novum ſibi ingenium induerat, ut repente plebicola omniſque auræ popularis callidus captator evaderet, pro truci ſævoque inſectatore plebis.* Auſpice itaque & duce Appio ad demulcendam plebem ſumma moderatione & æquitate Magiſtratum gerebant. Eaque moderatione, æquitate & prompta juſtitiæ adminiſtratione perficiebant, ſuo interdum jure cedentes, quod populi adjicerent Majeſtati, ut alium Magiſtratum, nec aliam regiminis formam exoptaret civitas. Conſulum enim nomen non minus quam regum plebi exoſum erat. Idcirco ne viderentur juri, quod populo etiam ſub regibus delatum fuerat, aliquid derogare, verum contra id magis ampliare animum induxiſſe, conſcriptæ leges in publicum propoſi-

poſitæ, ut ab omnibus legi & examinari poſſent, atque libertatis jam adeptæ ſe cuſtodes vana oſtentatione profiterentur. Eumque in finem populum ad concionem advocarunt, *Et quod fauſtum felixque reipub. ipſis, liberisque eorum eſſet, ire & legere leges propoſitas juſſerunt, ſe quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus ſummis infimiſque jura æquaſſe: plus pollere multorum ingenia conſiliaque. Verſarent in animis ſecum unamquamque rem, agitarent deinde ſermonibus: atque in medium, quid in unaquaque re plus minuſve eſſet, conferrent. Eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium non juſſiſſe latas magis quam tuliſſe videri poſſent.* Honeſta quidem, verum ad fallendam & circumveniendam plebem optime compoſita oratio; utpote qua videbantur populum conſtituere & auctorem & latorem legum ferendarum. Olim enim ab ipſis Reipub. initiis Senatus ferebat legem, id eſt, concipiebat & ſuadebat legem, legis ferendæ auctor erat, populus Senatorio Magiſtratu interrogante jubebat & confirmabat, ut alibi annotavimus. Decemviri addendi vel detrahendi ſi quid plus minuſve in quaque re eſſet, poteſtatem populo deferendo, omne legis ferendæ & juris condendi arbitrium in populum conferre voluiſſe videbantur. Verum aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum habuiſſe docebit eventus. Quum ſatis viderentur leges correctæ, centuriatis comitiis decem tabb. leges perlatæ. Verum ne opus, quod ipſis demandatum, perlatis legibus peractum videretur, & idcirco officio jam functi, imperio ſe abdicare finito tempo-

 re

pore coacti eſſent, ſpargebatur rumor, cujus procul dubio ipſi Decemviri, ſive potius eorum princeps Appius Claudius auctor & inventor, qui nimis avidus imperii non tam promptus erat in eo deponendo quam fuerat in accipiendo, duas deeſſe tabulas, perfectum ut foret juris omne corpus, in alterum etiam annum prorogare imperium placuit plebi, quæ jam irretita technis ac dolis, & ſimulàta ac fucata moderatione & humanitate, quam præ ſe ferebat vaferrimus & callidus impoſtor & veterator Appius Claudius, iterum in ſequentem annum favore plebis refectus eſt, bonis civibus omnibus reclamantibus; quo munitus, tantam ſibi vindicavit auctoritatem, ut ſuo pro arbitrio, quos voluit, collegas ſibi renunciaverit, non optimos & honoratiſſimos cives, verum qui ſibi forent addicti, morum nec integritatis habita ratione: pares enim cum paribus facillime congregantur & ſimile gaudet ſimili. *Ille finis* (inquit Livius) *Appio alienæ perſonæ ferendæ fuit, ſuoque jam ingenio vivere cœpit.* Imbuit itaque arcanis & ſceleratis conſiliis collegas, & in ſuos mores formavit univerſum collegium. Primumque, ut tradit Dionyſius, inter ſe convenerunt & conjurarunt, ne factum unius ceteri improbarent; neque Magiſtratu abirent, ſed perpetuam ſibi vindicarent poteſtatem vi atque terrore, ſi nulla alia imperii retinendi ſupereſſet ratio. Dominandi enim libido omnia divina & humana jura negligit. Poſtquam vero duas deinde tabulas ad prioris anni tabulas adjeciſſent, adeoque duodecim hiſce tabulis ordinatâ jam totâ juſtitiâ, eo Magiſtratu

Rei-

Reipub. diutius non erat opus, exſpectabat populus, ut comitia conſulibus creandis edicerentur, verum voto non reſpondebat eventus. Inſequenti enim anno retinere contra leges traditos faſces cupientes, potentia & imperio ſuo fœde ad impotentiam abutentes, plebis in ſe provocarunt invidiam, quæ cum in ſeditionem prorupiſſet, componi niſi abrogato decemviratu non potuit. Verum tantum valuit in illis regnandi dira cupido, ut nec ante abierint Magiſtratu, quam variis & horrendis ſceleribus contaminati, ſuperis & mortalibus inviſi, coacti fuerint faſces deponere & magiſtratu ſe abdicare. Nec mirum, decus enim & pudorem, juſtitiam, honeſtatem & legum reverentiam, cuncta viliora habet imperii libido. In ſummum diſcrimen fuiſſet adducta reſpub. atque libertas, quam in præſenti reipub. ſtatu ſatis aſſertam populus opinionis errore ſibi perſuaſerat, in perpetuam regum & conſulum imperio longe intolerabiliorem verſa fuiſſet poteſtatem, niſi cum graviſſimo civitatis periculo vi & armis decemviri fuiſſent depulſi. Decemvirorum mores & imperii tractandi rationem paulo altius repetendam ex auctoribus fide dignis operæ pretium duximus, ut nobis poſſet eſſe documento, quanto in errore verſantur, qui ſibi perſuadent, & veluti fallere neſciam veritatem in vulgus diſſeminant, nullam regiminis formam magis tuendæ libertati & augendæ reipub. convenire quam eam, in qua plures vel omnes cives ſummæ rei præſunt, & imperii gubernacula tractant, quaſi non in una eademque ſede morari poſſent principatus & libertas. Ve-

rum egregie falluntur. Nunquam ſub bono & optimæ indolis principe, qui ſecundum leges imperii, quibus fundatum & populi libertati ſatis conſultum, habenas moderatur, res diverſæ principatus & libertas. Neminem fugere poteſt, qui hiſtoriis & veterum monumentis perlegendis dedit operam, plurima optimorum principum in iis inveniri exempla, qui juris religioſi principatum legibus ſubmittentes, libertatis cuſtodes & vindices ſeſe profitebantur. Ut de aliis nunc non dicam, & extra Imperii Romani limites evager, teſtatur Tacitus in vita Agricolæ, Imperatorem Nervam Coccejum, & refert Plinius in ſuo Panegyrico optimum principem & Imperatorem Trajanum principatum & libertatem conjunxiſſe & miſcuiſſe. Contra vero in optimatum Imperio & Democratico Reipub. ſtatu libertatem ſæpius ad Tyrannidem degeneraſſe, in quo nec rerum dominia certa, nec vita & fama in tuto collocata, perturbatis legibus & corruptis civium moribus, annales teſtantur. Quot olim in repub. Romana Decemviri, tot fuerunt Tyranni. Plebis autem impotentiſſimæ poteſtatem maximam Tyrannidem appellat M. Tullius. Quid enim magis Tyrannidem redolet, quam bonos & optimos cives, viros honoratiſſimos, nullis ſceleribus vel flagitiis contaminatos, verum rebus præclare geſtis conſpicuos exilio damnare. Quemadmodum olim Coriolani, Scipiones, Cicerones, Rutilii, Metelli in exilium ejecti. Verres autem divinis & humanis legibus fœdiſſime proculcatis, repetundarum & peculatus omniumque ſordium ac corruptelarum reus

reus & judicio publico damnatus graviſſimam pœnam pendere viſus eſt, quod urbe exceſſit, uti notavit Bodinus. Nec aliter tractarunt Athenienſes, quorum Rempub. Xenophon popularium civitatum clariſſimam fuiſſe exiſtimat, Hermodorum, Ariſtidem Juſtum, Themiſtoclem, Thycididem, integritate, juſtitia omnibuſque egregiis virtutibus, & pacis bellique artibus præſtantes viros, quos Athenarum urbe expulerunt. Miltiadem vero carceribus, Socratem veneno enecarunt. Reges vel Principes, qui leges ſubvertunt, ut libertatem populi in miſeram & duram ſervitutem mutarent, non Principum, ſed Tyrannorum nomine appellandi, quibus impune non paremus, & contra quos divina & humana jura civibus facultatem tribuunt ſuam promere defenſionem. Hoc ſenſu accipiendum Trajani dictum, cum pugionem Præfecto Prætorio traderet: *Hoc pro me utere, ſi recte impero; ſi male, contra me.* Nulla enim nobis cum Tyrannis ſocietas eſt. Eamque ſæpius cives ſuſcepiſſe teſtantur tot exempla, quæ in moratiorum gentium annalibus occurrunt. *Regimur quidem a te & ſubjecti tibi, ſed quemadmodum legibus ſumus,* inquit Plinius in Panegyrico Trajano dicto. Ea ſubjectio nihil diminuit de jure libertatis. Verum peſſimus ſtatus popularis, in quo populus ſive plebs turbatis & infirmatis bonis & æquis legibus tyrannidem affectare cœpit, quam nimia libertas, id eſt, effrænis licentia parit. Contra quam fruſtra boni & honeſti cives ſui ſuſcipiunt defenſionem; propterea quod bonorum & fortium virorum in eo Reipub. ſtatu perquam exigua,

gua, rari quippe boni, improborum autem & facinoroſorum infinita multitudo. Quippe ut in brevi quaſi tabella populare imperium depingit Xenophon, plebs id unum propoſitum habet, ut in impudentiſſimum & flagitioſiſſimum quemque ſummos honores & imperia conferat, alioqui peſſime ſibi conſuleret, ſi virtute & animi ornamentis præſtantes cives ad Rempub. gerendam admoveret. Ab hiſce imperio ac ſumma poteſtate exuta profligaretur; improbos ac impudentes tuetur ac fovet, hisque omnibus, qui ſibi blandiuntur, aures præbet ac fidem habet, integritate vero & juſtitia claros odit ac execratur. Propterea, inquit, Rempub. Athenienſium probare non poſſum, quod ſtatum omnium deterrimum & peſſimum ſequantur: eos tamen laudo, quod eum ſtatum amplexi omni ope, cura & induſtria conſervare ac tueri nituntur, quodque integritate & juſtitia præſtantes ab honoribus & imperiis arcent & repellunt; quod proſcriptione & exilio fatigant, quod facinoroſos & ſceleratos ſumma benevolentia proſequuntur! quoniam, inquit, vitia, quæ tibi & bonis omnibus uſque adeo diſplicent, populare imperium fovent ac tuentur. Juſtitiam vero plebs negligit & adverſatur, ut potentium ac nobilium domos evertat ac diripiat, ſceleratorum, quos honoribus afficiunt, ac ad Rempub. gubernandam promovent, opibus & conſiliis elata. Ex quo fit, inquit, ut popularis illa civitas perditorum ac flagitioſorum hominum ſit ſentina, qui plebem adverſus innocentes & omni culpa vacuos honeſtos & bonos cives armare & inflammare ſolent. Quis non ejuſmodi Reipub. ſtatum du-

duriſſima ſervitute pejorem exiſtimabit. Vera itaque aureaque libertas, maxime floret & in tuto collocata eſt, ubi juſtitia, virtutum omnium regina, qua nullum civitates firmius vel ſtabilius habent fundamentum, & bonæ leges imperii moderandi ſola atque unica ratio eſt. Quocunque in ſtatu ſive monarchico, ſive ariſtocratico, ſive Democratico, ſive ex hiſce tribus compoſito ſatis liber populus vitam tranſigit, quando legum vis & reverentia, intacta & illibata conſervatur, virtutibus præmia, vitiis autem ſua decernantur ſupplicia. Quippe, ut inquit Cicero, *Nec domus, nec Reſpub. ſtare poteſt, ſi in ea nec recte factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis.* In quo nemini ad honores & magiſtratum capeſſendum patet aditus, niſi vitæ integris ſceleriſque puris, & honeſto loco natis, virtute, ingenio florentiſſimis & Reipub. adminiſtrandæ capacibus civibus, nulla ratione habita vel amicitiæ, vel conſanguinitatis affinitatisque, & ſi quæ aliæ id genus magiſtratus & honores conferendi, propriæ plerumque autoritatis tuendæ vel augendæ contemplatione politicæ rationes. Quæ procul habendæ ab eo, qui Reipub. & libertatis ſe vindicem & cuſtodem profitetur. Regiminis forma nunquam mala, ſi optimi, virtute, ingenio, morumque innocentia & vitæ probitate præſtantes cives ad Rempub. gerendam admoveantur. Tota enim felicitas Reipub. collocata in prudentia, ſapientia, probitate & integritate gubernatorum. Quales ſunt Præſides, tales eſſe Reſpub. ſentio, ait Xenophon. Nam, ut inquit Cicero de *LL. Licet videre, ſi velis replicare memoriam*

*** tem-

temporum & annalium, qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe, quæcunque mutatio morum in principibus extitit, eandem in populo ſecutam. Perniciofius merentur de Repub. vitioſi principes & magiſtratus, qui ſummæ rerum præſunt, quod non ſolum concipiunt ipſi vitia, ſed ea infundunt in civitatem, neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo quam peccato nocent, ut in corporibus, ſic in imperio graviſſimus eſt morbus, qui a capite diffunditur, ut inquit Plinius. *Ut cupiditatibus Principum & vitiis infici ſolet tota civitas, ſic emendari & corrigi continentia* ait Cicero. Facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet, cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,

ut canit Claudianus *ad Stilicon. Principum diſciplinam capit etiam vulgus*, ut inquit Plinius *Panegyr. cap.* 46. Quamobrem mundi primordio, cum hominum cœtus celebrari cœperunt, juſtitiæ fruendæ cauſa bene moratos, ſapientia, virtute præditos Reges apud omnes fere gentes conſtitutos veterum teſtantur monumenta. Idque in Romana Repub. maxime valuiſſe, quoad ei regalis poteſtas præfuit, teſtatur Cicero 3. *de LL.* Et donec ſecundum leges, juſtitiam & æquitatem Reſpub. adminiſtrata fuit, nullum magis floruit regnum. Verum affluentia Regni & licentia, ut rerum Romanarum ſcriptores teſtantur, Reges inſoleſcere & a juris tramite

te deflectentes tyrannidem affectare cœperunt. Regiumque imperium, quod initio ad conſervandam libertatem & augendam Rempub., utilitatem & ſalutem civium promovendam moderati fuerant, in ſuperbiam & importunam dominationem converterunt. Hinc Ariſtocratia inſtituta, in optimates tranſlato imperio. Qui a bono juſto & moderato quoque imperio, ut ante Reges, paulatim degenerarunt, in civium perniciem Imperio abutentes, non tolerantur, verum depreſſi atque depulſi. Quo contigit, ut populus neque uni, neque optimatibus amplius fidere auſus, de trahenda ad ſe rerum ſumma cogitare cœperit. Unde acerrimæ contentiones inter patres plebemque exortæ. Et licet Ariſtocratiam funditus tollere nec abrogare potuerit, preſſit tamen ad tempus, ita ut aliquoties ſtatus Democraticus prævaluerit. Qui & ſuo maxime laboravit defectu. Plebs enim otio aſſueta & alienas opes reſpiciens, ſordidis largitionibus corrupta omnia habebat venalia. Quamobrem Plato democratiam nundinas populares appellavit, in quibus omnia venalia proſtant. Tradit Plutarchus M. Marium modios argenti plenos in Comitium diribitores ferre juſſiſſe, ut ſuffragia plebis lucro inhiantis coëmeret, quemadmodum idem Cnejum Pompejum feciſſe legimus.

Hinc Juvenalis

- - - - - *Romæ omnia cum pretio.*

Præterquam quod ſeditionibus, cædibus, noviſque a-

 gro-

grorum diviſionibus eo uſque ſævit, donec Reſpub. tot ſeditionibus & bellis inteſtinis adeo concuſſa ad eas fuerit anguſtias redacta, ut ſalva eſſe non poſſet, niſi iterum in unum omni poteſtate collata. Unde Tacitus *lib.* 1. *Hiſtor.* tradit, *in unum poteſtatem conferri, pacis interfuiſſe.* Et 1. *annal. Auguſtum cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub imperium accepiſſe.* Mala priorum temporum & vitioſa corruptæ Reipub. adminiſtratio deſiderium mutationis, adeoque amorem novi ſtatus excitaverant, effecerantque, ut minime recuſarent uni parere, qui ex plurium regimine jam tot triſtia ſenſerant, comparantes ergo inter ſe imperiorum formas, judicabant, ex mixto illo ſtatu, ubi partim penes optimates, partim penes populum eſt rerum ſumma, non parum incommodi parentibus metuendum eſſe, idque rerum uſu ſibi jam compertum, ut inquit Bœclerus *comment. in* 1. *Annal. Tacit.* Hinc tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent, etiam cum libertatis jactura, quæ invalido legum auxilio, nullam poterat præſtare ſecuritatem. Ex hiſce quæ de Romana Repub. diſputavimus, facile perſpicimus, qualemcunque Reipub. ſtatum imponere volumus, nullum excogitari vel fingi poſſe, quin ſuas habeat viciſſitudines, ſuaque incommoda, & ſuo defectu laborare, optimus ille qui minimis urgetur: natura enim humana ita comparata eſt, ut virtutem, juſtitiam, honeſtatem non conſtanter colat, verum facile in ſequiora degeneret, eaque morum mutatio ſtatum mutat. Optime Saluſtius. *Quod ſi regum atque Impera-*

ra-

ratorum virtus in pace ita ut in bello valeret æquabilius atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent, *neque aliud alio ferri*, *neque mutari atque miſceri omnia cerneres.* Felix tamen ter & amplius iſte Reipub. ſtatus, in quo juſtitia & bonæ leges vigent, & ad earundem normam & regulam, cum principes & ſummi magiſtratus, tum cives vivendi & agendi rationem componere neceſſe habent, ſtatuendo & imponendo pœnas, nulla habita ratione vel conditionis vel dignitatis, quas meruëre pati earundem violatores, præmiis vero & honoribus afficiendo utiles Reipub. cives. Quippe, ut ait Livius, *nemini quantumvis egregio viro*, *licere debet impune leges violare*, *neque enim bene facta ſceleribus ſunt compenſanda.* Hac potiſſimum ratione præſentem reipub. ſtatum bonis legibus fundatum tuemur & confirmatum reddere poſſumus, hoc unicum libertatis præſidium, quæ bono civi adeo chara eſt, ut nequidem pro ea conſervanda vitam ipſam profundere recuſaret. Quippe ut inquit Cicero, *Hoc vinculum eſt ejus dignitatis qua fruimur in repub. hoc fundamentum libertatis*, *hic fons æquitatis*, *mens & animus & conſilium & ſententia civitatis poſita eſt in legibus. Ut corpora noſtra ſine mente*, *ſic civitas ſine legibus*, *ſuis partibus*, *ut nervis & ſanguine & membris uti non poteſt.* Deploranda ſane & reipub. pernicioſa eſſet libertas, ſi impune cuique facere liceret quod vellet; hac nimia & intempeſtiva libertate libertas non periret duntaxat, verum rempubl. in latronum & deperditorum hominum officinam converteret. Quemadmodum bonæ leges ſunt nervus

& fundamentum, quo innititur reſpub., ita injuſtitia & effrenis licentia, ſcil. libertas nullis legum cancellis circumſcripta eſt fluctus reipub. & tempeſtas periculoſa. Quid poteſt eſſe melius, ut inquit Caſſiodorus, quam homines in bonis legibus & æqua juſtitiæ adminiſtratione confidere. Jura publica certiſſima ſunt vitæ humanæ ſolatia, infirmorum auxilia, & potentium fræna, quæ ſecuritatem cuique præſtant. Huc pertinet illud Natal. Comitis *Hiſtor. lib. 7.* ubi Syndici connivent ad Magiſtratuum errores, neque ratio diligenter redditur, an res ad legum dictamen ſint tranſactæ, ibi inanes ſunt & oppreſſæ leges, univerſamque vim reipub. langueſcere neceſſe eſt. Cum lex ſit unicum fundamentum rerumpub. & libertatis præſidium. In qua civitate leges vi ſua deſtituuntur, in eam ſeditio bellumque ſolet ingredi, ut inquit Dionyſius. Quod toties experta Romana reſpub. Præſtitiſſent tutam rempub. leges, ſi ipſæ valuiſſent, ſcil. ſi ſecundum legum dictamen præmiorum & pœnarum juſta diſtributio fuiſſet obſervata. Lex enim per ſe non efficit bonos in Repub. Principes & Magiſtratus aut cives, verum æqua juris diſtributio, quæ conſiſtit in applicando & exequendo quod legibus ſancitum & conſtitutum, ſive in pœnis imponendis ſive præmiis diſtribuendis. In libero enim ſtatu pluriumve Imperio vis & anima & robur Imperii potiſſimum conſiſtit in legibus. Hiſce ſalvis ſatis munitus eſt Reipub. ſtatus adverſus improborum & perditorum hominum pravas machinationes, qui eum convellere atque turbare meditantur. Legibus autem infirma-

matis vel turbatis vi, ambitu, pecunia, novis rebus atque mutationibus & ſeditionibus, factionibus & bellis inteſtinis cauſa & porta aperitur. Juſtitia enim & boni ac æqui juris diſtributio eſt quaſi coagulum & vinculum ſocietatis civilis. Juſtitia ſola Rempub. & ſocietatem, quæ homini cum homine intercedit, tuetur ac ſervat, ab ea pendet pax & concordia inter cives, ſine qua nullum Regnum nulla floret Reſpub. nec floruit unquam. Hæc felicitas Regnorum domi foriſque. Quis enim neſcit per eam expelli flagitia, virtutes promoveri, atque hac ratione ſecuritatem tranquillitatemque ubique regnare. Quare Plutarchus, nihil tam Regi ſummoque imperanti & Magiſtratui convenire ait, quam juſtitiam colere & adminiſtrare. Quibus in locis colitur juſtitia, ibi non modo Imperium conſervari, ſed & urbes vigere & populos florere inquit Heſiodus, quamobrem DICEN ſive Juſtitiam Jovi aſſidere fingit, ut eo doceret, ad Imperium ſtabiliendum & augendum & conſervandum non modo juſtitia potius nitendum quam armis & viribus, ſed eam omnino eſſe neceſſariam. Nulla enim pars reipub. ſalva eſſe poteſt ſine juſtitia & legum obſervantia & autoritate, quæ inſontibus præſidio & noxiis terrori eſſe debent. Quamobrem boni eſſe viri, inquit Hecuba apud Euripidem, *juſtitiæ inſervire & malos punire ubique ſemper.* Imo vero tantam eſſe vim juſtitiæ prædicat Homerus *Odyſſ. lib.* 19.

Ut

Digitized by Google

Ut cum Rex bonus imperat & metuens divorum
In multis populis & fortibus: ille quoque idem
Juſtitiam colit: obſerves & hunc ſola terræ
Fructus ferre ſuos, & fruges fundere, itemque
Fætificare armenta, & piſces exundare:
Nempe ex juſtitia. Populiſque bene atque beate eſt.

Verum ſecundum Senecam in Tragædia Thyeſtis

Ubi non eſt pudor, nec cura juris,
Sanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt.

IN

VIRI ILLVSTRIS

GVLIELMI MUELENI

DOMINI OVDT-BROVCKHVYS. ETC.

COMMENTARIOS

DE

JVSTITIA ET JVRE,

AC DE

ORIGINE JVRIS

ET OMNIVM MAGISTRATVVM ET SVCCESSIONE PRVDENTIVM.

Juſtitia officii moderatrix, qua ſine non eſt
Vlla quies rerum, ullaque pax animi.
Optima dux vitae, fidei ſoror atque pudoris,
Et legum genitrix, quae facis una bonos.
Cujus vis etiam, nullo nam tanta negante eſt,
Latronum injuſtas firmat & auget opes.
Digna deo virtus, a qua ceu fonte profectum
Manat virtutum latius omne genus.
Virtutum regina ſophis, dea facta poetis:
Seu Themis arbitrium de Jove juris habes,
Ad vada Cephiſi quae quondam oracla tenebas
Deucalioneis inclyta temporibus;
Signiferove micas pretio pietatis in orbe
Erigone; aut tribuis cuique ſuum Nemeſis;
Sive prius, quam te facinus mortale fugavit,
Aſtraea antiquis es celebrata piis;
Sive, quod inventrix legum perhibere fuiſſe,
Iſis adorata es, ſeu venerata Ceres:

**** Nam-

Digitized by Google

Namque vetuſtatis priſcae monumenta loquuntur
Iſin legiferam, legiferam Cererem.
Seu te condigne Chryſippus idoneus auctor
Depinxit verbis os faciemque tuam;
Qualis rhetoribus te deſcribentibus olim,
In veterum pictis qualis eras tabulis.
Sive aliis alii te formavere figuris
Apte ad naturam pluſve minuſve tuam:
Nam ſimulacra tuae fecerunt nuntia formae
Non uno artificum ſaecla priora modo.
Diva potens legum, quoſcumque ès cenſa parentes,
A priſcis quoquo nomine numen habes.
Culta quibuſquibus es populis, ubicumque locorum,
Quoquo gaviſa es more modoque coli.
Quoquo more modoque venis rituque colenda,
Quaqua laetaris religione coli.
Dum te, nec pudor eſt, minus & minus haec colit aetas,
Et tantum non te nomen inane putat:
(Quis nimis inverſos poterit convertere mores?
Quippe ubi ſub pedibus juſque piumque jacet;
Publica luxuriam delamentatur egeſtas;
Praemia virtutis poſſidet ambitio;
Tot fraudum apparent facies; & lege ſolutus
Omnia permiſcet fanda, nefanda furor.)
O bene, quod coleris Muelenae mentis in aede!
Haec tibi jam pridem rite dicata fuit.
Hanc tibi ſacravit primo Muelenus ab aevo.
Hic idem partes ſacrificantis agit:
Sive gravis judex aequo ſecernat iniquum,
Aut multet poena vindice flagitium;
Seu fidus recti cuſtos & amator honeſti,
Quod verum atque decens, ſervet in officiis; Si-

Sive viro ſcriptis quaeratur juris origo,
Sive ſit in cura nominis ille tui;
Sive magiſtratus dominae percenſeat urbis
Accepti inſignes partibus imperii,
Et divina viros humanaque jura profeſſos
Lumina Romani nobiliora fori.
Vivet Ariſtides a te cognomen adeptus,
Te propter patria pulſus in exilium.
Cultorum vitant Libitinam ſcripta tuorum:
Clarus poſtgenitis & Muelenus erit.
Hactenus haec: at tu, mihi ſalve utcumque vocanti,
Juſtitia; utque illi, ſic mihi, ſancta, fave.
Non tibi tus ſuffimen erit, quo ſuffiit Orpheus,
Quum rudibus populis carmina ſacra daret;
Ille tui cultus auctor clariſſimus Orpheus:
Hoc pro ture tibi carmen habere velis.
Hoc tibi carmen amantis habe; ſit, diva, licebit
Non adeo ingenii vena benigna mei.
Reſpice conantem meritas tibi dicere laudes,
Et, cujus conſtant tot benefacta, viro;
Cujus amicitia Hiſpano mihi carior auro eſt,
Ac pretioſorum deliciis lapidum;
Cujus amicitiae nec Eoi munera ponti
Anteferam, quamvis magna, nec Heſperi;
Cujus amicitiam tria per quinquennia cultam
Non mihi Lethaeis auferet Orcus aquis.
At quo materia ferar uberiore canendi?
Hos tibi ſacratos ſume libens elegos.
Sic bene morati reges te ſemper honorent,
Quos homines cauſſa conſtituere tua.
Sic importunis ultrix timeare tyrannis,
Subjiciunt pedibus qui tua juſſa ſuis.

Sic

Digitized by Google

Sic per te populi compoſta pace quieſcant;
Bellaque, ſi quando, non niſi juſta gerant.
Sic tua veridici fundant oracla miniſtri,
Pythia ducantur poſteriora tuis.
Serviat omne forum tibi ſemper & omne tribunal,
Serviat officio curia quaeque tuo.
Sic fora vulturiis ſint interdicta togatis,
Sint a pragmaticis omnia tuta lupis.
Nec bona cauſſa aliquo mala fiat agente patrono,
Nec mala cauſſa aliquo fiat agente bona.
Sic ſubeat per te ſpinoſa calumnia multam,
Nec careat turpi frauſque doluſque nota.
Sic te Romanae tremat impia turba Lavernae,
Sic domus antiqui te tremat Autolyci.
Deteſtata bonis ſic ſacra Cotyttia ſemper
Horrueris taetris foeda libidinibus.
Depoſita ſic te gentes feritate ſequantur,
Quas procul a nobis barbarus orbis habet.
Sic exuta peregrinos haec natio mores
Juſtificae mentis gaudia percipiat;
Gaudia, quae nequeunt unquam ſentire profani;
Gaudia caelitibus proxima laetitiis.
Sic aeterna piis ob vitam puriter actam,
Caelo quippe beas, tempora pacis eant;
Tempora pacis eant optata ſede fruendae;
Perpetua aeternae tempora pacis eant.

FRANCISCVS HESSELIVS.

EXER-

EXERCITATIONES
IN
TITULUM DIGESTORUM
DE
JUSTITIA ET JURE.

Ad Inſcriptionem Tituli I.

Nullus hominum cœtus, nullaque civitas vel Reſpublica diu conſiſtere poteſt, niſi ſuis ſit fundata legibus, quæ civibus atque ſubjectis eam vivendi agendique normam atque regulam præſcribunt, quæ cum juſtitia atque honeſtate convenit: juſtitia enim arctiſſimum ſocietatis vinculum eſt, utpote quæ tot capita tot ſenſus conglutinat, atque ad unum eundemque finem obtinendum conſpirare atque collimare efficit; finis eſt conſervatio totius ſocietatis, & proinde

A ſingu-

ſingulorum membrorum, e quibus compoſita & in unum quaſi corpus coalita eſt. Ejuſmodi vero concordia atque ſingulorum membrorum inter ſeſe harmonia baſis ac fundamentum, cui innititur totius civitatis fabrica, vix poſſet haberi, niſi civium actiones ita dirigantur, ut cum eo, quod juſtum & rectum atque honeſtum eſt, conveniant: quippe quicquid agitur, quicquid geritur, & proficiſcitur ab homine, quocunque in ſtatu collocatus vitam agit, oportet, ut cum juſtitia & honeſtate conſentiat; nulla enim vitæ pars neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare juſtitia vel honeſtate poteſt; illa enim cuique debet eſſe agendi & vitam tranſigendi ratio, ea debet dare formam tum publicis, tum privatis negotiis; in ea colenda pax & concordia civium, & proinde Reipublicæ ſalus & conſervatio ſita eſt, in negligenda diſcordia & pariter interitus cujuſque civitatis: concordia enim hominem conciliat homini, & proinde fovet ac tuetur ſalutem Reipub. diſcordia diſtrahit animos, & civitatem ad interitum properare efficit. Quamobrem Principi vel magiſtratui, qui ſummæ rerum præeſt, incumbit ſumma ope niti, ne Reſpub. quid detrimenti capiat, adeoque ut vigeat juſtitia, ſcil. ut tum in publicis tum privatis tractandis negotiis obſervetur juſtitia, juxta ejus normam ac regulam omnia peragantur, ac gerantur; quæ vel magiſtratus ipſi, vel cives ac ſubjecti agunt, ſuſcipiuntque; juſtitia debet eſſe moderatrix omnium actionum, quæ ab homine proficiſcuntur. Finis enim juſtitiæ eſt, ut honeſte vitam quiſque tranſigat, alterum non lædat, ſuum cuique tribuat; hoc imperat, hoc ſuadet, & dictat. Hæc autem præcepta ſi a ſingulis civitatis membris obſerventur, nullæ diſcordiæ vel lites, nullæ inimicitiæ, vel odia civium animos diſtrahent, verum pax & concordia florebit, quæ communem ſalutem tuebitur, a qua ſingulorum membrorum conſervatio pendet. Verum cum plerique mortales natura proni ad patranda quæcunque flagitia, & nefanda facinora, tum etiam omnis generis vitiis contaminati, ac dediti, haud ſponte faciant, quod dictante recta ratione faciendum ipſis incumbit, & proinde a juſtitiæ tramite ſæpius deflectant, neceſ-

neceſſum fuit leges figere, quæ cuique civitatis membro regulam & normam agendi, & vitæ traducendæ, & cum ejuſdem ſocietatis membris vivendi rationem non duntaxat præſcriberent, verum invitos formidine pœnæ ad illam amplectendam, & ſequendam impellerent, invitarentque; ſic Deus populo ſuo, ſic Solon, Lycurgus, ſic Romanorum aliique reges ac principes ſummique magiſtratus, leges tulerunt, ac promulgarunt, quæ pro agendi & vivendi regula & norma civibus ſuis eſſent, ne a tramite juſtitiæ deflecterent, ac deviarent; deflexos autem non metu pœnæ duntaxat, ſed etiam eas ipſis infligendo ad juſtitiam colendam revocarent; oderunt enim peccare boni virtutis amore, mali formidine pœnæ. Quamobrem lex definitur regula, & humanorum actuum menſura, quæ movet ad recte agendum; vel regula obligans ad id, quod rectum eſt. Objectum enim legis eſſe debet τὸ δίκαιον, id eſt *juſtum, bonum & rectum*, quod cuique præſtandum tam Deo quam hominibus. Docuit hoc Servator noſter, cum, quid per legem liceret, vel non liceret, interrogatus, reſpondit *Matt.* XXII. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Quamobrem Græci recte legem dixerunt νόμον ἀπὸ τοῦ νέμειν, a *tribuendo*, quia hoc docere & imperare debet, ut cuique quod ſuum eſt, detur & tribuatur. Hoc ſi ſponte facerent homines, atque ita non duntaxat quod dictat naturalis ratio in foro Poli, ſed etiam jus civile in foro Soli imperat, in ſumma tranquillitate & concordia vita beate tranſigeretur, uti in aurea ætate vixiſſe homines canunt Pœtæ, qui [illegible]

-------- vindice nullo,
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebant.

Quamobrem nec verba minacia fixo ære legebantur, nec pœna metuque ad colendam juſtitiam impellere invitos opus erat. Verum poſtquam fugere pudor, verumque fideſque, & fraudes ac doli, inſidiæ & amor ſceleratus habendi, aliaque innumera vitia invaſerunt mortalium pectora, tot malis coërcendis remedia adhibere neceſſum fuit; quamobrem leges fi-

 gere

gere atque refigere humani generis ac cujuſque hominum cœtus, ſine quo nec ſatis commode nec beate vivere poſſumus, conſervatione exigente, docuit mortale genus. Ita ut nulla gens vel natio adeo barbara, quin ſuas habeat leges, quæ hominum voluntates & actiones ita moderantur, ut cum juſtitia conveniant; vel paucis exceptis, quæ adeo extra mores projectæ ſunt, ut nec Deos ullos, nec proinde juſtitiæ nomen venerentur. Quoniam autem juſtitia, ſive illud, quod juſtum, rectum ac honeſtum eſt, ſit legis objectum, Imperator noſter, poſtquam animum induxiſſet Romanorum leges, quæ Edicta, Reſponſa, Senatuſconſulta, Plebiſcita continent, & vim legis obtinent, in unum corpus colligere atque in unam eandemque harmoniam & conſonantiam redigere, incipit a legis objecto; & proinde primi Libri primus titulus quaſi in fronte gerit inſcriptionem de JUSTITIA AC JURE. Quæ omnis juris tum ſcripti, tum uſu & conſuetudine introducti finis eſt, ut ea in omnibus negotiis, commerciis, contractibus, pactis, ſtipulationibus ſit forma & regula, juxta quam perfici debent. Quamvis in hoc titulo etiam de jure non ſcripto, tum naturali, tum jure gentium ſive publico agatur, principaliter tamen jus Romanum continet hoc juris corpus, tum publicum, tum privatum, a jure tamen naturæ vel gentium non omnino recedens, nec per omnia ei ſerviens, ut inquit Ulpianus *l. 6. ff. h. tit.* Naturalis enim æquitas & rationis rectæ dictamen; baſis & fundamentum, imo anima juris poſitivi eſſe debet. Unde jus dicitur ars æqui & boni, uti inquit JCtus *l. 1. ff.* unde merito juriſconſultos ſacerdotes nuncupari teſtatur idem. *Juſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes; licitum ab illicito diſcernentes.* Quamobrem miror quorundam non juriſconſultorum duntaxat, ſed etiam judicum, in controverſiis dirimendis conſtantiam, qui ſæpius adeo pertinaciter legis verbis atque litteris inhærendum putant, ut ab iis recedere Sacrilegii inſtar habeant, adeo ut nec rationem nec æquitatem legis attendant, quæ tamen pro diverſa rerum facie mutari poteſt, uti quoque & facti & cauſæ ſive controverſiæ rationes & circumſtantiæ, ut ita dicam, reſpuunt ejuſdem legis applicationem.

Digitized by Google

tionem. Hoc tamen nihil refert, quamvis durum, attamen ita ſcriptum; hoc eſt ſummum illud jus, quod in injuriam degenerat. Sed e diverticulo in viam. Prima hujus tituli lex deſumpta eſt, uti refert inſcriptio, ex libro primo inſtitutionum Jcti Ulpiani ad idem factum vel cauſam, qui ex SyriaPhœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia oriundus *l.* 1. *ff. de Cenſib.* Alexandri Imperatoris initiotutor, matre primum repugnante, deinde gratias agente, poſtea Præfectus tam annonæ quam Prætorii, Conſiliarius & Magiſter ſcrinii, id eſt a conſiliis primus. Fuit autem ſummo in honore ab Imperatore Alexandro habitus, adeo ut ſæpe eum a militum ira ſua interceſſione defenderit, & præter illum Præfectumque ſolum ad ſe vix aliis pateret aditus. Multa ſcripſit in jure volumina, & inter alia ejus ſcripta enumerantur quoque libri duo inſtitutionum, ex quorum primo eſt *l.* 1. uti quoque *l.* 4. & 6. *h. tit.* Merito primus hujus corporis juris titulus in fronte gerit inſcriptionem *de Juſtitia & Jure*; convenit enim hæc inſcriptio Imperatoris Juſtiniani menti atque intentioni, utpote qui eo animo cum Pandectas, tum Inſtitutiones, tum etiam Codicem atque Novellas quaſi in unum corpus colligi voluit, ut juxta leges huic inſertas civibus juſtitiam adminiſtrarent, quibus hæc provincia demandata, atque civibus eſſent pro norma & regula agendorum. Objectum itaque & finis, ad quem collimavit Imperator, fuit, ut intra tam vaſti & ampli imperii fines juſtitia ubique vigeret, ſine qua nullum imperium, nulla Reſpub. nullus denique hominum cœtus diu ſubſiſtere poteſt, uti alibi annotavimus. Origo itaque & initium ſive cauſa juſtitiæ atque juris, quod hoc corpore continetur, derivanda ab intentione & voluntate Celſiſſimi Imperatoris Juſtiniani; quod non eo ſenſu accipiendum, quaſi juſtitia a voluntate Principis penderet, & ſuos natales ejus placito deberet: neutiquam ſane; juſtitia enim, ut ita dicam, eſt ſui ipſius propagatrix & cauſa; juſtitia enim per ſe in abſtracto conſiderata immediate profluit ex mente divina, ſummique a nemine pendentis Entis ſanctitate, & proinde, uti ſummum illud Ens a ſe ipſo eſt, ita quoque juſtitia, quatenus eſt attributum eſſentiale ſummi Entis, ſui cauſa atque

 origo

origo eſt. Quamobrem Jehova, *per me regnant reges & judices decernunt juſtitiam.* Verum quatenus Reges ac principes ſummique Magiſtratus vi ſummi imperii, quod in ipſos collatum, facultatem habent jura & leges condendi, quæ civium actiones ita moderantur, ut cum eo, quod juſtum atque honeſtum & æquum eſt, conveniant, atque ejuſmodi convenientia, quæ in dirigendis ſubjectorum actionibus ad illum finem conſequendum perſpicitur, cum eo, quod juſtum eſt, recte juſtitia appellatur; eatenus a voluntate Imperantis proficiſci, nemo ſana mente præditus inficias ibit. Et quemadmodum ex propenſione ad juſtitiam colendam omnia Principis juſſa promanare debent, tum etiam ut promulgatæ legis ad eundem finem civium actiones dirigant, merito juſtitia ferendarum legum & juris condendi principium & finis dicitur. Quamobrem, uti dicere incepimus, primus hujus corporis juris titulus de juſtitia & jure inſcribitur. Hujus enim tituli inſcriptio præ ſe fert animum & intentionem Imperatoris, cui nihil magis fuit antiquius, quam ut per legitimos tramites iniquitates calumniantium expelleret, atque hac ratione ſe profiteretur juris ad ſummam religionem obſervantiſſimum. Quamobrem *proœm. inſt. Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſit gubernari; & Princeps Romanus non ſolum in hoſtilibus præliis victor exiſtat; ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam juris religioſiſſimus, quam victis hoſtibus Triumphator magnificus. Juris religioſiſſimus*, h. e. Juſtitiæ adminiſtrandæ omni cura atque opera inſerviat, juſtam hanc ſui muneris functionem ſumma religione, ſcil. integritate & maxima cura ſuſcipiat, de nulla re magis ſollicitus ſit; quam ut juſtitia vigeat in terris atque regionibus imperio ſuo ſubjectis & majeſtatem ſuam venerantibus. Uti hoc ſenſu religio apud claſſicos auctores occurrit, vid. *Cic. in Verr.* 7. 29. *Plaut. Curcul.* 7. 71. *Terent. Heaut.* 1. 1. 16. *Cic.* 3. *in Catil.* 60. ſive velis Imperatorem juris religioſum vocari, quatenus Themidis miniſter atque ſacerdos eſt, cujus dum adminiſtrando juſtitiam ſacra peragit, adeoque Sacerdotis munere fungitur. Juſtitiam enim

enim colere atque adminiſtrare nihil aliud eſt, quam cultum Themidi Deæ debitum præſtare; quod Sacerdotibus apud gentiles maxime incumbebat, uti quoque in Hebræorum Theocratia Sacerdotibus, qui divino cultui vacarent. Hi etiam juſtitiam adminiſtrabant, & judicia exercebant *Levit.* X. 11. *Deuter.* XVII. 8. 9. & XIX. 17. 2 *Chron.* XV. 3. *Deuter.* XXXI. 9. 2 *Chron.* XIX. 8. 10. Sic quoque apud alios populos Sacerdotes etiam fuere judices. Tradit Ælianus *Hiſt. var. lib.* 14. *cap.* 34. ſacerdotes apud Ægyptios eosdem quondam fuiſſe, qui & judices. In his princeps erat ſententiæ maximus natu, & in omnes ſtatuendi jus habebat. Ita quoque apud Romanos olim Pontifices ſuum habuiſſe collegium, & judicia exercuiſſe, & juſtitiæ adminiſtrandæ præfuiſſe, non duntaxat in rebus ſacris, ſed & civilibus, cuique notum eſt. Penes pontifices enim interpretandarum legum ſcientiam & actiones fuiſſe, conſtat ex §. 6. *ff. de orig. jur.* itaque juris univerſi quaſi cuſtodes, interpretes ac diſpenſatores erant. Adeo ut in veterum monumentis vix invenias JCtum, qui idem Pontifex non fuerit. Eodem ſenſu Ulpianus JCtos Sacerdotes appellat, quod juri operam dantes Aſtræam virginem venerantur atque colunt. Verum dum in fronte hujus tituli conſpicimus inſcriptionem de *Juſtitia & Jure*, facile perſpicimus juſtitiam, uti priorem locum obtinet, ita quoque jure eſſe antiquiorem, adeoque quaſi matrem & genitricem juris, atque aliquo diſcrimine a juſtitia ſejungendam; Juſtitia quaſi fons eſt, unde dimanat jus, ſumpto juris vocabulo eo ſenſu, quo ſignificat regulam omnium actuum, qui ab homine proficiſcuntur, obligantem ad id, quod rectum, juſtum atque honeſtum eſt, ſive quod cum juſtitia vel rectæ rationis dictamine convenit, atque conſentit, uti ſtatim latius ſumus demonſtraturi.

Lex

Lex I.

Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat. Eſt autem a juſtitia appellatum; nam, ut eleganter Celſus definit, jus eſt ars boni & æqui. Cujus merito quis nos ſacerdotes appellet. Juſtitiam namque colimus: & boni, & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram, niſi fallor, philoſophiam non ſimulatam affectantes.

Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat. Quicunque juris diſciplinæ excolendæ operam dare animum induxit, ante omnia ipſi indagare incumbit, unde nomen juris deſcendat. Quippe uti in quacunque diſciplina id primum eſt de ſignificatione & notatione verbi quærere, ita quoque JCtis ſummus circa verborum proprietatem labor ſemper fuit, teſte Quintil. 5. *Inſt. Orat. ult.* Quamobrem teſtatur Gellius de Antiſtio Labeone JCto, eum Latinarum quoque vocum origines rationeſque percalluiſſe, eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos uſum fuiſſe, *noct. Att. lib.* 3. *cap.* 10. Adeoque non abſque ratione monet Ulpianus, juri operam daturum prius noſſe oportere, unde juris nomen deſcendat. Quamobrem & ipſi opportunum & conſentaneum viſum fuit, ſi in originem vocis, qua venit ea diſciplina, quam tradere nobis inſtituerat, prius inquireret: atque in eo Stoicos, cui ſectæ addictus erat, imitatur. Hinc *Cic. 1. off. Audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta.*

Eſt

Eſt autem a juſtitia appellatum. Hanc nominis derivationem, quam tradit Jctus noſter, carpunt nonnulli commentatores, quaſi potius juſtitia a jure, quam a juſtitia jus derivandum. Juris enim vocabulum ſimplicius eſt, unde ab eo potius juſtitiam derivari debuiſſe, Grammaticorum leges dictant. Quamobrem Romanæ eloquentiæ parens Cicero eos reprehendit, qui Venerem a venuſtate dictam ſtatuunt, cum venuſtas ſit a Venere appellata, quod in ea ſtet Venus. Ita ergo & juſtitia, quaſi in ea jus ſtet, videtur fuiſſe appellata. Ut & Iſidorus tradidit, juſtitiam quaſi juris ſtatum appellans. Qua ratione motus Valla, putat juſtitiam a jure dici. vid. Wiſſenbach. *Diſp.* 1. *lib.* 1. Præterquam quod & ipſius naturæ & rerum ordo nos admonere videatur, a jure nomen juſtitiæ deſcendere; quippe, uti diſputat Franciſcus Conanus Jctus florentiſſimus *comment. ad Inſt. & lib.* 1. *cap.* 2. *Quod enim nobis lex aut ratio dictat faciendum, jus eſt: quod ex illo ſit rationis præſcripto, juſtum vocatur: quæ, quod juſtum eſt, virtus efficit, juſtitia nuncupatur; quod quia facere non poteſt, niſi qui juris vim naturamque cognoverit, vocata eſt apud Græcos* δικαιοσύνη, *quaſi* δικαίου σύνεσις, *id eſt juris ſcientia & intelligentia. At omnis ſcientia eo, cujus eſt ſcientia, poſterior ſit, oportet; ut cantus prior eſt quam ars muſica, & numerus, quam Arithmetica. Denique ſcientia omnis eſt naturæ animadverſio: natura autem omnium rerum prima & antiquiſſima eſt. Itaque & jus prius erit, quam juſtitia; eſt tanquam miniſtra juris, cum ea quodammodo curationem & diſpenſationem ſuſceperit: ergo & jure poſterior; itaque ab eo potius dicta, quam ab ea jus.* Et *Ariſtoteles* 5. lib. de mor. ſcribit, δίκαιον, *id eſt jus univerſum dici, & generalem eſſe quandam regulam; poſtquam autem factum eſt* δικαίωμα, *aut magis proprie* δικαιοπράγημα, *id eſt juſtum & juſte factum. Similiter* ἄδικον, *quidquid injuſtum eſt, poſtquam factum eſt* ἀδίκημα; *id eſt injuria. Itaque præceptum iſtud, ſuum cuique tribuere, jus eſt. Cum ſuum domino reſtituitur, juſtum, id eſt, qua id perficitur, virtus nominatur juſtitia. Sic* ἄδικον *eſt & injuſtum furari. Si furtum commiſſum eſt, injuria dicetur illa animi affectio, qua quis impellitur ad hoc ſcelus, injuſtitia eſt. Ex quo efficitur, jus &*

rebus juſtis & juſtitia ipſa eſſe antiquius. Vide tamen Bolognetum *de leg. jur. & æquit. cap.* 15. qui JCti argumenta ex Ariſtotele deprompta examinat, & paulo aliter mentem Philoſophi interpretandam ſtatuit, ubi diſputat quid hæc tria, lex, jus & juſtum inter ſe differant: diſputatio magis ſubtilis, quam utilis; quoniam hæc tria ſæpiſſime confundantur, uti alibi demonſtravimus. Duplicem Conanus Ulpiani defendendi rationem adfert; primo, ut explicationem tradat hujus vocabuli, non qua jus ipſum, ſed qua juris ſcientiam ſignificat; nam & definitionem legitimæ ſcientiæ ſupponit, unde cum juri, id eſt juris ſcientiæ operam daturum dixiſſet, prius noſſe oportere, unde nomen juris deſcendat, id eſt unde ſit, quod hæc ſcientia jus appellatur, non inepte ſubjungit, a juſtitia hoc venire: quod hujus ſtudioſi ſcientiam imprimis colant, ad eamque omnia ſua reſponſa, decreta & dogmata referant. Nam in æqui & iniqui notione toti ſunt, ut juſtum ab injuſto ſecernere poſſint. Cum ergo hujus ſtudii materia ſit iisdem in rebus, in quibus juſtitia verſatur, officiumque ejus ſit, omnes, quæ ducunt ad juſtitiam, vias invenire, finis autem juſtitiam inventam conſtituere: non immerito hæc ſcientia a juſtitia, quam tantopere colit, & obſervat, appellatur jus. Altera ratio eſt, ut jus a juſtitia ducatur, quia nihil ſit, quam quod illa præſtituit. Nam virtutes, ſi per ſe ipſas conſideremus, ſunt tanquam magiſtræ quædam omnium noſtrarum actionum præceptrices, ita temperatum vocabitur, quod a temperantia, forte, quod a fortitudine, jus, quod a juſtitia jubetur atque præſcribitur. Juſtitia eſt virtus, jus virtutis executio & effectio, uti videtur Accurſio. Bolognetus putat ex Buridani *lib.* 5. *moral. quæſt.* 2. *quæſt.* diſtinctione Ulpianum rectius defendi poſſe. Ipſe enim putat permagni referre, utrum de Principis ac legiſlatoris juſtitia diſputemus, an vero de juſtitia ſubjectorum ſermo ſit. Juſtitia ſubditorum fatetur jure & juſto eſſe poſteriorem, cum juſtitia ſit, qua juſta facimus: juſtum vero, quod juri eſt conſentaneum. At de Principis & legiſlatoris juſtitia contrarium ſentit: eam enim jure & juſto antiquiorem eſſe ſtatuit, idque ea ratione, quia cum Princeps pro

pro ſua juſtitia ea ſubditis præcipit, quæ in univerſum prodeſſe poſſint, inter eos jus conſtituit; ex quo etiam juſtum inducitur: ſic fit, ut hæc ambo jus & juſtum a Principis juſtitia proficiſcantur. Verum parum hanc defenſionem Ulpiano ſuffragari putat ſtatim laudatus auctor, quoniam JCtus non de legiſlatore potius, quam de aliis locutus eſt; quanquam, inquit, vel ſi de juſtitia legiſlatoris ſenſiſſe illum proponamus, non tamen abſolute poſſumus affirmare, eam juſto antiquiorem eſſe, imo enim legiſlatorem quoque ipſum neceſſe eſt jus atque juſtum aliquod ſaltem naturale præ oculis habuiſſe, ad quod cogitationes ſuas omnes intenderet, cum alioquin juſtitiæ habitum comparare non potuiſſet. Vir doctiſſimus Jac. Rævardus *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. Ulpiani defenſionem ſuſcipiens & mentem JCti interpretaturus exiſtimat, Ulpianum, dum contendit jus a juſtitia deſcendere, non negaſſe jus eſſe prius juſtitia, ſed nomen illius juris, quod juſtitia prius eſt & antiquius, a juſtitia deſcendere ſtatuiſſe. *Jus enim*, inquit, *in imaginatione poſitum eſt, nec certo nomine alio, quam juris aut æquitatis deſignari poteſt; juſtitia eſt quædam virtus, qua in reddendo jure conſtituendoque fungimur. Hæc juſtitia dat nomen juri, non ut duntaxat appelletur, quod per eam exercetur, verum ita ut jus per juſtitiam ſpeciei inſuper aſſueſcat expreſſam deſignationem. Nam quum jus ad actionem & exercitium trahimus, tunc juſtitia ſive virtus illa, qua id fit, imponit nomen juri: & ſiquidem inter cives illud fiat, non jus ſolum, ſed jus civile, ſi inter gentes, jus gentium vocabitur. Quum enim jus nihil aliud ſit, quam juſſus, juſtitia vero virtus, qua, qui ſic jubet, præditus eſt; ſequitur, ut, qui juſtitia fungitur, nomen imponat juri...* Verum alii JCti ſe Ulpiani mentem rectius percepiſſe putant, quando ſtatuunt, Ulpianum in *l.* 1. juſtitiam non ut habitum & virtutem, (quemadmodum a nobis nunc accipitur) ſed ut Deam conſideraſſe; idque apparere ex iis verbis, quæ JCtus ſtatim ſubjicit: *cujus merito quis nos ſacerdotes appellet, juſtitiam namque colimus.* Etenim juſtitiam veteres colebant ut Deam, Joviſque filiam faciebant; unde Chryſippus apud Gell. *lib.* 14. *cap.* 4. Juſtitiam deſcribit virginem judicio incorruptam, quæ improbis nunquam

Digitized by Google

concedat, nullius precibus auſcultet, blanditias & aſſentatio-nes a ſe procul amoveat &c. Neminem enim fugere poteſt, quod antiquitas fabulata eſt, eam Deorum omnium poſtremam terras reliquiſſe: attamen ob naturalem hominum ad quæcunque patranda ſcelera contractam improbitatem atque propenſionem coactam in cœlum ſe contuliſſe; adeoque cum de juſtitia ut Dea loquatur Ulpianus, non eſt quod miremur, juſtitiam legibus & jure antiquiorem ſtatuiſſe, & ab ea jus derivandum duxiſſe. Quippe maxime abſurdum ipſe judicaſſet a jure Juſtitiam derivari, quam a ſolo Jove profectam credebant. Huc veriſimile eſt Tullium collimaſſe, cum dixit, non a venuſtate Venerem, ſed a Venere venuſtatem fuiſſe appellatam. Alibi in defenſione diſſertationis noſtræ *de origine juris naturæ*, oppoſita Vindiciis juris naturalis Paradiſei Simonis Henrici Muſæi, Ulpiani juris derivationem probavimus; ſcil. *juſtitiam* dici quaſi *Juſtitium*, id eſt juris vel naturalis vel civilis interſtitionem & ceſſationem, ut olim apud Romanos dies nefaſti, quibus imperatum foro ſilentium, nullumque jus exercebatur. Ita in ſtatu integro, cum Aſtræa virgo in terris degebat, uti finxere Poëtæ, ſive uti nos Chriſtianorum Sacris initiatos loqui decet, cum homo recens ad imaginem Dei conditus, nulla vitii vel peccati labe contaminatus, ſed juſtus & rectus, ſponte ſua fidem rectumque colens, nulla prava cupidine agitatus, naturali propenſione quicquid juſtum rectumque, ſanctitati, atque divinæ juſtitiæ conſentaneum erat, ſequebatur, omne jus exulabat, nullus ejus uſus vel exercitium hominibus vitæ integris ſceleriſque puris cognitum; ſuum enim cuique tribuentes, alterum non lædentes, honeſte vitam agentes, non ex præcepto, ſed naturali erga juſtitiam colendam amore & propenſione innata atque naturæ inſita, quia divinæ imaginis participes vitam agebant, ex inclinatione & bene compoſita voluntate alter alteri præſtabat, quicquid juſtitia ſive naturæ lex, vel, ſi velis, Aſtræa virgo exigebat ſeu dictabat. Hinc altum juris ſilentium imperans bona & honeſta, vetans mala & turpia, adeo ut nulla minacia verba fixo æri inſcripta legerentur, nec ſupplex turba timeret judicis ora ſui. Juſtitia ubique vigebat; quam-

quamobrem Alciatus *juſtitiæ*, *juſtitii* & *juſti* argutam pronuntiavit analogiam. Primos mortales ſine ullo ſcripto jure regebat naturæ bonitas adhuc integræ, quia recens a Deo, quam Poetæ involucro Themidis ſive Aſtrææ ſignificarunt. Poſtquam vero in animis hominum obſoleſcere cœpit bonitas naturæ, ad ejus exemplar cœperunt ſcribi leges ac jura, atque ita jus eſt dictum a juſtitia. Jus utique poſterius eſſe, & derivari ex notitiis boni & æqui in omnium animis micantibus & ad officium incitantibus, dicendum, ut inquit Tuldenus *Comment. in Pand. tit.* 1. Quemadmodum ita ſtatus integritatis præceſſit lapſum hominis, & aurea ferream ætatem, ita juſtitia jure tempore prior & antiquior. Recte itaque jus a juſtitia dimanaſſe Jctus pronunciat. Et cum ipſa juſtitia ex ſumma Dei Sanctitate deſcendat, unde & gentiles a Jove jus derivarunt; homini vero ad ſui imaginem condito hujus virtutis omnium virtutum excellentiſſimæ, utpote quæ ceteras omnes complectitur, ſemina ingeneraverit, & rationis participem fecerit, cujus vi indagare poteſt, quid cum ea convenit, quid huic repugnat, & per mentis ſuæ diſcurſum perſpicere, quid proinde juſtum & rectum, quid injuſtum & turpe, & legem ſibi dicere & jura dare, hoc fugiendum, illud ſequendum dictante ratione; ſequitur notitiam juſtitiæ præcedere & antiquiorem eſſe jure, quatenus jus ſignificat regulam actuum moralium, obligans ad id, quod rectum eſt, & proinde præcipiens, quæ juſta, ſive quæ cum juſtitia, cujus cuivis notitia innata, conveniunt, vetans, quæ ei contraria. Cujuſmodi notitiam ſimul cum ſcientia mali conjunctam in ſtatu integro non hominem, quamvis juſte agentem, non habuiſſe demonſtraſſe ſatis clare ſperamus in peculiari diſſertatione *de orig. jur. nat.* Itaque quomodocunque juſtitiam conſideres, vel tanquam virtutem dimanantem ex eſſentia divina, vel quatenus imaginis divinæ particeps homo hujus quoque virtutis in ſe habet notionem & ideam, prior & antiquior juſtitia eſt jure, quod a rectæ rationis dictamine ex convenientia actuum moralium, cum juſtitiæ ſibi innata idea judicante, quid juſtum, quid injuſtum eſt, & proinde quid prohibitum, quid præceptum, provenit ſive na-

Digitized by Google

naſcitur. Ejusmodi autem rationis noſtræ judicium atque diſcurſus, cujus ope indagamus atque novimus, quid juſtum, quid injuſtum eſt, & proinde concludimus, quid præceptum, quid vetitum, quid faciendum, quid fugiendum, ut juxta ejuſmodi dictamen & judicium actus, qui a nobis proficiſcuntur, ita moderentur, ut cum juſtitia conveniant, recte quoque ars appellatur, atque ſic quoque hoc ſenſu juſtitia antiquior jure pro arte accepto: quatenus enim dictatum rationis jus eſt, quod dirigit actiones hominum ad finem juſtitiæ, ſcil. ut cum juſtitia habeant convenientiam; quoniam per ejuſmodi dictamen cognoſcimus quid juſtum ſit, quia nos informat de eo, quod cum juſtitia id, eſt cum recta ratione convenit. Nec aliter Cujacius, cum inquit, Ars poſterior eſt eo, quod arte continetur; jus autem docet, formatque, & ſancit omnes juſtitiæ partes; ergo ab ea ducitur & dicitur. Et ſane ſi juſtitia prior fuerit jure, nam ante artem fuere juſti tam juris naturalis, quam civilis, cum in aurea ætate ante civitates conditas, quam poſtquam in civilem ſocietatem coaluerunt mortales, non Principum arbitria pro legibus erant, verum certæ leges conſtitutæ, quæ regula & norma eſſent, ad quam cives actiones, ſuas componerent, ita etiam illius nomen prævenit tempore, ut inquit Tuldenus.

Nam ut eleganter Celſus definit jus, eſt ars boni & æqui. Diximus jus eſſe rationis noſtræ dictamen, quod nos informat ac docet quid cum juſtitia, cujus menti inſita ſemina, conveniat, adeoque quid bonum & æquum, juſtum & honeſtum eſt. Cujuſmodi informatio, ut ita dicam, ſcientia eſt, & proinde artis nomine venit jus, & recte a Celſo ars appellatur, & quidem boni & æqui; ex hoc enim fonte omnia jura tam naturalia quam civilia promanare debent, hoc niti fundamento, hunc ſpectare finem, ita ut nunquam juris civilis ratio ab æquitate & recta naturæ norma ſejungenda. Miror quoſdam commentatores in eam ſententiam adduci potuiſſe, ut exiſtiment jus ſeu juſtum a bono & æquo differre, & propterea jus boni & æqui artem perperam definire Celſum; Jus enim ſæpius ad ſeveritatem inclinat atque rigorem obſervandum dictat; quamobrem Donatus Grammaticus, jus eſt quod omnia

recta

recta & inflexibilia exigit, æquitas eſt, quæ de jure multum remittit; unde quamvis forte durius quid jure conſtitutum, ſequi tamen jus dictat, quia ſcriptum eſt. arg. *l. 12. §. 1. ff. qui & a quibus.* Contra æquitas jus durum emollit & mitigat, atque benigna interpretatione emendat, ut cum æquo & bono conveniat, Ariſt. *Ethic. 5. cap.* 10. Separant quoque, atque diſtinguunt JCti multis in locis jus ab æquitate, uti Modeſtinus *in l. 25. ff. de ll.* cum inquit: *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur &c.* Sic etiam Imp. Conſtant. *in l. 1. C. de ll.* cum ait, *Inter jus & æquitatem interpretationem nobis ſolis & licet & oportet inſpicere.* Separat hæc quoque *l.* 8. *Cod. de jud.* cum inquit, *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque, quam ſtricti juris, rationem.* Quamobrem Cic. *Orat. pro Cecinna* laudat Sulpitium, quod quæ proficiſcebantur a legibus, ad facilitatem æqualitatemque referret; qua in re non duntaxat juſtitiæ laudem, ſed majorem quandam tribuere voluiſſe videtur. Addunt quod neminem audiemus ideo condemnari, quod nimium ſit æquus & bonus, at damnatur interdum qui nimium juſtus eſt, juxta illud Salomonis *Eccleſ. 7. noli eſſe juſtus multum, neque plus ſapiens quam neceſſe eſt.* Quibus ex rebus facile conſtat, differre æquum & bonum a jure juſtoque. Verum hæc argumenta non ejus ponderis eſſe mihi videntur, ut propterea eorum ſententiam amplecterer, qui juſtum ac jus ab æquo & bono differre ſtatuunt. Quemadmodum enim juſtitia & æquitas pari paſſu ambulant, bonum & æquum, idem prorſus eſſe cenſemus quod jus ſeu juſtum, neque ulla ratione a ſe invicem ſeparari poſſe dicendum videtur; æquitas enim nihil aliud eſt, ut cum Tullio loquar, quam quod naturalis ratio perſuaſit. Atque hæc definitio convenit omni juri tam naturali quam civili: nullum jus, nulla lex ſive naturalis ſive civilis, quin nitatur ratione ſive mentis noſtræ diſcurſu, atque dictamine, cum intendit ad id quod juſtum, bonum & æquum eſt; adeoque inquirit diligenter quid, quando, quantum & cum quibus, quæ Græci ὑπάρχοντα, nos vulgo circumſtantias appellamus. Atque hiſce ponderatis definit quid juſtum, æquum ac bonum eſt. Quod itaque ratio perſuaſit atque dictat, nobis jus

jus eſt. *l.* 9. *h. t.* & *§.* 1. *inſt. de jur. nat. gent.* & *civil.* Sic quoque Cic. *partit.* 17. æquitati juſtum tribuit, & juſtum ita exponit, ut velit illud eſſe bonum & æquum, cum inquit, *Æquitas cujus vis directi, veri* & *juſti* & (ut dicitur) *æqui* & *boni ratione defenditur.* Si pro juſto ſumitur, ergo etiam pro jure. Neque aliam ab rationem Ulpianus in *hac l.* definit jus artem boni & æqui, quam ut ſignificaret, jus, juſtum, & bonum & æquum unum idemque eſſe. Ut perſpicimus ex ſequentibus verbis, *Juſtitiam namque colimus* &c. Quæ ratio haud quaquam concludens eſſet, niſi æquum & bonum pro juſto accepiſſet, uti animadvertunt non infimi ſubſellii Jcti. Si pro juſto, ergo etiam pro jure ſumi poteſt. Atque hanc opinionem Baldus quoque amplecti videtur, cum ait, æquitatem poſſe dici ipſum jus ſive juſtum; tam arctiſſimo enim vinculo ſibi cohærent jus & juſtum, ut a ſe invicem divelli nequeant, verum ſemper mutuo ſe conſequantur; & ubi unum ſit, ibi alterum pariter adeſſe ſit neceſſe. Quamobrem quoque ad unum eundemque finem conſequendum ambo tendunt, ſcil. ut cuique tribuatur quod ſuum eſt. Nullum alium ſcopum, ad quem ſive jus, ſive juſtum, ſive æquitas collimare debet, excogitare vel fingere poſſumus, ita ut ſi vel minime ab hoc ſcopo deflecteretur, ſive jus ſive æquitas, non recte dixeris id quod aberrat, eſt rectum, juſtum vel honeſtum: verum iniquum & pravum illud eſſe oporteret, nec juris, ſed injuriæ nomine appellandum. Quod juſtum, æquum & bonum dictat naturalis ratio, nullam admittit diſpenſationem, ſed per ſe & ſua natura ſimplex eſt, ita ut ſi vel ad dextram vel ſiniſtram a recta juſtitiæ via aberremus, haud illud quod jus dictat juſtum vel bonum & æquum eſſe, ſervaſſe dici poſſumus. Quamobrem ne ad ejuſmodi abſurditatem delabi neceſſe eſſet, dicendum potius videtur, jus, juſtum, & æquum non poſſe inter ſe differre, ſed plane unum & idem eſſe. Huc ſpectat quod diſputat Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 10. cum inquit, *Interdum, dum rationem ſequimur, abſurdum videtur æquum* & *bonum, ſi præter jus quiddam eſt, eſſe laudabile. Vel enim jus non eſt honeſtum, vel æquum* & *bonum non eſt jus, ſi diverſum quid eſt, vel ſi utrumque eſt honeſtum idem utraque ſunt.*

Jus

Digitized by Google

Jus igitur & æquum & bonum idem eſt: & quamvis quandoque ad ſeveritatem vergat jus, tamen æquum dici poſſe, conſideratis circumſtantiis, ut ita loquar, mihi videtur; adeoque haud eorum ſententia mihi arridet, quamvis a noſtris JCtis frequentius recepta, qui ſtatuunt, quod tum demum juſtitia nomen æquitatis ſibi vindicare poſſit, cum ad humanitatem propendet, ſecus autem quando ad ſeveritatem atque rigorem inclinat. Quamobrem Salicetus & Jaſon ad *d. l.* 8. *cod. de Jud.* definiunt æquitatem eſſe juſtitiam dulcedine miſericordiæ temperatam: adeo ut videatur æquitas in clementia & benignitate poſita eſſe, & proinde a juris rigore & ſeveritate maxime aliena, imo ei e contrario oppoſita. Nec deſtituta hæc opinio auctoritate veterum JCtorum. Inter alios maxime ipſi favet Modeſtinus in *l.* 25. *ff. de ll.* paulo ante adducta, ubi JCtus reſpondit nullam æquitatis benignitatem pati. Ut quæ ſalubriter pro hominum utilitate introducuntur, ea duriore interpretatione nos contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem: ubi JCtus ſeveritati opponit æquitatem, uti quoque Paulus JCtus in *l.* 24. §. 1. *ff. de minor. Non ſemper*, inquit, *quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, ſed ad æquum & bonum redigenda ſunt.* Quod reſcindantur quæ cum minoribus geſta ſunt, hoc rigoris & ſeveritatis eſt: quod ſubſiſtant, clementiæ & benignitatis. Et in *l.* 91. §. 3. *ff. de V. O.* dum loquitur de moræ emendatione, damnat eos qui boni & æqui nulla habita ratione ſub auctoritate juris Scientiæ perniciose ſæpenumero errant argumentum, ſe in eam opinionem adductum, quod in jure interpretando non jus ſtrictum ejuſque rigorem ſequi debeat JCtus, verum ſeveritati benignitatem præferre. Quamobrem Terentius conqueritur, *nimium durus eſt præter æquumque & bonum. Adelph. actu* 1. *ſc.* 1. & alibi, *æquum eſt vos cognoſcere atque ignoſcere.* Verum enim vero egregie fallere mihi videntur, qui in eadem ſede morari haud poſſe ſtatuunt æquitatem atque ſeveritatem, multi enim caſus incidere poſſunt, quibus ſi quis judex a rigore juris atque ſeveritate recederet, contra æquitatis dictamen maxime peccaret, eique vim inferret. Quamobrem ſummus Cujacius ſenſu æquum & bonum haud

C dif-

diſcernendum ſtatuit, & id complecti putat etiam rigorem juris, quia utique pars eſt juris prudentiæ, proinde ſecundum ipſum perinde eſt, ac ſi dicas, jus eſt ars recti ſive juſtitiæ, quæ ut pro benignitate; ita quoque crebrius pro ſeveritate, & pro mediocritate inter utramque ſumitur; vid. Tuldenum *comment. in Pand. lib.* 1. *tit.* 1. Ita tamen ut ſemper cum juſtitia ſive jure pari paſſu ambulet. Nec deſunt teſtimonia veterum Juriſconſultorum, qui ſeveritatem quoque appellant æquitatem, atque in pœnis infligendis interdum boni & æqui nomen uſurpant: Sic Ulpianus Jctus *in l.* 1. *ff. de eo per quem fact. erit.* *Æquiſſimum*, inquit, *putavit prætor, dolum ejus coercere, qui impedit aliquem judicio ſiſti.* *Et in l.* 1. §. 2. *ff. ſi quis teſtam. lib. eſſe juſſ.* ubi dicit, prætorem tunc uti æquitate, cum in eum animadvertit, qui alioquin civili tantum jure inſpecto remaneret impunitus. Imo vero ex æquo & bono eum quoque interpretari, qui quandoque pœnas legibus comprehenſas ſupergreditur earum lenitatem exaſperat docet Suetonius in *Claudio cap.* 14. Quem interdum legitimam pœnam ſupergreſſum fuiſſe teſtatur, *nec ſemper* (inquit) *præſcripta legum ſecutus duritiam lenitatemque mulctarum ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderatus eſt. Nam, ex iis, qui apud privatos judices plus petendo, formula excidiſſent, reſtituit actiones, & in majore fraude convictos, legitimam pœnam ſupergreſſus; ad Beſtias condemnavit.* Ex æquo & bono ita judicaſſe Claudium teſtatur, ut non modo legum aſperitatem & duritiam levitate, verum etiam lenitatem duritie moderari erat ſolitus. Quod exigente neceſſitate & ſalute Reipub. dictat ipſa æquitas atque juſtitia. Salus enim populi & Reipub. conſervatio ſumma ſupremaque lex eſſe debet, quæ non ſemper lenitate atque benignitate, ſed ſæpius aſperitate tuenda; quo caſu aſperitate & durities uti æquum & bonum eſſe docet recta ratio, quæ in pœnis irrogandis atque mulctis imponendis nihil aliud intendit, quam ut hac via Reſpub. ſalva ſit & incolumis, ne publica ſecuritas atque pax & concordia quid detrimenti capiat atque violetur & perturbetur, eo collimat legum durities & aſperitas, id ſuadet æquitas & juſtitia, quæ Reipub. tuendæ inſervit, adeo ut duritie & aſperitate in ejuſ-

modi

Digitized by Google

modi rerum facie uti ſumma eſſet æquitas, lenitate vero & clementia eam moderari ſumma iniquitas & injuria; quoniam hac ratione multa ſæpe ſcelera & nefanda facinora manerent impunita, vel ſaltem pœnæ mitigatio facinoroſos homines non adeo deterreret a patrandis & admittendis delictis, & fraudibus committendis, quam ſecuritas publica & civium ſalus efflagitaret, quod in ſummum Reipub. vergeret detrimentum. Præterquam quod ejuſmodi clementia & lenitas, quoniam a juris & æquitatis dictamine, quo innituntur omnes leges omniaque jura, quæ a ſumma Majeſtate proficiſcuntur, recedit, quamvis omnibus quidem æquitatis uſus conceſſus, uti ex ll. allegatis apparet, nulli tamen conceſſum æquitatem, licet quid durum & aſperum ſuadeat, clementia & lenitate temperare; ſi a Legiſlatoris voluntate alienum videatur; quemadmodum ſolius Principis eſt jura condere & leges dare, ita quoque ſolius Principis eſt clementia ac miſeratione uti ſive populi, eorumque magiſtratuum, qui parem cum Principe poteſtatem habent, ut olim habuit Senatus Romanus. Poteſt enim aliquando Princeps ob peculiarem rationem, de juris rigore & legis duritia aliquid remittere, haud vero Judices, quibus obſequii duntaxat gloria relicta. Quamobrem Cicero *in orat. pro Ligario*, cum ait, neminem apud judices ita cauſam agere ſolere: *Ignoſcite, judices, erravit, lapſus eſt, non putavit, ſi unquam poſthac. In Senatu vero & apud populum & apud Principem, & ubicunque juris clementia eſt, habet locum deprecatio.* Bonum itaque & æquum eſt, quicquid recta nobis dictat ratio cum juſtitia, cujus nobis innata ſemina, convenire, ſingulis rerum circumſtantiis probe obſervatis, adeoque nos informat quid fieri aut non fieri oporteat, cujuſmodi dictatum jus vocamus, & proinde artem ſive ſcientiam boni & æqui: ex hoc fonte deſcendunt omnia jura, omnes leges ſive naturales ſive poſitivæ, quæ omnes ad ejuſmodi dictatum rationis velut ad Lydium lapidem examinandæ ſunt, cui ſi contrariæ eſſent, non jus, ſed corruptela merito vocantur. Hanc æquitatem in legibus ferendis tanquam finem ſpectare oportet legiſlatorem, atque eam quoque comprehendunt ſi quæ leges juſtæ appellari poſſunt, quoniam, uti jam annota-

vimus, juſtitia & æquitas, uno eodemque veniunt nomine: unde juſtum & rectum quod æquum & bonum. Legis autem ſive juris ſcripti (uti *Leges* hoc nomine appellantur) ratio & anima æquitas eſſe debet, hac destituta ab omni juris atque juſtitiæ tramite deflectit; quamobrem quicquid lex dictat, etiam æquitas dictare debet; hoc fundamento & baſi nititur ejus auctoritas & obligandi vinculum; ita ut non aliud jus lex complectatur, aliud æquitas dictet, quicquid lex jubet & æquitas ſuadet, cum juſtitia convenire oportet, & proinde ambo ad unum eundemque finem tendunt. Quamobrem Ferrarius in *Comment. ad l. 90. ff. de R. J.* Neque ita velim æquitatem conſideres, quaſi a juſtitia ſit aliena, cum propterea æquum aliquid ſit quia & juſtum eſt, & quidquid in Republica ſtatuitur, quidquid inter privatos decernitur, ſive hoc ſit ex lege ſive æquitate, juſtitiam ſpectare debet. Quamobrem haud eorum ſententiam amplecti poſſum, qui æquitatem volunt eſſe vel emendationem legitimi juſti, vel qui boni & æqui appellatione contineri actum illum, quo lex aliqua corrigitur, antiquatur vel abrogatur, ſtatuunt. Quaſi diverſum quid eſſet a jure ſcripto ſive legitimo, jus æquitate definitum. Huc referunt illud Ariſtolis *lib. 1. Rhetor. cap. 13.* ἐπιεικὲς, quod nos appellamus æquum & bonum, qui illud eſſe definit, quod præter legem ſcriptam juſtum eſt. Quod jus ſcriptum ut lege definitum emendat, ac ita interpretatur, ne aliquid iniqui contineat, ſi ſimpliciter ſequeremur, quod ſcriptum eſt. Atque hanc emendationem maxime neceſſariam eſſe, ob legis ſive juris ſcripti defectum atque vitia, quibus ſæpius laborat. Conſiderandum enim eſt, uti diſputant, leges quaſcunque, ut & alia omnia jura ſive a ſola natura profecta, ſive ab hominibus inducta, ad facta ſemper quædam applicari atque referri. Neque vero factis omnibus ſemper æque convenire, ſed pro ipſorum varietate variari, quo contigit, ut quod in qualibet facti ſpecie jus ineſt, ea mutata ſæpiſſime illud mutetur, atque ex jure injuria naſcatur. Quamobrem neceſſe eſſet, ne hoc defectu leges laborarent omnique ambiguitate carerent, ut omnes caſus, qui quotidie emergere poſſunt, & quoſcunque

que ſingulares rerum eventus complecteretur, atque omnes circumſtantias, quæ caſum maxime variare poſſunt, exprimeret. Cum autem ſingularia fere infinita ſint, & multis modis variari poſſint, vix tam perfectæ leges ſcribi poſſunt, cui non multa vel addenda vel detrahenda eſſent. Quod non legiſlatoris culpæ adſcribendum, ſed humanarum rerum viciſſitudini & infinitæ rerum agendarum multitudini. Quippe, ſi res ſingulas a natura proditas contemplemur, rerum uſus nos docebit eas non modo incertas & variis mutationibus obnoxias, ſed & fere innumeras eſſe; ita quoque, ſi ad ſingulos actus & ſingulas hominum operationes animum convertamus, videbimus illarum numerum propemodum eſſe infinitum, tum vero incredibilem inconſtantiam & varietatem, idque in cauſa eſt; quod ſcriptæ leges duobus modis, uti antea notavimus, ſunt imperfectæ, duobuſque vitiis laborant, & proinde emendatione, correctione & ſupplemento egent, quibus hiſce vitiis mederi oportet; alterum horum, quemadmodum diſputant, contigit volentibus legumlatoribus; alterum haud evitare poſſunt, nec ab eorum pendet arbitrio & voluntate. Volentibus iis primo defectu ſive vitio legis laborant, quoties generatim illi aliquid conſtituunt ſive decernendum ſtatuunt, quod propterea ſæpius conſulto faciunt, quando perſpiciunt, omnes prorſus factorum ſpecies ſe non poſſe enumerare, & proinde lex in univerſum ponatur neceſſitate efflagitante, tametſi id recte fieri nequeat: videlicet lex id, quod plerumque accidit, amplectitur, errati ipſa ſui conſcia. Quanquam id non legis aut legiſlatoris, ſed rei ipſius peccatum eſt, atque materiæ, ut ita dicam, agibili tribuendum ſit. Etenim natura comparatum eſt, ut omnia quæ aguntur, eodem legis præſcripto conſtitui non poſſunt, ut inquit Budæus *annot. in Pand. ad h. l.* Quamobrem ea potiſſimum leges generales ſpectant, quæ plerumque accidunt. *l. 3. l. 5. 6. l. 10. l. 12. ff. de ll.* Quippe, uti antea dicere incepimus, impoſſibile eſt omnes caſus prævidere, cum natura novas quotidie properet edere formas; quamobrem neceſſitatis eſt, ut leges ad ea, quæ plerumque accidunt, accommodentur. Quamobrem *Ariſt. lib. 1. Rhetor.* ſermonem habens de hoc vitio, quod volentibus legiſlatoribus

contigit, inquit, *volentibus autem leges cum nequeant determinare, ſed neceſſe ſit univerſaliter dicere id, quod non ita ſemper, ſed utplurimum contingit.* Uti quoque *lib. 5. Ethicor.* diſputat, legem ideo generatim concipi ſolere, quia cum lex non poſſit omnia complecti, nihil tutius facere poteſt, quam ut in univerſum loquatur, illudque aſſumat, quod plerumque accidit, quamvis errati ipſa ſui conſcia, ut ſtatim diximus. Si potuiſſent legiſlatores caſus omnes enumerare, quibus pupillus contrahendo, fraudem incurreret, vel mulier pro alio intercedens vere deciperetur, procul dubio illis ſolis in caſibus id quod geſtum eſſet infirmaſſent, verum quia incredibilis rerum varietas obſtat, ut id facere nequeant, propterea id ipſi quod ut plurimum evenire ſolet, tantummodo ſpectarunt. Et quoniam rerum uſu edocti id plerumque fieri, ut pupillus non autore tutore contractum celebrans ſæpiſſime ex ejuſmodi contractu læſionem patiatur, uti quoque mulier pro alio intercedens decipiatur, ideo vel ex contractu vel interceſſione cum pupillus tum mulier damnum pateretur, generaliter omnes mulierum interceſſiones irritas fecerunt, ac quæcunque cum pupillis abſque autoritate tutoris geſta ſunt, in quibus deterior fieret pupillorum conditio, nullius momenti eſſe ſtatuerunt, *l. 9. ff. autorit. tut. inſt. eod. tot. tit. ff. & Cod. ad S. C. Vellejan.* Quippe, etiamſi caſus poſſet extare, quo nec fraude ulla circumveniatur, neque pupillus aliquid damni ex contractu ſentiat, non tamen legumlatores id conſiderarunt, verum huic periculo occurrere voluere, quod utplurimum pupillis vel mulieribus imminere animadverterunt, *l. 6. ff. de ll.* Quamobrem ſi ejuſmodi caſus occurrant, quibus forte lex generaliter loquens ob ſingulares circumſtantias applicari nequit, æqua interpretatione ſtatuendum quod oportet. Poſita lex ſit in aliqua civitate, per quam prohibeatur advenis ſub pœna capitis muros civitatis aſcendere, invadant hoſtes civitatem, advenæ aſcendant muros, & civitatem defendant ab hoſtibus; quis non videat advenas non eſſe puniendos, ſed præmio afficiendos, quia licet fecerint contra legis verba, non fecerunt contra intentionem legiſlatoris, qui talem caſum non excepit, quia non cogitavit, & ſi cogitaſſet,

taſſet, excepiſſet, refert ex Bartolo Bolognetus. Vid. *Sylveſt. Mauri paraphraſ. in Ethic. Ariſtot.* cujus argumenta hujuſque deſcripſimus. Bononiæ extat ſtatutum, quo cavetur eum, qui ſanguinem fecerit in palatio, eſſe capite plectendum; jam vero cum forte quidam in palatio ægrotaret, e tonſtrina quidam accerſitus eſt, qui ex Medici præſcripto e vena illi ſanguinem mitteret, dicit Bartolus hæſitatum diu fuiſſe, eſſetne ille, qui ſanguinem miſit in palatio, ſtatuti pœna afficiendus, atque tandem fuiſſe eum liberatum hac ratione, quod verba legis captanda non ſint aut contra ipſius legis ſententiam accipienda: ſententiam ſtatuentium fuiſſe, ut eum ſolum punirent, qui per injuriam, non eum qui ſalutis tuendæ gratia, ſanguinem emiſiſſet. Lex erat Thebis, quæ morte multabat, ſi quis imperium diutius retinuiſſet, quam lege præfinitum foret. Pelopidas & Epaminondas Reipub. conſervandæ cauſa poſt inſignem illam Leuctricam victoriam ultra tempus, vel ut Nepos tradit, quatuor menſibus diutius geſſerunt imperium, quam populus juſſerat, eamque ob cauſam in judicium capitis accerſiti ſunt. Verum cum oſtendiſſent ſuum conſilium Reipublicæ profuiſſe, quod ſcil. Spartanos omnino profligaſſent, Meſſenios ad ſe contraxiſſent, &c. a judicio capitis maxima diſceſſerunt gloria, & optimo jure abſoluti ſunt. Non itaque verborum aucupiis, alio quam oportet legis ſenſus deflectendus eſt. Neque ex callido verſutoque jure, ſed ex æquo & bono res tota æſtimanda, ut nunquam civilis juris ratio ab æquitate & recta naturæ norma ſejungatur. In hoc itaque vim omnem boni & æqui poſitam Ariſtot. *d. l.* oſtendit, ut qua parte a ſcriptore legis prætermiſſum, id ex æquitatis fonte corrigatur, & emendetur. Hæc de primo legis peccato, quod volentibus legumlatoribus contigit, delibaſſe ſufficiet. Quod alterum attinet, quod illis invitis contigit, illud committitur, quoties aliquid ipſos legumlatores effugit, quod propterea imprudentes omittunt. Itaque fit, ut in legibus condendis non ea de cauſa peccare ſoleant, quod caſus nonnullos, qui perraro eveniunt, ut inquit Celſus *l. 5. ff. de ll.* conſulto omittant, verum etiam quia nonnulla imprudentibus excidunt, quæ maxime

me exprimere fuiſſet opus, cum homines non ea mentis acie præditi ſunt, ut omnia animadvertere omniaque providere poſſint, quod mortalis ingenii imbecillitati condonandum, ut inquit Imperator *l. 2. Cod. de vet. jur. enucl.* Quamobrem uti primum illud peccatum, de quo ſtatim diſputavimus, in eo poſitum eſt, quod plura quam oporteat legis ſcriptura continentur, ita hoc ſecundum in eo conſiſtit, quod fuerit aliquid prætermiſſum. Quippe docet hoc Julianus Jctus in *l. 12. ff. de ll.* non poſſe omnes articulos ſigillatim aut legibus aut Sctis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, ad ſimilia procedendum eſſe: traditque hoc idem Ulpianus *l. 13. ff. eod. quod in re pari valet, valeat in hac quæ par eſt; ut quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & ſunt ceterarum omnium quarum annuus eſt uſus. Valeat æquitas quæ paribus in cauſis paria jura deſiderat*, inquit Cicero *in Topicis a. 22.* Huc pertinet *l. 7. ff. de juriſd.* ubi Ulpianus adfert exemplum, quomodo mens & ſententia legis protenditur, caſu expreſſo ad caſum imprudenter prætermiſſum. Pœna quingentorum aureorum edicto prætoris conſtituta erat in eum, qui propoſitum in albo prætoris corrupiſſet. Corrupit forte aliquis, cum nondum propoſitum eſſet, ſed dum proponeretur vel antea: quoniam conſtat hos caſus non conſulto, ſed imprudenter fuiſſe omiſſos, ideo dicit Jctus edicti quidem verba ceſſare, ſed ſententiam edicti & ad hæc porrigendam eſſe; vide etiam ſimile exemplum *in l. 2. ff. ad Sctum Tertul.* Eadem habent & aliæ leges, quarum in caſu ſimili non verba tantum, ſed mens & ſententia inſpicienda. Quamobrem Modeſtinus, *ſed etſi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legiſlatoris aliud vult.* Itaque naturalis ſemper cauſa eſt, quod lex ſcripta egeat emendatione & correctione, hoc fit per artem æquitatis, qua emendandum corrigendum & ſupplendum, in quo legiſlator deficit. Quamobrem tradit Pomponius, poſt latas leges XII. tabb. eveniſſe quod naturaliter evenire ſolet, ut earum interpretatio prudentum autoritatem neceſſariam, quæ diſputationem fori, deſideraret. Hæc fere ſunt argumenta

ta eorum, qui æquum & bonum ſtatuunt eſſe emendationem juris ſcripti ſive legitimi, ut inquit Ariſtoteles, quod præter legem ſcriptam juſtum eſt. Nos vero ſtatuimus æquitatem eſſe fundamentum, quo omnes leges tam naturales quam civiles innituntur, quoniam leges ex nulla alia cauſa proveniunt, quam ut dictent, quid juſtum, quid injuſtum eſt, & proinde regulam & normam agendi civibus præſcribunt quæ cum juſtitia convenit; atqui jam ante demonſtravimus æquitatem nulla ratione ſeparari vel ſejungi poſſe ab eo, quod juſtum eſt, vel juris nomine complectitur; quoniam quod juſtum eſt, id etiam æquum, & vice verſa; proinde æquitatem perperam legitimi juſti ſive juris ſcripti emendationem vocari, ſive bonum & æquum eſſe quod præter legem ſcriptam juſtum eſt, verum menti & rationi legis ineſt, licet forte ſcriptura non expreſſa, uti poteſt conſtare ex ll. & exemplis a nobis paulo ante adductis. Non quid litteræ & verba legis diſponunt, verum quid mens & intentio legiſlatoris ſit, indagandum cuique judici incumbit; nuda verba legis jus non faciunt ſed mens & ratio legis, quæ voluntatem & placitum Principis declarant. Quæ ſi forte ad omnes caſus quæ incidere poſſunt, ſalva juſtitia & æquitate applicari nequeunt, quin durum & injuſtum atque iniquum quid Princeps vel alius quiſquam magiſtratus ſummus ſtatuiſſe videretur, ſi legis diſpoſitionem litteris expreſſam ſequeremur, ratio dictat & jus atque æquitas ſuadet, imo præcipit, ut legem ita interpretemur, ne a juſtitiæ & æquitatis tramite deflectere videatur. Cujuſmodi interpretatio non eſt legis emendatio, vel correctio, verum intentionis legiſlatoris juſta & æqua explicatio & applicatio, quæ latius patet quam diſpoſitio verbis & litteris comprehenſa; quoniam præſumendum legiſlatorem in legibus ferendis nullum alium finem ac ſcopum habuiſſe, quam ut decerneret quid juſtum, & proinde quid æquum ac bonum eſt. Unde ſi quis ſcripturæ & verborum rationem duntaxat habens perſpiceret, ſi eam ſequentem in judicando ſecundum id, quod lege ſcriptum eſt, collatione facta ejus, quod legis verba dictant, cum facto ſive re in judicium deducta ad quam lex ſive legis dictamen applicari debet, haud æqui-

D tati

tati & juſtitiæ conſentaneam ſententiam laturum, illum non ſecundum, ſed contra legem judicaſſe & ſententiam tuliſſe ſtatuo. Quia ejuſmodi judicium repugnat menti & voluntati legiſlatoris, qui dum in ferenda lege ſpectavit illud quod juſtum & æquum eſt, eadem lege voluiſſe præſumendum, ut ſi aliquid iniqui vel injuſti ex applicatione legis ad factum, quod in judicium deductum, proficiſceretur, ne verba legis ſequeremur, ſed rationem & mentem legiſlatoris, quam ita interpretari oportet, ut cum juſtitia & æquitate conveniat, & proinde quod ipſe, ſi tale quid eventurum prævidiſſet, expreſſis verbis ſtatuiſſet, quod tacite omnibus diſpoſitionibus legiſlatoris ineſt, & proinde in ejuſmodi caſu ita diſpoſuiſſe intelligi debet, uti æquitas & juſtitia ſuadet; & hoc ſenſu dicitur, ſummum jus ſumma injuria, ſumma malitia, apud Terentium, & ſumma crux apud Columellam. Inde ſummo jure agere dicebant, pro eo quod non eſt ex æquo & bono, ſed iniquiore quodam jure & præfracto. Iniquum jus, quod juris nomine haud venire oportet, judex ſequitur qui generale jus captatis verbis, omnibus caſibus ſingularibus, non attenta legiſlatoris mente, & nulla circumſtantiarum habita ratione applicare velit; adeoque nullum jus ſtrictum, quatenus æquitati opponitur, agnoſcimus; quippe ſtatim atque ab ea recedit, non jus, ſed injuria eſt. Præterquam quod nullam obligandi vim habet, quoniam deſtituitur autoritate ſua, quæ a legiſlatoris voluntate dimanat, atque nihil aliud ſtatuere voluiſſe præſumendus, quam quod juſtum & æquum, & proinde ſi forte quid ſtatuit, quod ſi applicaretur, iniquum foret, contrarium potius ſtatuiſſe dicendum. Quia juſtitia ab æquitate, nec jus a juſto, nec juſtum ab æquo & bono ſejungi poteſt, hæc ſibi invicem arctiori vinculo quam nodo Gordio copulata, adeo ut nulla ratione ſeparari poſſint, quin jus in injuriam degenerare neceſſum ſit, unde ſtrictum nec ſummum jus, quatenus æquitati opponitur, non jus, ſed injuria: nam illud ipſum jus, quod ſtrictum vocamus, niti etiam ſua æquitate, probe circumſtantiis examinatis conſtabit; & ſi appareat æquitate deſtitutum, non jus ſed injuria eſt, nec producit obligationem, quia a mente & voluntate legiſla-

toris

Digitized by Google

toris recedit. Quamobrem dicere non erubeſcimus, omne jus eſſe æquum & bonum, non aliud ſtrictum, non aliud æquum. Et quatenus ſtrictum jus ab æquitate recedit, non jus eſt ſed injuria, uti ſtatim diximus. Recte itaque dicitur jus eſſe artem boni & æqui, idque de omni jure prædicandum. Quod ſi aliquando primo intuitu durum videatur quod lege ſtatutum, ipſa illa legis durities inſpecta ratione legis, & facta applicatione ad ſubjectum, quod fuit in cauſa, cur aliqua duritie & ſeveritate uti legiſlator fuerit coactus, ab æquitate atque juſtitia haud aliena erit. Itaque omne id quod jus, quod leges naturales dictant, & leges civiles conſtituunt, juſtum æquum & bonum eſt, neque aliud quid æquitatem ſuadere ſtatuendum, quin lege conſtitutum, licet non ſcriptum, attamen legis ſenſus & ratio eundem finem ſpectat, qui ſemper inſpiciendus, non verbis ſolum inhærendum, ſed intentio & mens legiſlatoris indaganda, quæ nunquam juſtitiæ & æquitati debet eſſe contraria; adeoque eorum, qui artem boni & æqui profitentur, proprium munus eſt, ut miſſa verborum ſuperſtitione, ex voluntate & mente legiſlatoris, legem interpretentur, ac denique id unumque agant, ut æquitati & juſtitiæ legis ſcriptura juxta intentionem & voluntatem legem ferentis aptetur atque omni ex parte cohæreat. Atque hac legis interpretandæ & applicandæ ratione adhibita, facile cuivis conſtabit, æquitatem perperam definiri emendationem juris ſcripti ſive legitimi, aut vocari illud, quod præter legem ſcriptam juſtum. Quoniam quod ex ipſa legis ratione deſumitur per interpretationem, non poteſt videri præter legem eſſe, imo recte legitimum appellatur perinde ac ſi expreſſum vel lege illa cautum eſſet. Quippe, uti ſtatim annotavimus, ſola legis verba non legem perficiunt, cum ſcire leges non ſit verba eorum tenere, ſed vim ac poteſtatem. Ex hiſce præmiſſis ſatis etiam conſtare mihi videtur egregie falli, qui æquum & bonum a jure legitimo ſive ſcripto diverſum quid eſſe ſtatuunt, quaſi nulla æquitas ſcripta, ſed omnis æquitas non ſcripta. Quæ opinio nititur illa ratione, quod æquitas eſt emendatio juris ſcripti & legitimi, & proinde ſi æquitas daretur ſcripta contingeret ſui ipſius emendationem eſſe, quod ine-

ineptiſſimum eſt, cum æquitas ſit correctio & moderatio legitimi ac ſcripti juris. Cui accedit, quod jus ſcriptum verba habet, quæ ſcribi poſſunt, æquitas mentem & ſenſum verborum qui ſcribi non poſſit. Quamobrem quidam juris interpretes æquitatem jus non ſcriptum dicunt, uti manifeſte æquum & bonum a ſcripti juris ratione diſtinguitur *l. 16. ff. de cond. & demonſtr. l. 2. §. 5. ff. de aqua & aquapluv. arcend.* Æquitas ſcripto comprehenſa nomen æquitatis amittit, juris vero & legis nomen aſſumit. Unde, uti notavimus, Ariſtoteles diſtinguit æquitatem a juſto legitimo, neque obſtare putant *l. 8. Cod. de Jud.* quippe τὸ *ſcriptæ* deeſt in antiquis exemplaribus. Verum quoniam leges vel jus legitimum ſive ſcriptum æquitate nititur, atque juris nomen meretur, quia æquum & bonum eſt, a quo ſi deviaret, injuria eſſet, ergo jus legitimum etiam æquum & bonum; & proinde perperam æquitas juri ſcripto contradiſtinguitur, adeo ut nulla æquitas ſit, quæ non alicujus legis æquitas eſt, & e contrario nulla lex, quæ non ſit æquitatis lex, id eſt, nulla æquitas quæ non vel expreſſim vel tacite legibus continetur. Si expreſſim ſcripta, ſi tacite non ſcripta vocari poteſt, quamobrem non opponenda juri ſcripto, verum cum eo conjungenda, imo ipſum jus æquitas, & proinde ſcriptum jus ſcripta æquitas, quo fit, ut pro æquo & bono habendum veniat judici id, quod lege ſcripta continetur, licet forte primo intuitu duriuſculum videatur, eo tamen collimat, ut aliquid durius evitetur, & ſic maneat æquum quod durum. Ego, inquit Henr. Gœhauſen *de jur. publ. & priv. per.* 1. 4. *Acad.* 3. *ſcriptam æquitatem neceſſariam & omnino admittendam eſſe exiſtimo, niſi in id jus videlicet, quo utimur, aut tantum ſine ſcripto conſtare, aut certe ſcriptum jus æquitate deſtitui, quod utrumque abſurdum, incidere velimus. Enimvero ſi æquitas ratione ſcripturæ deſinat eſſe æquitas, ut contrarium defendentes inquiunt, quid ſequeretur apertius, vel quid ſignificaret quod ab omnibus affertur æquitatem ſcriptam legis aſſumere nomen, æquitatis vero amittere. Æquitas igitur vel depoſuit ob ſcripturam ſuam eſſentiam, aut eam retinuit; ſi depoſuit, nullum jus, quod in ſcripturam redactum erit æquum; depoſuit enim juxta D. D.*

æqui-

æquitas ſuam eſſentiam, quæ conſiſtit in æquo ob intervenientem ſcripturam. Si vero retinuit: dicant contrariæ ſententiæ patroni, cur nomen ſuum cum eſſentia non retineat, cum nomina debeant eſſe rebus convenientia §. 3. inſt. de donat. & rerum vocabula ſint immutabilia. Unde concludimus, omne jus legitimum & ſcriptum æquum quidem eſſe, verum non quod æquum & bonum eſt ſemper ſcriptum. Ratio enim & ſenſus legis, tum etiam mens & voluntas legiſlatoris latius patet quam ſcriptura, & verba legis, quæ nullum alium ſcopum atque finem habet, quam ut ſemper cum juſtitia & æquitate conveniat, quod Principi placuit ut legis vigorem ſive vim habeat, quæ civibus pro norma & regula agendi, judici pro regula judicandi eſſe debet. Quamobrem Modeſtinus *l. 13. §. 2. ff. de excuſ. tut. ſed & ſi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legiſlatoris aliud vult.* Quippe uti antea annotavimus, cum infinita ſint ſingularia, nec omnes caſus qui quotidie emergunt, legibus poſſunt comprehendi, ſi in ejuſmodi caſum incidimus, ad quem verba legis uti ſonant, ſive jus illud quod his verbis expreſſim continetur, haud applicari poſſunt, quin aliquid iniqui haberet ejuſmodi applicatio, ratio & mens legiſlatoris inſpicienda, quam juxta rationis dictamen ſemper debemus interpretari, quia præſumendum, legiſlatorem eo collimare ſemper, ut, quod cum juſtitia & æquitate convenit, ſemper, & in omnibus caſibus obſervetur, legis habeat vigorem; atque cum ejuſmodi interpretandi neceſſitas profluit ex voluntate legem ferentis, quæ tacite omnibus legibus ineſt, ſtatuimus, omnem æquitatem vel ex ipſis legis verbis vel ſenſu & ratione dimanare, & proinde perperam æquitatem emendationem vel correctionem juris legitimi ſive ſcripti vocari, ſive id eſſe, quod præter legem ſcriptam juſtum eſt. Quod ſcriptum eſt æquum & bonum atque juſtum inſpecto caſu, fine & ſcopo, quem ſibi legiſlator in ferenda lege propoſuit. Non ſcripta, ſed cum ratione legis conveniens, & proinde ex legis ſenſu proficiſcens, æquitati conſentanea interpretatio, non eſt juris ſcripti emendatio & correctio, ſed ejus extenſiva & cum voluntate legiſlatoris conveniens applicatio, adeoque jus, quod expreſſis

verbis leges non complectuntur. Alterum æquitas ſcripta, alterum non ſcripta appellari poteſt, quæ ex eodem ambo fonte dimanant, ad unum eundemque finem tendunt. Non quaſi duplex æquitas eſſet, ut perperam mihi nonnulli opinari videantur, & altera alterius eſſet correctio, non ut ſcripta æquitas a naturali æquitate, quæ non ſcripta, ſed ex rationis dictamine deſcendit aliquando corrigatur, ſcriptoque juri æquitatem non quidem generis, ſed ſpeciei, id eſt æquitatis non ſcriptæ ratione opponi poſſe ſtatuant. Hanc æquitatem naturalem, illam civilem appellant. Illa eſt quæ ex naturali jure ſive rectæ rationis dictamine, altera quæ ex civilibus præceptis deſcendit. Verum, uti ſtatim diximus, hanc opinionem haud amplecti poſſumus. Quod enim æquum bonum & juſtum eſt, ſua natura ſimplex eſt, atque diviſionem non patitur, quod jure ſcripto ſive civili æquum & juſtum eſt, id etiam æquum jure naturali, quatenus ratio tam in jure civili conſtituendo, quam naturali jure dictando ſemper reſpicit æquitatem atque juſtitiam, ut cum ea habeant convenientiam omnia jura & omnes leges, quæ cum in ſocietate civili tum inter homines quatenus naturali cognatione ſibi conjunctæ ſervandum dictat. Hoc rationis dictamine, uti alibi annotavimus, in legibus ferendis legiſlatorem uti oportet, ita ut leges civiles ad rationis dictamen accommodatas, imo ex eodem profectas affirmare haud erubeſcamus, & proinde quod jure civili conſtitutum, idem etiam dictat ratio ſive æquitas naturalis, quæ in rectæ rationis dictamine fundata, atque ex eo tanquam fonte ſuo provenit. Quamobrem una eademque æquitas, quæ conſtat naturali & civili ratione, ex qua iterum conjunctim idem jus metimur. Inde æquum & bonum ex definitione Celſi & æquitas naturalis civiliter accommodata, ſive attemperata ad conſtitutionem & fabricam civilis ſocietatis, quamobrem Trebellio *de obligat. juſtitiæ lib.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *ſecundo modo accipitur jus pro ipſa regula juſtitiæ*, hoc eſt, pro ipſo dictamine ſive judicio rationis, quo regulantur operationes externæ juſſæ: & quod a D. D. dicitur lex uſitatiſſima acceptione, ſive ſit lex naturaliter menti indita, ſive poſitiva, & ratione ejus etiam lex ſcripta, quæ regula quoque earundem operationum exiſtit,

ſtit, & ab eodem judicio vim habet; qua ratione Ariſtoteles 1. *polit. cap.* 2. dixiſſe videtur, jus eſſe juſti judicium & ordinationem civilis ſocietatis. Ubi utramque regulam operationum juſtarum videtur voluiſſe ſignificare: nomine quidem judicii, priorem regulam mentalis dictaminis, cui externa actio juſta conformis eſt, per ordinationem vero civilis ſocietatis legem ſcriptam, qua civilis ſocietas gubernatur. De ea inquit Chryſippus *l. 2. ff. de ll.* Lex eſt omnium divinarum atque humanarum rerum regina, & regula juſtorum atque injuſtorum. Quod ex eodem fonte ex eodem judicio & rationis dictamine provenit, idem jus, eodem æquitatis nomine venit & continetur. Rectæ enim rationis dictamen nunquam juri ſcripto opponi poteſt, quaſi ab eo diverſum, multo minus ejus emendationem appellari, quo contingeret, ut ſui ipſius eſſet emendatio recta ratio. Verum quis talia fando audivit, quod ſcribitur & ad civilis ſocietatis fabricam accommodatur judicium & rationis dictamen ſive jus quod eo dimanat, & in ſcripturam redigatur, non eſt mutatio juris, ſed applicatio ejuſdem juris ad aliud objectum, ut ita dicam. Ex quibus conſtat, quam longe a vero aberrant, qui æquitatem a jure ſtricto diſtinguunt eandemque ei opponunt, atque juris ſcripti emendationem & correctionem eſſe fingunt. Quamobrem Jo. Garſias *de Expenſis cap.* 1. *a.* 28. minime ſubvertendæ ſunt leges, & Reipub. inſtituta conculcanda temere ſub ſpecie æquitatis: nam quæ æquitas ſine jure, ſine lege quæ ſcripta non eſt, ſed captioſe arrepta, peſtilentiſſimum virus eſt, & viro de re & vita civium agenti dira lues. Ergo æquitas debet eſſe ſcripta vel particulariter vel generaliter, vel aliunde deducta a jure ſcripto. Nonne Ulpianus ait Edicti de pactis æquitatem naturalem eſſe *l.* 1. *ff. de pact.* cur igitur negabimus æquitatem ſcribi, ſed juri ſcripto contra diſtingui. Unde etiam Cicero *in lib. Topic.* ipſum jus definit eſſe æquitatem conſtitutam illis, qui ejuſdem ſunt civitatis, id eſt jus proprium jus ſcriptum illis, qui ejuſdem ſunt civitatis. Unde ſequitur peccare Gotofredum, quod e *lege* 8. *Cod. de judiciis*, voculam *ſcriptæ* eliminaverit, forte quodam rancido juris manuſcripto ſeductus, uti inquit Herman Gœhauſen *de jur. publ.*

publ. part. 4. 3. Qui huic juris arti ſive diſciplinæ excolendæ operam navant, & boni & æqui præceptis cognoſcendis incumbunt, ut juſtum ab iniquo ſecernere poſſent, & definire quid cum juſtitia & æquitate convenit, quid ab ea recedit. Et juris Sacerdotes appellat Jctus, cum inquit, *Cujus merito quis nos Sacerdotes appellet.* Antea annotavimus, merito appellari Sacerdotes, qui juſtitiæ adminiſtrandæ & juri interpretando operam navant, quoniam dum hoc munere funguntur quaſi miniſtri Aſtreæ virginis divinum opus ſuſcepiſſe videantur, cum juſtitiam adminiſtrare eamque colere, & quid juſtum quid iniquum ſit, interpretari atque alia ratione efficere, ut cuique notum ſit, quid juſtitia vetat vel imperat, ut in totius vitæ curſu ſibi agendi regulam & normam præſcribat, quæ cum juſtitiæ præceptis convenit, adeoque honeſte vivat, alterum non lædat, ſuum cuique tribuat, nihil aliud ſit, quam cultui divino vacare, & ſacra Aſtreæ virginis curare atque peragere. A ſacris enim Sacerdotes dictos eſſe conſtat, quod Diis ſacrati ſunt & dicati ad ſacrificia peragenda. Quoniam autem & juſtitiam & leges ipſas res ſacras & ſanctas Jcti colunt, ac de jure conſulentibus reſpondent, eoſque informant de eo quod juſtum & bonum ac æquum eſt, merito Juſtitiæ Sacerdotum titulo ab Ulpiano cohoneſtantur. Fuerunt quidem apud Romanos varia Sacerdotum genera, Flamines, Diales Martiales, Quirinales, Salii, Pontifices minores & maximi, quorum diverſa quoque munera, omnium tamen præcipuum munus fuit juſtitiam Dei filiam colere, ob eamque rem quotidie in publicum prodire; ut de futuris, atque agendis reſponſa conſulentibus darent. Inde Juriſconſultos, qui bonum & æquum profitentur, & de jure civibus reſpondent, Sacerdotes appellatos cum Ulpiano dicimus, inquit Coraſius *comment. de juſt. & jur.* Theod. Marcilius *in explic. inſtit. tit. de juſt. & jur.* haud in lege noſtra Jctos juſtitiæ, ſed juris Sacerdotes ſcribi dicit. *Cujus*, intelligi Ulpianus voluit, *artis æqui & boni.* Subjungit autem, *juſtitiam namque colimus &c.* Ut ſi diceret, juris Sacerdotes ſumus, ſive juris ſacris operam damus, juſtitiæ vero clientes ſumus quaſi patronæ juſtitiæ Deæ ſunt Flamines, ars juris vice Sacerdotum & Flaminum habet Juriſcon-

conſultos. Duæ illæ differentes Deæ, juſtitia & ars juris, duo Sacerdotia. Sacerdotium juris ante Sacerdotium juſtitiæ. Hoc autem Sacerdotium duplex, unum Flaminis, alterum Principis & Judicis. Verum pronomen *cujus*, non ad proximum, ſed ſuperiorem verſiculum referendum, ubi juſtitiæ mentio facta eſt, cum Beſoldo cenſemus. Idque vel ex eo perſpicimus, quia loco rationis cum Sacerdotes vocari mereantur JCti, additur, *Juſtitiam namque colimus:* & vero cultus divinus ſpectat ad Sacerdotes. Jus enim ſancit formatque omnes juſtitiæ partes; qui itaque huic arti dat operam, cultui Deæ juſtitiæ vacat atque inſervit, dum ejus præcepta ac ſanctiones interpretatur, jurisprudentiæ arcanas ſubtilitates aperit, & ſanctiones erudite enodat, atque hac ratione quid cum juſtitia & æquitate convenit docet, reſpondetque, adeo ut ſuum cuique juxta rationis & æquitatis dictamen tribuendo juſtitiam venerantur atque colant JCti tanquam juſtitiæ Deæ Sacerdotes atque Flamines. Et quemadmodum unius templi primarius Sacerdos Antiſtes dicebatur, quia cæteris anteſtaret & antecelleret conſulentibus ipſi reſponſa dantes. Ita quoque conſtat Servium Sulpitium tanquam ſanctiſſimi juſtitiæ ſive Deæ Themidis templi Sacerdotem primarium juris Antiſtitem appellatum fuiſſe, teſte Quint. *lib.* 11. *cap.* 1. Quod longe omnium Sacerdotum hujus Deæ juris ſcientia habitus ſit meritiſſimo Princeps *l.* 2. *§. Servius ff. de orig. jur.* Nec rationem video cur non & cæteri JCti, qui juris arti operam navant & conſulentibus reſponſa dant, juris eodem titulo decorari mereantur, tanquam ſanctiſſimi juſtitiæ templi Antiſtites & Aſtreæ virginis Sacerdotes. Sic apud *Cic. in Verr. Cereris Sacerdotes, & illius fani Antiſtites.* Sic *Antiſtites Jovis*, i. e. Sacerdotes, Nepos *in Lyſ. cap.* 8. Vide quæ de Cerere annotavimus 1. *diſſert.* Et merito Sacerdotes Jovis JCti vocantur, Jove authore & quaſi patre, cujus partes in jure dicundo, atque definiendo ſuſcipiunt. Suadere id nobis videtur vetus hiſtoria, quam ex Ennio refert Lactantius, & illius ſacra hiſtoria. *Ea tempeſtate*, inquit, *Jupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, & eo ad eum in jus veniebant, ſi quæ res in controverſia erat.* Qui itaque juſtitiam colunt, ſive in admini-

E

Digitized by Google

miniſtrando & jure condendo, cujus partes Princeps ſuſtinet, ſive interpretando ſive reſpondendo juris artem profitentur, omnes merito Sacerdotes appellantur, & juſtitiæ templi ſanctiſſimi Antiſtites. Quamobrem ipſa Digeſta, quoniam hiſce continentur juſtitiæ atque æquitatis leges, vocantur proprium & ſanctiſſimum juſtitiæ templum, & ob hanc rationem earum interpretes juſtitiæ Sacerdotes *l. 1. §. 5. Cod. jur. vet. enucl.* Unde Ulpianus rationem, cur JCti Sacerdotes dicuntur, referens mox adnectit:

Juſtitiam namque colimus; id eſt, veneramur eam veluti Deam, dum ejus ſacris peragendis damus operam, adminiſtrando juſtitiam, ſuum cuique tribuentes, juſtum ab iniquo ſeparantes, & docentes quid cum juſtitia convenit, quid ab ejus tramite recedit, ut in omnibus negotiis peragendis ea obſervetur & agendi & judicandi ſit cuique norma & regula: hujus enim obſervantia eſt cultus & veneratio Deæ debita. Eam præſtamus quoties juſtitiæ paremus, atque ejus præcepta interpretamur & aperimus, & ad eorum obſervantiam vel præmiis alios invitamus, vel pœnæ metu & formidine impellimus. Cur non eodem titulo cohoneſtarentur qui noſtra ætate juri dicundo non duntaxat præſunt & juſtitiam adminiſtrant, verum etiam juris Profeſſores & Doctores cauſarum Patroni & Oratores, nullam rationem video. Quamobrem Aſſeſſores ſummi tribunalis Imperii, quod Spiræ Nemetum eſt, etiam appellari juſtitiæ Sacerdotes in lege Imperii lata Ratisbonæ 1654. §. 157. teſtatur Feltman *comment. ad h. t. §.* 4. uti quoque iis, qui in Galliarum tribunalibus juri dicundo præſunt, tribuit Louet *Recueil de aucuns notables arreſts. lit C. arreſt.* 31. Sic etiam juris Profeſſores Socerdotes vocantur, qui arcanas juris prudentiæ ſubtilitates dilucide aperiunt, profundaſque civilis ſapientiæ regulas ac ſanctiones erudite enodant eviſcerantque, nec non etiam ſacras divorum Principum conſtitutiones, atque reſponſa antiquæ jurisprudentiæ pleniſſima conſideratiſſime interpretantur, ad exemplum id genus apud Gentiles Sacerdotum, qui fatidicorum & vatum incognita effata interpretabantur, Beſold. *de lib. jur. lib.* 1. *pand.* Hoc dignitatis ornamentum, nonnullis præbuit argumentum, ut ſcriberent, eum qui

qui publicum juris Profeſſorem ſeu Doctorem publico ſalario conductum offendit, publici criminis reum eſſe, & contumeliam non minus eſſe atrocem, quam ſi ſacrificulo irrogata foret injuria *l.* 10. *C. de Epiſc. & Cleric.* uti poſt Bald. & Fulg. annotavit Coraſius *comment. ad h. tit.* Doctoribus juris, Advocatis & cauſarum Patronis, eundem titulum adſcribit Langleus 1. *ſemeſtr.* 5. *p.* 59. eoſque Sacerdotes eſſe juſtitiæ omni dubio carere, inquit Berlichius *p.* 1. *concl.* 44. *n.* 51. Iisque non ſecus ac Notariis poteſtatem conficiendi inſtrumenta ad exemplum Sacerdotum attribuit. Ratio ipſi eſſe videtur, quia etiamſi Clerici & Sacerdotes non debeant exercere officium tabellionatus, quoniam eſt infra dignitatem Sacerdotalem, uti etiam gradum & dignitatem Advocati; tamen ſi exerceant, valent inſtrumenta a Clericis confecta, & proinde quoque concludit, ſi Advocati & Doctores juris inſtrumenta confecerint, tunc ea tamen firmiter valere, & plenam fidem mereri, ac ſi a Notariis legitime creatis confecta eſſent. Verum rejiciendam hanc opinionem alii ſtatuunt. Quamvis concedamus Berlichio iſtos, quos jam Doctores juris dicimus, Sacerdotum titulo cohoneſtandos; tamen inquit Ger. Feltman, ſcire nos oportet ob ſpectatam & jurejurando confirmatam fidem Notariis iſtud jus competere, & ab his per interpretes prorogari ad Sacerdotes ex ratione ſingulari, quæ vetat de horum fide dubitari. Jam vero conſtat, quod ea, quæ contra rationem juris communis recepta, non debeant trahi ad conſequentiam *l.* 14. *ff. de ll.* Hoc vero titulo cohoneſtari non merentur, qui ob lucrum captandum juris arti operam dant, & linguam venalem habent, adeoque quæſtuoſe juſtitiam colunt; jus enim per ſe ipſum expetendum & colendum eſt; quod ſi jus, etiam juſtitia, Cic. *lib.* 1. *de leg.* Eſt enim, ut Ulpianus ſcribit, res ſanctiſſima juris civilis ſapientia: quam pretio nummario non convenit dehoneſtari, *l.* 1. §. 5. *ff. de var. & extraord. cognit.* Pergit autem Ulpianus,

Et boni & æqui Notitiam profitemur. Habet hic JCtus ſermonem de Legum Doctoribus, qui alios jus docent juris præceptis, quæ juſtitia & æquitate tanquam ſuo fundamento & baſi innituntur, & proinde boni & æqui Notitia diſcipulo-

 rum

rum animos imbuunt. In hac ſignificatione occurrit apud Ciceronem *de Amicit.* 16. *Quamobrem quæ diſputari de Amicitia poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur.* Et *orat. in Piſonem* 56. *Qui philoſophiam profitetur, graviſſimam ſuſtinet perſonam.* Sic legum Doctores, qui alios jus docent, æqui & boni Notitiam profiteri dicuntur, hi leges in artis quandam formam redactas, atque adeo præcepta, æqui & boni, diſcipulis tradunt atque explicant, iiſque inculcant, eoque ſenſu iſto verbo utitur Pomponius *l.* 2. *§.* 35. *ff. de orig. jur.* Notandum autem bonum & æquum hic ſimul jungi, quia pari paſſu ambulant, & a ſe invicem haud ſeparari poſſunt; eo ſenſu quo hoc loco utitur hiſce duobus vocabulis JCtus, ita ut bonum etiam ſit æquum juſtum & honeſtum, & vice verſa. Accurſius in ſuis *ad h. l.* commentariis bonum interpretatur eſſe quod utile eſt, & ab æquo illud diverſum eſſe ſtatuit. Exiſtimat quippe hæc duo vocabula ſimul jungi ſolere, quia multis in rebus æquitas utilitati conſentit, quamvis ſæpenumero etiam ipſi adverſetur. Datur, inquit, quod bonum ſimul & æquum eſt *l. ſi & me ff. ſi cert. pet.* idque utplurimum evenit, datur quod bonum eſt, ſed non æquum *l.* 1. *ff. de uſucap.* Item contra datur interdum quod æquum tantummodo & non bonum eſt *l.* 8. *Cod. de part. conven.* quo loci habetur eſſe quidem bonum atque utile mulieri res ipſius a marito gubernari, verum id fieri æquum non eſſe, ſi mulier adverſetur. Verum Accurſium toto cœlo erraſſe hac in re exiſtimat Bolognetus de *leg. jur. & æquit.* Budæus *comment. ad pand. h. t.* atque ſtatuit cum Budæo, concludendum eſſe duo hæc vocabula *æquum & bonum* quoties ſimul junguntur, illud ſignificare quod Ariſtoteles vocat ἐπιεικὲς, cujus Græci vacabuli vim, quoniam non uno tantum vocabulo Latini exprimere poſſunt, ſolent hæc duo adhibere, quibus non duæ, ſed una eademque res ſignificatur. Adeoque ſæpe etiam dempta copula dicunt *æquum bonum.* Præterquam quod perperam exiſtimat vulgus particulam *&* poni inter diverſa, quod recipi non oportet. Et licet bonum idem ſit quod utile quibuſdam in locis, uti in *l.* 3. *§. ſi quis ex ff. de bonor. poſſeſ. contr. tabul. l.* 1. *ff. de uſucap.* Tamen cum jungitur æquo, tunc nihil aliud quam

æqui

æqui ſignificationem retinet, præterquam quod nec *in dict. l. 8. c. de pact. convent.* æquitas boni domitrix ab utili abhorret, cum perutile ſit mulieri & proinde æquitas quoque dictet, ne ſe invita maritus (qui ſæpe ſolet dotem ipſam prodigere) res præter dotem adminiſtret prætextu perfidiæ inter conjuges evitandæ. Sed & bonum per ſe pro eo quod fas eſt atque juſtum ſumitur, ut apud Saluſtium in *Jugurthin.* de Scauro Romano ſermonem habentem, *Magnitudine pecuniæ*, inquit, *a bono honeſtoque in pravum abſtractus eſt.* Nihil bonum dici poteſt ratione convenientiæ, quam actus humani cum juſtitia atque honeſtate & æquitate habere debent, niſi quod æquum & juſtum, & ſic quoque nihil utile, quam quod juſtum & æquum atque honeſtum. Quamobrem utilitas paſſim uſurpatur in jure pro ſincera æquitate ſcrupulis juris, ſive potius cavillationibus & ab æquitate & juſtitia aliena interpretatione carens. Sic jus civile utile eſt omnibus, aut pluribus *l fin. h. tit.* nempe dum æquitatem inter eos conſtituit; dum conſtituit quod ratio & æquitas dictat quid bonum atque juſtum & proinde utile eſt inter eos, qui ejuſdem ſocietatis civilis membra ſunt. Quippe quemadmodum utile nunquam pugnare debet cum honeſto & proinde juſtitiæ & æquitati repugnare, ita quoque nec bonum, ſumpto pro eo quod utile eſt, ab æquitate diverſum eſt, verum cum ea convenit & pari paſſu ambulat. Quamobrem Cicero, *quod rectum & honeſtum & cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum. Paradox.* Unde Seneca *epiſt. 71. Unum bonum eſt quod honeſtum eſt.* Scil. quod juſtum, quod rectum, quod æquum, & proinde quoque bonum & utile, nec utile quicquam quod non honeſtum. Ex quibus patet nequaquam aſſentiendum Accurſio, dum ſtatuit jus civile aliquid admittere, quod bonum non vero æquum. Exemplum uſucapionis adfert bono publico inductæ, & cum jactura aliena quemquam locupletantis, ob hoc ſolum ne dominia rerum in incerto fluctuarent. Verum cum ſocietatis civilis pacem tuetur & concordiam conſervat, ejuſque utilitatem promovet uſucapio, haud ab æquitate & rectæ rationis dictamine aliena eſt, verum ab ea introducta cenſeri debet; ad pacem autem tuendam maxime neceſſarium dictante ratione, ut quis

 rei

Digitized by Google

rei alienæ bona fide longo tempore poſſeſſæ dominium ſibi poſſet acquirere, ne dominia incerta certam litigandi præberent cauſam, neve poſſeſſoribus in perpetuum poſſet lis moveri ſuper poſſeſſione ſua, adeoque hac ratione innumeræ tollerentur controverſiarum cauſæ. Quippe ut inquit, Puſendorf. *de jur. nat. & gent. lib. 4. cap. 12. Quemadmodum dominia rerum pacis cauſa ſunt introducta, ita & illud ex eodem fonte promanat, quod poſſeſſores bonæ fidei aliquando ſunt in tuto collocandi. Nulla autem ad tranquillitatem expeditior via, quam poſt uſucapionem completam antiqui dominii jus declarare extinctum.* Præterquam quod ſocietatis civilis conſervatio atque utilitas id efflagitat, quia ſublato uſucapionis jure res perditum irent, cum nemo agros poſſeſſos colere dignaretur, ſi perpetuo metueret de adventu verioris domini ſuum revocaturi, nec res mobiles ſatis bene cuſtodiret. Quamobrem dicendum inquit Forcatulus *de juſt. & jur. comment.* propter magnam vim utilitatis æquitatem ineſſe aut ſuperari. Præterquam quod parum moleſtiæ credatur ſentire ſi quis in perpetuum carere cogatur re illa, qua per magnum vitæ ſpatium æquo animo caruit, ac intra quod de aliis rebus ſatis ſibi potuit proſpicere. Huc pertinet illud Ciceronis *offic. 2. Quam habet æquitatem, ut agrum multis annis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat.* Nec damnum ſentire videntur, quod culpæ ſuæ & ſecordiæ acceptum referre debent *l. quod quis ff. de R. J.* Cui accedit quod, uti inquit ſtatim allegatus Juriſconſultus, ignavus dominus ſinens tempus à jure præſtitutum effluere ſine cura rei ſuæ, pacto intelligitur tranſtuliſſe, cui æquitas cumulate jungitur *l. 69. ff. de jur dot. l. 1. ff. de pact.* quamobrem lex ait, iniquiſſimum eſſe auferre cuiquam dominium quod uſus non abſtulit. *l. 19. & 20. ff. ex quib. cauſ. maj.* ergo uſu quæſitum iniqui nihil continet, dura quidem eſt uſucapio, inquit, dum gignitur, dum adoleſcit: atqui dum conſummata eſt, nihil invenit juſtius. In ſumma quod dicitur bono publico inductam fuiſſe, non pellit juſtitiam ſingularem *l. 18. §. denique. ff. de uſufr.* Imo eo melius aliquid eſt, quo juſtius invenitur, ita ut bonum ſit & æquitate non deſtituatur. Quamobrem & gentes fere omnes

nes

nes moratiores, qui rationis dictamine reguntur, uſucapionem & longi temporis præſcriptionem non iniquam eſſe judicarunt. Unde apud Iſocratem, *ſed nec illud eos præterit, poſſeſſiones ſive privatas ſive publicas, præſcriptione longi temporis & confirmari & patrimonii loco habendas, perſuaſum eſſe omnibus.* Vid. *comment. in Grot. de jur. bel. & pac. lib.* 2. *cap.* 9. §. 5. Apparet quoque Jctum in conjungendis hiſce vocabulis unam eandemque ſignificationem utriuſque vocabuli indicare voluiſſe ex verbis ſequentibus:

Æquum ab iniquo ſeparantes. Si enim aliud quid ſignificare vocabulo *bonum* voluiſſet Juriſconſultus, quod ab æquo diverſum, proculdubio in prædicato ejus quoque mentionem feciſſet: quippe dum prædicat de notitiam boni & æqui profitentibus, quod æquum ab iniquo ſeparant, addere debuiſſet, bonum ſive quod utile duntaxat eſt ab æquo ſeparantes, quatenus non ſemper cum æquitate conſentit id quod utile dicitur, ſed ab ea quandoque diverſum. Verum quoniam id quod bonum ſive utile in jure vocatur, nunquam a juſtitiæ tramite deflectere, nec æquitatis rationi repugnare poteſt, quia iniquitatem redoleret, dum deſcribere animum induxerat, quomodo in excolenda juris arte legum Doctores, qui boni & æqui notitiam profitebantur aliis, ſuam operam præſtabant, aut *æquum ab iniquo ſeparantes*, id eſt docentes præcepta boni & æqui, eaque diſcipulis ſuis præſcribentes æquum ab iniquo ſeparandum, ut utriuſque ſcientiam ſibi poſſent comparare. Eodem fere modo Seneca *de benefic. lib.* 6. *cap.* 12. *Prius hanc quæſtiunculam dividam, & rem æquam ab iniqua ſeparabo.* Complectens *æquo*, etiam id quod bonum & utile eſt. Quoniam, uti paulo ante notavimus, quicquid non æquum eſt, id nec bonum nec utile, veram & non ſimulatam philoſophiam affectantes Juriſconſulti exiſtimant: moralis enim philoſophia, quam hic veram philoſophiam appellat Jctus, nihil bonum nec utile eſſe agnoſcit, niſi quod ſimul rectum, juſtum atque honeſtum eſt, id eſt cum juſtitia & æquitate convenit. Ita ut quicquid ab ea recedit, nec bonum nec utile; verum iniquum & injuſtum ſit. Quatenus hic ſermonem habemus de ſignificatione boni æquo juncti. Nec fieri aliter poteſt, quam ut id, quod in ſe ſpe-

ctatum bonum eſt, etiam ſimul ea ratione æquum ſit: licet illud ipſum nonnullis accedentibus circumſtantiis iniquum eſſe incipiat, propter quas tunc etiam non ultra bonum erit, ut inquit Joh. Voet. *Comm. ad pand. ad h. tit. §. 5.* Quamobrem uno eodemque verbo bonum & æquum complectitur Ariſtoteles, quoniam ſejungi non poſſunt. Male igitur & inſcite Accurſius æquum & bonum diſtinxit, ut cum Budæo loquar.

Licitum ab illicito diſcernentes: Jctus hic non duntaxat ſermonem habet de eo quod licitum vel illicitum jure civili ſive poſitivo, quod quiſque populus ſibi conſtituit & normam atque regulam agendorum præſcribit cujuſque civitatis ſive quarumcunque Rerumpub. ſubjectis atque civibus, quod omnem obligandi vim habet ab eo, qui in ſingulis civitatibus ſummæ rerum præeſt, & proinde legum ferendarum habet poteſtatem: verum etiam de eo, quod licitum vel illicitum eſt jure communi ſive morali ex rectæ rationis dictamine dimanante, utpote quod baſis & fundamentum eſſe debet omnis juris poſitivi, quamobrem jus civile non in totum a jure naturali recedere ait *l. 6. ff. h. t.* uti quoque patet ex juris præceptis, quæ *l. 10.* deſcribit, quæ mere juris naturalis ſive moralis ſunt. Quem finem cum jus naturale tum etiam civile conſequi intendit. Quamvis jus civile non per omnia juri naturali ſervire poſſet, attamen ei non repugnat, imperans quod illicitum, vetans quod licitum eſt dictante ratione. Quippe poſtquam homines in civilem ſocietatem coiverunt, evenit, ut multa quæ licita in ſocietate naturali, illicita in ſocietate civili, libertatem naturalem ſuis circumſcribendam cancellis efflagitante conſervatione & ſalute ſocietatis civilis, ita ut in ſocietate civili libertas non adeo late pateat, quam in ſtatu naturali, in quo quiſque ſui plane juris; non alieno obtemperans imperio, ſibi legem & normam agendi præſcribit, & licitum ab illicito diſcernit ſuo pro arbitrio, dictamine præeunte tamen rectæ rationis. Quicquid autem licitum ſibi videtur, in actum deducendi propria auctoritate facultatem habet, & huc pertinet libertatis naturalis deſcriptio ſive definitio, quam Imperator tradit *§. 1. inſt. de jur. perſon. quod ſit facultas naturalis ejus, quod cui-*

Digitized by Google

cuique facere libet. Verba autem quæ ſequuntur, deſcribunt libertatem, quam quiſque habet in ſtatu civili, ſive quæ competit cuique ſocietatis civilis membro, ſcil. jure & legibus circumſcripta, adeoque licitum ab illicito diſcernendi & proinde agendorum normam ſibi præſcribendi non cuique membro facultas competit, verum leges eam dictant, & ſoli Principi vel ſummo Magiſtratui reſervata ejuſmodi poteſtas. Ille quid licitum quid illicitum legibus a ſe latis definit, & regulam ac normam agendorum civibus præſcribit, ut alibi annotavimus. In civili ſocietate licitum ab illicito diſcernere dicuntur illi, qui juris arti operam dant, & legum interpretandarum ſcientia præditi, uti Juriſconſulti, æqui cum moralis tum politicæ prudentiæ ſtudioſi eſſe debent. Illi docent quid leges jubeant vetentque; & proinde ſua docendi ratione licitum ab illicito diſcernunt. Latet me ratio cur vir doctiſſimus Feltman in ſuis *Commentariis ad h. l.* hæc uti nec ſequentia verba ad Profeſſores, ſed ad Juriſconſultos ſpectare ſtatuit. Quippe Juriſconſulti nomen generale eſt, & complectitur tam illos qui jus interpretantur, quam qui in foro cauſas agunt & patrocinantur; imo vero ſi proprietatem verbi attendere velimus, juris Anteceſſor proprie JCtus dicitur, qui jus interpretando æquum ab iniquo ſeparat, & licitum ab illicito diſcernit, & quid cum jure ſive morali ſive civili convenit, quid ab eo recedit, docet atque reſpondet. Quamobrem legitur in lapidibus:

ÆMILIO. PAULO. PAPI-
NIANO. PRÆFECTO. PRÆ-
TORIO. JURISCONSULTO.
QUI VIXIT ANNOS XXXVI.
DIES X. MENS. III. PAPI-
NIANUS. HOSTILIUS.
EUGENIA. GRACILI.
TURBATO. IN SENIO.
HEU PARENTES.
FECERUNT.
FILIO. OPTIMO.

Videſis Ferretium in *Muſis lapidariis lib. 9. memoria.* 19. Quoniam Ulpianus paulo ante ſermonem habet de legum Doctoribus, qui æqui & boni notitiam profitentur, id eſt juris Anteceſſoribus ſive Profeſſoribus, atque de hiſce prædicat, quod æquum ab iniquo ſeparant, cur ſequentia verba *licitum ab illicito diſcernentes*, magis ſpectarent ad Juriſconſultos, quam ad Profeſſores, qui eodem nomine comprehenduntur, uti ex ſtatim allegata inſcriprione patet. Non me fugit antiquitus apud Romanos, uti notat idem auctor, Juriſconſultorum fuiſſe differentiam, cum alii eſſent Anteceſſores vel Sophiſtæ, qui jus interpretabantur publice; alii Juriſconſulti, qui populo auctoritate Principum de jure reſpondebant, & poſtea Auctores juris, qui de jure dubitantibus, ſuis reſponſis auctores fiebant. Verum eodem nomine plerumque denotantur. Unde Hottomannum JCtum definit, qui tum juris civilis, tum æqui bonique peritus, populo ſe ad agendum, cavendum, interpretandum, reſpondendumque dedit; ad omnes enim, qui juri dant operam, tum præcedentia tum ſequentia verba ſpectare reor. Subjicit autem Ulpianus,

Bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Quoniam humana natura adeo depravata & omni vitiorum genere inquinata eſt, ut ad quæcunque ſcelera committenda & flagitia patranda quam ad juſtitiam colendam & morales quaſcunque virtutes ſectandas magis prona ſit atque inclinet, efflagitabat conſervatio ſocietatis civilis, a qua pendet ſalus generis humani, ut cum formidine pœnæ, tum etiam præmiorum remuneratione ſive exhortatione bonos efficere ſumma ope nitantur illi, qui ſummæ rerum præſunt Reges atque Principes & ſummi Magiſtratus. Quamvis recto ſenſu haud boni illi prædicari poſſint, qui oderunt peccare formidine mali, verum illis duntaxat tribuendum hoc elogium, qui virtutis amore & naturæ bonitate juſtitiæ tramitem ſequuntur, attamen cum intima cordis penetralia rimari & perſcrutari haud poſſumus, bonos vocare ſolemus, quorum vitæ degendæ ratio & actiones, quæ ab illis proficiſcuntur, cum juſtitia & honeſtate habent convenientiam, licet forte ſublato pœnarum metu ſponte & naturæ bonitate vir-

Digitized by Google

virtutis amore impulſi non facerent, quæ jura & leges ſive morales ſive civiles facienda præcipiunt. Hiſce itaque duobus veluti vinculis pœna & præmio univerſa Reipub. ſalus continetur, quamobrem hæc duo fundamenta Reipub. ſtabiliendæ vocabat Democritus. Huc pertinet quæ Cato apud Tullium diſputat 3. *de nat. Deor. Ut enim nec Domus nec Reſpub. ratione quadam & diſciplina deſignata videntur, ſi in ea nec recte factis præmia exiſtant, ulla nec ſupplicia peccatis.* Et Demoſthenes contra Leptinem, non facile Rempub. conſiſtere probat, ubi non eſt præmium virtuti propoſitum, & pœna ſceleri. De pœnis ait Phalerus primus Luciani, *Reſpicite aut ad legum ſcriptores etiam irrogandarum pœnarum rationi & conſuetudini plurimum tribuentes, quaſi ceterarum rerum nulla ſit exſpectanda utilitas, niſi metus malefactoribus eſſet propoſitus, ac certa ſpes conſtituta luendi pro flagitiis ſupplicii.*

Veram, niſi fallor, philoſophiam non ſimulatam affectantes. Habet hic ſermonem de illa parte philoſophiæ, quæ conſiſtit, ut mihi videtur, in publicis tractandis negotiis, colenda juſtitia, ſine qua nulla Reſpub. diu poteſt conſiſtere, adeoque præmiis diſtribuendis, & pœnis infligendis, quibus bonos efficere & in injuſtitiæ tramitem reducere ab ea avertentes interdum non duntaxat legumlatores, ſed etiam juris interpretes, & juri operam dantes, docendo quid faciendum quid fugiendum leges dictant, ut cum juſtitia & honeſtate conveniat vitæ ducendæ ratio quænam præmia decernenda virtutibus, pœnæ conſtituendæ ſceleribus. Nulla enim vitæ pars, ut cum Cicerone loquar, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, juſtitia vacare poteſt, quid verum honeſtum, quid juſtum adeoque ſequendum & faciendum, quid turpe quid injuſtum & proinde fugiendum in totius vitæ curſu, ſtatu & conditione, jura & leges dictant & docent earum interpretes & Juriſconſulti & proinde veram non ſimulatam philoſophiam affectant. Præcipiunt enim leges & jura honeſte vivendum, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum, moralis philoſophiæ genuina & vera præcepta, adeoque qui hiſce tradendis præceptis atque homi-

Digitized by Google

minum animis imbuendis incumbunt, merito philoſophi appellantur, atque veram non ſimulatam philoſophiam affectare dicuntur. Huc pertinet quæ ſcribit Plinius *lib.* 1. *epiſt.* 10. *Cum affirmat eſſe hanc philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam, quæque ipſi doceant in uſu habere.* Qui hiſce dat operam, veræ ſapientiæ ſtudium excolit, adeoque veram profitetur Philoſophiam, quæ nihil aliud eſt, quam ſtudium ſapientiæ, teſte Cicerone 2. *off.* quo virtutis officii & bene vivendi diſciplina continetur. Platoni triplex eſt philoſophia, λογικὴ quæ dicendi artes complectitur, de ſermone emendato, probabili & ornato; φυσικὴ quæ verſatur in indagandis & explicandis rerum qualitatibus & naturis; ἠθικὴ quæ præcepta de virtutibus & œconomia & politica gubernatione tradit; Seneca legem vitæ vocat. Adeoque hæc pars recte moralis vocata; in qua velut nobiliſſima, ceterarumque longe præſtantiſſima jus noſtrum verſatur potiſſimum, quamvis & rationale utcunque tractet. Quippe, uti inquit Fabius Quintil. *lib.* 12. *Orat. Inſtit.* Omnis juris quæſtio, aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis conjectura continetur, quorum pars ad rationalem, pars ad moralem philoſophiam redundat. Rectiſſime igitur dixit Ulpianus, juris ſtudioſos veram non ſimulatam philoſophiam affectari, utpote qua juſtus & honeſtus labor honoribus, præmiis, ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur: & docemur non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium philoſophorum, unus mihi videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare*, ut inquit Cicero. Huic autem philoſophiæ practico civium uſui accommodatæ ſimulatam opponit; quæ in ſola notitia ſive contemplatione conſiſtit, rerum inanium magis quam ſubtilium diſputationes perſequendo affectet.

ctet.

Digitized by Google

ſtet. Videtur itaque per ſimulatam JCtus noſter vel Epicureos, quos Seneca quoque notat, eos *delicatam & umbraticam turbam* vocans *lib.* 4. *de benefic. cap.* 2. vel ipſos quoque Stoicos intelligere, qui vel nimis rigide τὸ honeſtum urgebant, nec boni publici rationem habebant, vel qui cum magnifice de paupertate garrirent, cunctaſque laudarent ore virtutes, divitias tamen venabantur, & præter ſupercilium, barbam & pileum nihil habebant, quod philoſopho erat dignum, uti diſſerit Gerard. Feltman *Comment. ad. h. t.* ubi quoque in rationem inquirens cur Ulpianus ajat *niſi fallor*, hanc fortaſſis fuiſſe putat, quod ad ea, quæ Lucianus in *Hermotino* diſputat, aliave iis ſimilia reſpexerit. Quippe cum Stoicis tantum operam navaſſet, nec alios expertus eſſet, falli potuit æque ac Gelonis Syracuſiorum Tyranni uxor, quæ mariti fœtidum os non compertum habuerat, quod cum nullo viro eſſet congreſſa, vel tanquam Æthiops ille, qui omnes mortales nigros credebat, quod albos non vidiſſet umquam.

Lex I. §. 2.

Hujus ſtudii duæ ſunt poſitiones; publicum & privatum. Publicum jus eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Privatum, quod ad ſingulorum utilitatem. Sunt enim quædam publice utilia, quædam privatim. Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit. Privatum jus tripertitum eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

Hujus ſtudii duæ ſunt poſitiones, publicum & privatum. Hujus ſtudii, id eſt, juris, cujus in principio legis mentionem facit JCtus, cujuſque nominis derivationem deſcribit in bono

Digitized by Google

bono & æquo fundari duas eſſe poſitiones ſive ſpecies vel theſes & generales definitiones, circa quas omnes ſtudii juris verſari affirmat. Hoc ſenſu occurrit apud Quint. *lib.* 10. *cap.* 3. *Taceo de poſitionibus & declamationibus Rhetorum.* Eas autem, ut inquit Coraſius, eam ob rationem, poſitiones vocat, quod ſint juris noſtri veluti principia & fundamenta, quæ non alia egent demonſtratione. Duæ hæ poſitiones ſive ſpecies conſiſtunt in jure publico vel privato. Poſtquam homines ſtatus naturalis pertæſi, ob multa incommoda, quibuſcum continuo conflictari neceſſum erat, ut alibi diſputavimus, in ſocietatem civilem coaluerunt, cujuſmodi hominum cœtus quamvis ex diverſis membris compoſitus conſtaret, attamen, quia unum idemque imperium venerabantur, quaſi unum corpus conſiderari debet, & univerſitatem ſive civitatem repræſentat, quæ ſingula quidem membra complectitur, tuetur ac fovet, quatenus tanquam partes ejuſdem corporis participes ad ſingulas redundat atque provenit, commodum & utilitas, quam percipit univerſitas ſive Reſpub. aut civitas, cujus membra ſunt, verum ſeparatum tamen commodum & diverſa jura civitatis a commodis & juribus ſingulorum membrorum. Quamobrem JCtus dividit jus in publicum vel privatum; illud verſatur circa ſtatum & gubernationem imperii, ſive ſpectat adminiſtrationem ſocietatis civilis quacunque ex forma compoſita eſt & fabricata; privatum circa cauſas negotiorum privatorum agendorum occupatum eſt. Quippe omnes regulæ æqui & boni, ſive præcepta juris vel circa publicum vel privatum verſantur, atque ideo de utroque ars noſtra tractat, ut inquit Gerard. Feltman. Quamobrem licet arctiſſimum corpori cum membris, ex quibus conſtat, intercedat unionis vinculum, adeo ut eo diſſoluto totum intercidere neceſſum ſit, hoc tamen non obſtante, uti dicere incepimus, commodum & utilitas communis, certo quodam reſpectu, ſeparatum a commodo & utilitate ſingulorum membrorum, & proinde jus publicum dici poteſt, quod continet & dictat ejuſmodi præcepta boni & æqui, quæ principaliter & immediate publicam utilitatem & commodum totius univerſitatis populique ſalutem ſpectant: quod enim populi eſt, recte publicum

cum dicitur, quaſi populicum, & publica quæ ſunt populi. Quamobrem JCtus in *l.* 16. *ff. de V. S.* inquit, Publicam appellationem in compluribus cauſis ad populum Romanum reſpicere. Hoc ſenſu Perſ. *Satyr. t.* Rem populi tractas, dixit, pro, *Rempublicam adminiſtras.* Et Reſpub. res populi apud Plaut. *Rud. Act.* 19. *Scen.* 4. *Iſtic ubi vis, condormiſce: nemo prohibet, publicum eſt*; & idem in *Trinummo*: *Hoc ita ſi fiat, publico fiat bono*; Sic, *commoda publica.* Horat. 2. *Epiſt.* 1. Hoc ſenſu definit Ulpianus jus publicum, dum ait:

Publicum jus eſt, quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat. Quod ſpectat utilitatem & commoda Reipub. Romanæ, ſive quod ad adminiſtrationem Romani Imperii ſpectat: jus abſque legibus haud diu conſtare potuiſſet; *Rei* enim verbum, ut generale hic Ulpianus elegit, quo Romanum orbem & Imperium ſignificaret. Quemadmodum legimus Virgilium *res Aſiæ* dixiſſe:

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis, &c.

Et idem,

- - - - - - - - - - - *Res*
Agamemnonias, victriciaque arma ſecutus.

Vid. Servium. *Domina rerum Roma.* Ovidius. Nec alio ſenſu, *poteſtas, ſumma rerum*, apud Virgil. 2. *Georg. Cuſtos rerum Cæſar.* Horat. 4. *Carm. Ode* 15. Merito Gerardus Feltmannus exiſtimat, falli eos JCtos, qui ſtatum pro ipſa Repub. capiunt, quorum in numero Charles Loyſeau *des Seigneur. chap.* 1. 2. *n.* 6. Læl. Mancinus 1. *Genial.* 1. *n.* 4. & alii, qui *de ratione ſtatus* ſcribunt. Quo ſenſu ſive in qua ſignificatione apud claſſicos auctores nunquam occurit. Quippe, uti vel ex hoc loco perſpicimus, priſcis Romanis ſtatus diſtabat à Repub. & uti putat ſtatim allegatus auctor, per eum tunc firmamentum hujus intelligebant. Huc pertinet vetus illud, *Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque.* Verum a mente JCti Ulpiani & hanc ſignificationem alienam exiſtimo. Per *ſtatum* hic intelligo conditionem, formam, ac fa-

Digitized by Google

fabricam Reipub. Romanæ, atque ſic dicitur, *ordinare ſtatum Reipub. figere & fundare ſtatum Reipub.* apud *Cic. tueri ſtatum ſuum.* Idem, *Retinere ſtatum. Manere ſtatu ſuo, & in antiquum ſtatum redire.* Uti hi loquendi modi apud claſſicos auctores ſæpius occurrunt, quibus nihil aliud denotatur, quam conditio, forma, & fabrica Reipublicæ: adeoque jus publicum dici poteſt, quod ad ſtatum cujusvis Reipub. ſpectat, qualemcunque habet regiminis formam, ſive Monarchia ſit, ſive Ariſtocratia, qualis apud Venetos etiamnum hodie obtinet. Sive Democratia, qualis olim apud Athenienſes fuit, & hodie apud Helvetios. Refert hic JCtus jus publicum ad ſtatum Reipub. Romanæ, quoniam orbis imperium olim habebat, & proinde publici appellationem ad eam contracte refert JCtus: ceteræ enim civitates privatorum loco habebantur *l.* 15. 16. *ff. de V. S.* Interjecto vero tempore, quæ in quibuſque civitatibus communia ſunt, univerſorum eadem appellatione dici cœperunt *l. 6. §. 1. ff. de rer. diviſion.* Adeo ut deinceps, uti quoque hodie, recte jus publicum nuncupare poſſimus, quæ ad cujuſvis Reipub. vel civitatis ſtatum pertinent. Addit autem in deſcribendo jure publico non fruſtra, *illud eſſe quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat*; quippe non adjectis hiſce verbis, non abſque ratione jus publicum etiam referri poſſet ad jus gentium ſive jus naturale, utpote quod publico civili latius patet, atque non duntaxat regnis ſingulis & civitatibus congruat, ſed etiam omni hominum generi, & inter omnes gentes locum ſibi vindicet, ſive inter ſingulas familias, in quas diviſum mortale genus, antequam in civitates ſingulæ iſtæ familiæ coaluere, obtinuerit; & hoc ſenſu jus privatum dici poſſet, quod ad ſtatum cujuſque civitatis pertinet.

Privatum, quod ad ſingulorum utilitatem: ſunt enim quædam publice utilia, quædam privatim. Quemadmodum ad jus publicum referuntur præcepta boni & æqui, quæ directo & & principaliter ad ſtatum communem pertinent, & conſequenter ad utilitatem ſingulorum: ita ad privatum jus referuntur præcepta boni & æqui, quæ directo & principaliter ad privatorum utilitatem & commodum ſpectant, & conſequen-

quenter ad totius Reipub. componendam ſymmetriam & conſervandum univerſale corpus, atque ita ob arctiſſimum conjunctionis atque unitatis vinculum inter corpus ejuſque membra alter per alterum utilitatem percipit, & ſibi mutuo prodeſſe poſſunt, & ſicuti publico privatum aliquo modo prodeſſe ſolet, ſic quoque privato publicum prodeſt. Intereſt enim Reipub. habere bonos & locupletes cives, ſingulorum contra habere bene ordinatam Rempub. In legibus itaque ferendis atque promulgandis nullum alium finem intendere oportet legiſlatorem, quam utilitatem & commodum ſive Reipub. ſive ſingulorum civium. Verum quemadmodum publica privatis anteponenda ſunt, & totum ſit ſuis partibus nobilius, ita quoque rationi & æquitati convenit, ut legiſlator publicam magis quam privatam utilitatem promoveat, quoties invicem diſcrepant, *l. 51. §. ult. ff. ad. l. Aquil.*

Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit. Quemadmodum ſocietas civilis ex diverſis membris conglutinata, atque ut ita dicam, coagulata eſt, quæ ſibi quam arctiſſimo vinculo adeo devincta, ut unum quaſi corpus conſtituant; vinculum autem, quod tot partes, tot capita ſibi mutuo adeo devincit, ut unum idemque corpus efficiant atque repræſentent, eſt ſummum atque independens ſive eminens imperium, quod penes Principem & ſummum magiſtratum reſidet in Repub. ſive ſocietate civili, quod ſummo imperanti facultatem tribuit, qua omnium voluntates atque actiones ita dirigit atque moderatur, ut ad unum eundemque finem tendant, ſcil. ad conſervandam & tuendam univerſam Rempub. quæ abſque ejuſmodi conſpiratione atque harmonia haud diu ſubſiſtere poſſet; quoniam diſſenſu ſublata ejuſmodi concordia in varias partes diſtraheretur, & proinde concideret & ad interitum properaret. Quamobrem neceſſum eſt, ut univerſæ Reipub. ſive ſocietatis regimen atque adminiſtratio ſit penes eum, qui ſummæ rerum præeſt; quippe imperii diviſio diviſionem partium, & proinde diſſenſum & diſcordiam inter cives produceret. Præterquam quod ſummum imperium individuum quiddam eſt, cui ne minima quidem pars detrahi poteſt, quin deſinat eſſe ſummum imperium. Quod

G non

Digitized by Google

non eo ſenſu interpretandum, quaſi Princeps, ſi aliquam imperii exercendi demandaret partem, eo ipſo ſeſe privaret ſummo imperio; quippe cum ipſe non poteſt ubique præſens eſſe, nec ſupereſſe omnibus Reipub. negotiis & per ſe expedire quæcunque Reipub. ſalus & utilitas exigit atque efflagitat; neceſſum eſt, ut eorum adminiſtrationem demandet aliis. Verum ea mente id dictum volo, quod a ſummo imperio ſive ſumma majeſtate tanquam ex fonte & origine ſua dimanare debeant, ſi quæ aliis imperii exercendi partes delatæ, quas nomine Principis exercent, adeoque in fungendo officio ejus perſonam repræſentant, ita ut omnes honores & functiones, omniaque munera a Principe vi ſummi imperii tanquam a fonte ſuo derivari debeant atque conferri. Quamobrem inquit Ulpianus: *Is cui mandata juriſdictio eſt, fungitur vice ejus, qui mandavit, non ſua, l. 16. ff. de juriſd.* Quoniam igitur ſummum imperium complectitur adminiſtrationem univerſæ Reipub. proculdubio ſummo imperanti incumbit cura ſacrorum: nequit enim (uti ex iis, quæ diſputavimus, conſtat) dari Eccleſiæ regimen ſeparatum a regimine politico, quaſi independens & per ſe ſubſiſtens. Repugnaret illud fabricæ ſocietatis civilis, quæ, uti ſtatim diximus, tanquam unum corpus eſt, cujus caput eſt Princeps, & quod totum nequit in partes dividi, quin interire oporteat. Quemadmodum enim ex partium coalitione componitur, in earundem diſtractione diſſolvitur & eſſe deſinit, quod fuit. Si Eccleſia eſt pars ſeparata, a corpore politico, non una ſed duæ ſocietates efficiuntur, & imperium in imperio conſtitui neceſſum eſt: ita ut in illa inſit imperium Eccleſiaſticum, in hoc Politicum, utrumque tanquam in communi ſuo ſubjecto. Oportet quidem, ut, ob rationes ſtatim allegatas, ſint in Repub. & ſocietate civili diverſa ſeparata & a ſe invicem diſtincta collegia, quibus quorundam negotiorum ad Reipub. gubernationem pertinentium cura demandetur, verum hæc omnia ſubordinata ſunt ſummo civili imperio, quemadmodum etiam conventus & collegia ſynodalia & claſſicalia, uti vocari ſolent; verum quemadmodum horum omnium inſtitutio repetenda a regimine politico, ita quoque Eccleſiam gubernare debent juxta nor-

Digitized by Google

normam a ſummo magiſtratu præſcriptam, nec eorundem poteſtas patet latius, quam illam extendere placuit magiſtratui politico. Ita ut in bene ordinata Repub. nullum habeat vel ſaltem non habere oporteat forum ſive juriſdictionis exercitium, niſi a magiſtratu dependens. Quemadmodum Aaron pendebat ab ore Moſis fratris ſui, tanquam ſummi magiſtratus, eodem modo meminerint ſe pendere a nutu ſui magiſtratus, quotquot Eccleſiæ curam gerunt, ejuſque regiminis participes, non duntaxat quatenus ſunt cives & ſubjecti, ſed etiam quatenus omnem poteſtatem circa ſacra curanda atque adminiſtranda precario acceperunt a ſummo magiſtratu, cujus vice funguntur. *Poteſtatem in foro externo indiviſam eſſe poteſtatem, tum a Paſtoribus, Eccleſia, Synodis, tum a Curiis, Comitiis, Familiis, Societatibus quibuſcunque habitam, in quibus legibus ab iis latis, homines vel ad obſequium vel ad pœnam obſtringuntur, unam eſſe & ab uno ſummo magiſtratu emanare & derivari, neque eatenus diviſam, ut dentur duæ poteſtates coordinatæ in Rep. Chriſtiana, quarum altera a viris Eccleſiaſticis, altera a laicis ſuſtineatur; ſed alteram alteri ſubordinari*, inquit Molinæus. Cui conveniunt ea, quæ habet Muſculus: *Non docet magiſtratus, neque adminiſtrat Sacramenta, ſed faciunt hæc Miniſtri; in Conſiſtorio non judicat magiſtratus, ſed qui ad id officii ſunt ab eo conſtituti, & tamen ſuperior horum omnium auctoritas & poteſtas non eſt Miniſtrorum, ſed Magiſtratus: perinde atque in domo bene inſtituta omnium eorum, quæ agenda ſunt, ad patremfam. labores vero & miniſteria ad œconomiam & familiam pertinent: hac diſtinctione ſatis multum relinquitur Eccleſiæ miniſtris.* Hoc iis dictum volo, qui in hiſce, quæ ad ſacrorum curam ſpectant, ſpernere non erubeſcunt magiſtratus auctoritatem, qui Principi nullam conſtituendi quid circa ſacra, nullam cognoſcendi ſuper decretis ſynodorum poteſtatem relinquunt, quorum in numero *Jacobus Revius in libello contra Wedelium edito.* Præterquam quod rerum uſus id ipſum confirmat; verum Reipub. intereſt ut ejuſmodi opinio eradicetur ex civium animis, quæ ſummam parit diſcordiam, imo inteſtina bella excitat, quibus miſere dilaceratos aliquando fuiſſe hominum cœtus ſive ſocietates civi-

 les,

les, annales teſtantur ac veterum monumenta perhibent. Quid ſi a mundi primordio regiminis politici formam ac conſtitutionem repetamus, luce clarius patebit, curam ſacrorum non duntaxat, verum etiam ſacrarum rerum adminiſtrationem ſummum habuiſſe magiſtratum, adeo ut in Eccleſia populi Iſraelitici, ita quoque Chriſtiani nunquam fuerint diviſæ poteſtates; ſed poteſtas, quæ vocatur Eccleſiaſtica, fuerit ſubordinata civili imperio: dictante ratione, nullam poſſe ſubſiſtere Rempub. niſi civile ſive politicum regimen complectatur omnes Reipub. functiones & munera, uti paulo ante dicere incepimus, iiſque vel ipſe magiſtratus fungatur, vel ſuo nomine aliis gerenda conferat. Sic antequam hominum cœtus celebrari cœperunt, in ſingulis familiis paterfamilias, tanquam princeps & caput familiæ habebat ſacrorum curam; cujus exemplum nobis eſſe poſſunt Patriarchæ. Sic Abraham circumciſionis adminiſtravit ſacramentum. Uti quoque inter Arabes vir pietate inclytus Job pro familia ſua ſacrificavit, *Job.* 1. idque ex divino mandato, *Job.* 42: 8. Quamobrem obſervarunt viri docti Principibus & Sacerdotibus commune dari nomen כהן uti in ſocero Moſis, *Exod.* 2: 16. 3: 6. 18: 1. ubi Interpretes, vocantur autem magiſtratus & Principes Sacerdotes etiam in Scripturis, eo quod olim utrumque officium & ſacerdotale & politicum penes illos erat, ut etiam apud Ethnicos; & quod magiſtratus imprimis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciunt, promovere debet. Quamobrem maxime Dei miniſter vocatur *Rom.* 13: 4. *Principis eſſe curare ſalutem animarum ac ejuſdem ſaluti corporum proſpicere*, inquit quidam Theologus. Sic quoque in Repub. Hebræorum Reges non Sacerdotum, ſed ſuo imperio religionem ordinarunt, & curam ſacrorum habuerunt. Sic David Levitas inſtituit *Chron.* 23. 24. 25. Salomon in Sadocum dignitatem ſacerdotalem contulit. Ezechias congregavit Judæos ad Paſcha celebrandum, Levitas conſtituit. Joſaphat Sacerdotes & Levitas ordinavit. Nec deſunt Patres ac multi e noſtris Theologi, qui uno ore affirmant, curam religionis præcipue eſſe Imperatoriæ ſollicitudinis. Hinc Pet. Martyr, *docemus religionis curam imprimis pertinere ad magiſtratum ſanctum.* Quamob-

Digitized by Google

obrem Juſtinianus *cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium in ea volumus religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, accepimus* Et revera, ut ait Socrates *lib.* 5. *in prœmio.* Ex quo Imperatores Chriſtianorum ſacris initiati, Eccleſiæ negotia ab eorum nutu pependiſſe, & concilia eorum ſententia convocata eſſe. Et, uti paulo ante dicere incepimus, dictat naturalis ratio, religionis curam cum ſummo imperio oportere eſſe conjunctam; quia ſacrorum cura a ſummo imperio divelli nequit aut ſeparari, quamobrem etiam Imperatores Ethnici ſibi curam ſacrorum & imperium circa ea ordinanda vindicarunt, unde Romulus penes ſe eſſe voluit principatum ſacrificiorum & reliquorum ſacrorum, teſte Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. Hinc Imperatores Romani dignitate PONTIFICES MAXIMI. Eaque appellatione uſi ab Auguſto uſque ad Gratianum. Teſtatur de Hadriano Spartianus, *eum ſacra Romanorum diligentiſſime curaſſe, peregrina contempſiſſe, Pontificis Maximi officium peregiſſe.* Et notat Servius *Æneid.* 3. *Majorum fuiſſe hanc conſuetudinem, ut Rex etiam eſſet Sacerdos & Pontifex.* Unde hodieque dicimus *Imperatores Pontifices.* Quippe ut inquit Stobæus *Serm.* 96. *Neceſſe eſt perfectum Regem Imperatorem eſſe ſtrenuum & judicem & ſacerdotem.* Quoniam hæc munera ad ſummum imperium, ſcil. ad Principem pertinent. Imo tenetur magiſtratus, quatenus nutritius Eccleſiæ eſt, curare ea, quæ ad religionem colendam & res ſacras peragendas pertinent; conſtituti enim ad muros ejus ædificandos *Eſai.* 60. Ad quem igitur cura ſacrorum pertinet, ei quoque incumbit ea ordinare, leges & jura de ſacris peragendis condere & promulgare, de controverſiis cognoſcere & judicare, lites inter Miniſtros motas dirimere, atque ſopire. Recte itaque Ulpianus, *Jus publicum in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit.* Quemadmodum jura condendi, & leges ferendi poteſtas penes Principem eſt, quia ſummum habet imperium, ita ſolius Principis eſt curare, ut cum ſacra, tum profana negotia ita tractentur, ne quid inde Reſp. detrimenti capiat. Eorum autem quædam publicam, id eſt univerſæ Reip. utilitatem ſpectant, quædam ad privatorum commodum pertinent. Quo-

niam vero, ut alibi annotavimus, abſque religione & metu Numinis vix ac ne vix quidem in officio poſſunt contineri mortales, & proinde abſque ſacris Reſpub. ſtare haud poteſt, recte publicum jus dicitur, quod circa ſacra peragenda, religionem colendam, verſatur, & ſummo Principi condere placuit, quemadmodum cultus ſummi Numinis ſpectat utilitatem & ſalutem Reipub. quæ communis, ita quoque jura, quæ ad ritus & ceremonias, quibus ſummum Numen colendum decrevit Princeps, pertinent, publica recte vocantur. Etiamſi religio dicatur eſſe ex jure gentium *l.* 2. *§.* 4. Quoniam, ut inquit Seneca, nulla gens adeo extra mores projecta ſit, quin ſua habeat numina, ſuos colat Deos, ſacra tamen ſunt propria cujuſque civitatis, id eſt ritus & ceremoniæ, quibus homines religionem erga Deum publice profitentur. Quamobrem Socrates de Gratiano Imp. refert, lege ſancivit, ut unaquæque religio ſacra celebraret. Una quidem Chriſtianorum religio, licet ſacris inter ſe diſſideant, omnibus hominibus innata erga Deum religio, verum non eodem modo Deum colunt. Modum autem, quo cultus Deo exhibendus, ſtatuit Princeps. Poſſemus innumeras omnium gentium leges allegare, quæ circa ſacra peragenda tulere diverſarum gentium legumlatores. Apud Athenienſes vigebat lex, qua ſancitum ne quis novos *coleret Deos, neve ignotas ceremonias adhiberet, niſi publice adſcitas.* In Sacerdotibus quoque conſiſtit jus publicum, quippe cum ſacris & ceremoniis Reſpub. contineatur, neceſſe eſt tales eſſe, qui ſacris rite peragendis dent operam atque vacent, *l.* 32. *§.* 9. *ff. de recept. arbitr. novell. 6. præt.* Quemadmodum omnium munera, omnes functiones a Principe conferuntur, ita quoque Princeps ſtatuit de rebus ad functiones pertinentibus. Adeo ut nec in ſacris curandis atque peragendis, illi, quibus hæc demandata provincia, majorem ſibi auctoritatem ac poteſtatem vindicare poſſint, quam ipſis conceſſa atque demandata. Habent quidem in ſingulis fere oppidis ac pagis collegium Eccleſiaſticum Oratoribus ſive verbi divini Miniſtris, Senioribus ac Diaconis canſtans, cui in locum demortui Paſtoris alium eligendi facultas conceſſa; verum ejuſmodi electio haud firma eſt, niſi interveniente conſenſu

Digitized by Google

ſenſu & ratihabitione ſummi magiſtratus, antequam ad functionem admittatur. Uti quoque habet illam facultatem beneficio Principis. Conceſſit quidem Princeps hanc facultatem, verum non abdicavit; diſcant itaque nonnulli nimia imperandi cupidine agitati verbi divini Miniſtri uti prudentia & animi moderatione & æquitate, ne plus juris ſibi vindicent, quam demandatum; & meminerint uti penes Principem radicaliter, ut ita dicam, eſt imperium circa ſacra, quatenus in foro externo ad Reipub. utilitatem pertinent, ita quoque Principem non habere duntaxat facultatem ſacrorum diſpenſatores & Miniſtros conſtituendi; verum etiam a munere ſuo removendi, ſi forte pro concione ad nova concitent plebem, & magiſtratus vellicare non erubeſcant. Duplici vero honore, veneratione & benevolentia digni, qui adimplent officia, quæ cum magiſtratui, cum Reipublicæ, cujus cives ſunt, tum doctrinæ, cujus miniſtri & diſpenſatores ſunt, debent: qui unice intendunt ſuo officio & munere fungi, qui pacem, tranquillitatem & concordiam tuendam civium hominumque animis inſpirant, ut decet virum probum & pium doctrinæ Evangelicæ Præconem. Intereſt enim maxime Reipub. ut venerationem habeamus pro iis, quibus docendi hoc munus a magiſtratu impoſitum eſt, utpote qui ad efformandos civium animos ad vitam civilem colendam in Repub. maxime neceſſarii ſunt. Quamobrem firmamenta Reipub. alibi vocantur Sacerdotes: Nam, ut inquit Calvinus, Paſtorum auctoritas eo intacta & illibata ſervanda, quia inſtar fræni eſſe debet ad coercendos plebis impetus, ne ultra modum exultent. Sublata quippe reverentia, & perſonæ & doctrinæ auctoritas evaneſcit & ſumma quoque læditur majeſtas, cui placuit ejuſmodi functiones in Rempub. introducere. Hinc apud Ethnicos ſacroſancti judicati Sacerdotes, teſte Dionyſio Halicarn. *l.* 11. *cap.* 5. Unde Plaut. in *Rudente Act.* 3. *Sc.* 2. *Quis homo eſt tanta confidentia, qui Sacerdotem audeat violare.* Verum non ideo a pœna immunes habendi, ſi alios injuria affecerint. Quippe illi non malo debent eſſe cæteris exemplo, a quibus quid imitandum quid vitandum in totius vitæ curſu diſcere debemus. Præterquam, ut inquit Gerard. Feltman. ad h. t.

Quod

Quod nil intolerabilius ſit quam injuriam accipere a Sacerdote, qui canis imaginem referat & livori litet atque odio, cum deceat eſſe mitem & omnem ejurare bilem, quare ſi prius alium læſerit ſacerdos, atque verberetur vel occidatur, a ſe ipſo læſus dicetur. Vid. Nicol. van der Hoog. *ſing. jur.* 87. 10. 18. licet Cardinalis vel Pontifex ſummus. Carer. *pract. crim. tit. de homicid.* Carpanus *ad nov. conſt. Mediol. c. homicida n.* 387. & 389. uti quoque ibidem allegat Farinac. *p.* 9. *prax. crim. q.* 139. *n.* 33. & 39. Magiſtratus maxime ad Reipub. ſtatum pertinere neminem ſana mente præditum in dubium revocaturum arbitror, atque proinde in magiſtratibus jus publicum quoque conſiſtere haud ambigendum. *Magiſtratibus opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia civitas eſſe non poteſt, quorum deſcriptione omnis Reipub. adminiſtratio continetur*, inquit Cicero *lib.* 3. *de ll.* Et paulo ante, *Videtis igitur magiſtratus, hanc eſſe vim; ut præſit præſcribatque recta & utilia, & conjuncta cum legibus; ut enim magiſtratibus leges, ita populo magiſtratus præſunt, vere dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* Et *lib.* 2. *cap. ult. de ll. Sic igitur faciam & dicam de magiſtratibus, quod conſtituta religione Rempub. contineat maxime.* Cum igitur imperium ſit baſis, fundamentum ac Reipub. fabrica, illud ſuo ſubjecto ſcil. magiſtratui inhæret, ſequitur abſque magiſtratu Rempub. ſtare non poſſe, & proinde maxime ad ſtatum Reipub. pertinere magiſtratus, recte JCtus noſter, in hiſce quoque publicum jus conſiſtere affirmat.

Privatum jus tripartitum eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. Quod Ulpianus hic de jure privato prædicat, etiam ad jus publicum referendum, quod ex eodem fonte dimanat, ex quo jus privatum collectum atque depromptum. Omne jus ſive publicum ſive privatum cum juſtitia, cum æquitate convenire debet: fons autem omnis æquitatis atque juſtitiæ eſt recta ratio, quæ dictat quid æquum quid juſtum ſit, cum in ſtatu naturali, tum etiam civili, pro diverſa hominis conditione & ſtatu in quo collocatus. Jus ſemper eſt ars boni & æqui, quamvis diverſimode jus dicatur propter caſuum diverſitatem atque

ejus ad illos applicationem, ut ita dicam, tamen unum ſaltem jus eſſe dicendum. Eſt enim, ut inquit Cicero, unum jus, in quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una, quæ lex eſt recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is eſt injuſtus, ſive illa ſcripta uſpiam, ſive non, licet in diverſis perſonis, locis, temporibus & ætatibus multipliciter accipiatur. Itaque unus idemque fons omnis juris, ſive naturalis, ſive gentium, ſive civilis, verum diverſa juris objecta, circa quæ verſatur, ſive ad quæ applicatur, diverſo quoque juri ſive præceptis ex ratione promanantibus imponit nomina, ita ut alio nomine veniant præcepta, quæ immediate ex rationis dictamine proficiſcuntur, & in quocunque ſtatu & conditione poſitum hominem ad eorundem obſervantiam obligant, quæ moralem continent neceſſitatem, & proinde nulla habita ratione neque ſtatus aut conditionis in qua quiſque conſtitutus eſt, neque loci, neque temporis, neque ſexus, perpetuam obligandi vim habent. Cujus naturæ ſunt, honeſte vivendum eſſe, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum, Deum colendum, parentibus parendum & id genus alia, quæ omnia hic enumerarem fruſtra, cum cuivis ſana mente prædito notiſſima. Alia rationis præcepta ſunt, quæ relationem ſuam habent ad ſocietatem humanam tanquam objectum, ad quam applicari debent, id eſt, ad illam ſocietatem, quæ non duntaxat homini cum homine in ſtatu mere naturali, verum genti cum gente, poſtquam genus humanum in diverſas nationes & gentes diviſum atque diſcretum fuit, intercedit. Sunt iterum præcepta, quæ pro objecto habent civilem ſocietatem, in quam homines libertatis naturalis jacturam facientes conveniunt, illa venire poſſunt juris gentium, hæc juris civilis appellatione: omnia vero ex uno eodemque fonte ſcil. recta ratione dimanant, verum ratione objecti circa quod verſantur & cui applicantur, diſtincta atque diverſa ſunt, & ſub diverſa appellatione cuique innoteſcunt. Itaque cum inquit Ulpianus, *Jus privatum eſſe tripartitum, collectum ex naturalibus præceptis, gentium, vel civilibus*, non eo ſenſu intelligendum, quaſi tot eſſent juris fontes quot juris ſpecies enumerantur, e quibus jus privatum ſive jus civile Romanum, de quo Ulpianus ſermonem habet,

 colle-

Digitized by Google

collectum atque conflatum eſt, uti nonnulli Interpretes opinari videntur. Verum eo indicare voluiſſe JCtum mihi perſuaſum, jus privatum habere convenientiam partim cum jure mere naturali, quod etiam locum ſibi vindicaret, licet nulla homini cum homine, gentium cum gente intercederet ſocietas: tum etiam niti jure gentium ſive potius rectæ rationis dictamine atque præceptis, quatenus illa ſpectant ſocietatem, quæ hominem homini in ſtatu naturali, adeoque etiam gentes inter ſe conglutinat atque devincit, conſervationem atque culturam; tum quæ in finem officia quædam dictat, quæ ſibi invicem præſtare obligantur juris neceſſitate. Vel referri poteſt jus privatum ad illam ſocietatem, in quam coiverunt mortales libertatis naturalis pertæſi, qua fruebantur in ſtatu naturali ob multa incommoda quæ eum comitabantur, adeoque ad ea evitanda & a ſe propulſanda ſub uno eodemque ſummo imperio coaleſcere in diverſos cœtus cœperunt, qui juxta indolem & genium cujuſque populi ſuis legibus ab eo, qui rerum ſummæ præeſt, in ſingulis civitatibus promulgatis, reguntur. Cujuſmodi leges licet ob tot gentium variam indolem diverſæ quidem & a ſe invicem diſcrepantes ſint, attamen ex ejuſdem rectæ rationis fonte promanantes non adeo ſibi contrariæ ſunt, quin in multis earundem omnium inter ſe quandam harmoniam & conſonantiam perſpiciamus; quod alibi demonſtrandum nobis incumbit: adeo ut ne quidem jus privatum, de quo Ulpianus, quod in civitate Romana inter cives atque ſubjectos vigebat, non in totum ab aliarum civitatum legibus alienum, verum aliquid cum iis commune habebat, adeo ut quaſi ex iis quoque conflatum atque compoſitum videatur, & revera quoque deſcendat, quoniam quatenus cum juſtitia & æquitate convenit, quæ fons omnis publici privatique juris, quod apud omnes populos & civitates introductum, ab eadem origine quaſi communi matre ac genitrice dimanat atque derivatur.

Lex I.

Digitized by Google

Lex I. §. 3.

Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non humani generis proprium; ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque, commune eſt. Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio; videmus etenim cetera quoque animalia, feras etiam, iſtius juris peritia cenſeri.

Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Definitio, quam hic tradit Ulpianus, non omnibus DD. æque placet, qui ſuis jus Romanum commentariis illuſtrarunt. Quippe cum nullum jus ſine ratione eſſe poſſit, qui fieri poteſt, ut jus ullum capere poſſint, qui, uti bruta animalia, rationis incapaces ſunt: recta enim ratio, cujus vi bonum a malo, rectum & honeſtum ab eo quod injuſtum atque indecorum eſt, decernimus, & proinde quid juſtum & honeſtum eſt, per rationis dictamen nobis innoteſcit, ex oppoſitione illorum objectorum, & unius cum altero contentione facta, quam excipit judicium ſive dictatum rationis, nobis indicans quid juſtum & honeſtum, & proinde faciendum, quidve injuſtum & indecorum, adeoque fugiendum, ideoque ex rationis dictamine ſive mentis diſcurſu jus naturæ tanquam fonte atque origine ſua dimanare haud inficiari poſſumus. Atqui bruta omni prorſus ratione deſtituta, nullam quoque juris habere poſſunt ſcientiam atque notitiam. Præterea cum jus juxta definitionem Celſi JCti ab Ulpiano relatam & probatam nihil aliud ſit, quam ars æqui & boni, quæ niſi ſubjecto ratione prædito, quod bonum ab iniquo ſecernere capax eſt, tribui poteſt, & proinde bruta hanc artem capere non valeant, quoniam boni & æqui notitiam habere nequeunt,

Digitized by Google

queunt, quamobrem quamvis damnum alicui inferant, injuriam feciſſe non dicuntur, uti noſter JCtus ſtatuit *in l. 1. ff. ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat.* Igitur non ſibi conſtare videtur JCtus noſter, nec quorundam Virorum cenſuram effugere potuit, adeo ut quidam eum abuſive & populariter locutum ſcripſerint. Alii, quorum in numero Laurentius Valla *lib. 9. elegantiar. cap.* 38. ridiculam vocat Ulpiani definitionem ad jus naturæ traditam. Nec aliter Alexander Senenſis *de ll. cap.* 2. Verum an illi, qui JCti noſtri definitionem rident, non ipſi potius ſe deriſui exponant, videndum. Nec deſunt non infimi ſubſellii juris commentatores, qui Ulpiani defenſionem ſuſceperunt. Sunt qui ſtatuunt JCtum noſtrum edocere voluiſſe, jus illud, de quo aliquale veſtigium in brutis perſpicimus, naturale eſſe, non quia in illis jus detur, verum quia in illis adumbratæ quædam imagines hujus juris quodam modo reperiuntur. Vel ut alii verba Ulpiani interpretantes dicunt, jus naturale ab Ulpiano definiri, prout in natura, qua animalia cuncta reguntur, quaſi, dum Ulpianus dixit, jus naturale eſſe quod natura omnia animalia docuit, intelligendus ſit, dixiſſe, jus hoc in bruta cadit participative, uti inquiunt; participant namque a natura, ſecundum jus & rationem, quæ in illa eſt, unaquæque animalia ad debitum finem regente. Verum hæc expoſitio quibuſdam commentatoribus non arridet; quamvis ſubtilis, attamen non videtur ſatis apte convenire literæ ſenſui. Quippe quoniam Ulpianus ſermonem habet de natura docente, definiens jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, haud commode neque juxta ſignificationem verbi propriam ad naturam regentem trahi vel coarctari poteſt. Nam uti diſputant, & inanimata regit natura, ſingula, ſecundum ſingulas, quas Deus illis largitus eſt, proprietates; ſic natura regente ignis ſuperiora petit, & aqua ad inferiora labitur: humida fluunt; ſicca conſiſtunt; gravia deorſum, levia ſurſum feruntur: arbores & plantæ certis & a mundi conditore definitis anni tempeſtatibus floreſcunt &c. Et cum a natura ita reguntur, haud tamen de illis prædicari poteſt, quod ab ea edoceantur: ſicut nec navis de maris via a gubernatore edocetur, a quo tamen per eum in portum

tum regitur: proinde diverſum eſt, aliquem a natura edoceri, & a natura regi. Alii, quorum in numero Accurſius & poſt eum Pichardus, Valla, Mynſingerus & plurimi alii, Ulpiani definitionem quatenus bruta juris capacia prædicat, accipiendam eſſe pro inſtinctu naturæ, adeoque de eo jure habere ſermonem, quod ſolo inſtinctu conſtat, & inclinatione naturali tam hominibus quam ceteris animantibus commune, ut ſe ipſum diligere, ſeſe conſervare, declinare ea quæ nocitura videntur, vim vi repellere, quærere & parare ad vitam neceſſaria, ſui ſimile procreare, & id genus alia. Verum qui hanc interpretationem non admittendam ſtatuunt, tanquam a mente Jcti plane alienam, reponunt, Ulpianum jus naturæ, non vero naturæ inſtinctum definire voluiſſe, & proinde haud ad Jcti definitionem ſpectare vel applicari poſſe ea, quæ naturæ inſtinctu & ex naturali bruto innata propenſione operantur; utpote qui de jure diſputaturus, jus ipſum, in genere primum, ac deinceps in ſpeciebus ſuis definire intendit, de naturæ inſtinctu non curans, nec de iis, quæ naturaliter inſunt animantibus, animadvertendum eſſe monent, ad naturalis juris definitionem non pertinere, quicquid naturaliter operantur animalia, ſed jus duntaxat quod a natura edocta ſunt, dum in definitione dicitur jus naturale eſſe, *quod natura docuit omnia animalia*; dictio enim illa relative ad verbum *jus*, eſt accipienda, ut ſit ſenſus jus naturale, eſſe jus illud, quod natura docuit omnia animalia, alioquin omnes actus & operationes, quæ ab omnibus animalibus juxta qualitates & proprietates naturæ illorum convenientes proficiſcuntur, in juris naturalis definitione comprehenderentur, ita ut etiam piſcium natatus, avium volatus, leonis rugitus, & quæ id genus aliæ ſunt animalium operationes, juri naturali merito adſcriberentur, & proinde quoque hominis ambulationem & uſus juris naturalis eſſe, cur non dicendum, quod tamen quibuſdam valde ridiculum videtur, & quam maxime alienum ſit a Jcti mente, re ipſa ſatis conſtare putant; cum iſtorum inveſtigatio & definitio magis ad naturalis hiſtoriæ ſcriptorem, quam ad naturalis juris inveſtigationem pertinere videatur. Hanc difficultatem Covarruvias aliique juris moralis ſive naturalis ſcientiam profitentes

hac ratione ſolvendam ſtatuunt, diſtinguendo ſcil. inter jus naturale formaliter & materialiter ſumptum: jus naturale dici poteſt commune brutis non formaliter ſumptum, id eſt, quoad rationem juris; ſic enim acceptum ſolum convenit hominibus: ſed materialiter ſcil. quoad actus, qui ſub hoc jus cadunt; nam illi communes ſunt hominibus cum brutis, uti patet in exemplis de maris & fœminæ conjunctione, & educatione liberorum. Hanc tamen interpretationem rejicit Suareſius *de ll. lib. 2. cap. 17. & ſeqq.* inter ea tamen, quæ adducit contra Covarruviam, potiſſimum urget exemplum de vi propulſanda, quod homini cum brutis commune eſt, uti videre eſt *l. 1. §. 11. ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat.* & tamen exemplum iſtud non adſcribitur juri naturali, ſed gentium juri a JCto *in l. 3. ff. h. t.* cum potius ad jus naturale pertinere videatur juxta definitionem Ulpiani, quoniam omnibus animantibus a natura hoc inſitum eſt, ut ſe corpuſque adverſus omnem vim ſibi illatam tueri conentur. Verum reſpondent alii, vis propulſationem etiam brutis convenire, ſed id quidem per ſimplicem naturæ ductum atque inſtinctum & motionem, & quæ ita bruta operantur, ſub naturali jure non cadere, uti dictum de piſcis natatu, aviſque volatu, & id genus aliis brutorum operationibus; ſed ea demum ſecundum JCtum ad jus naturale pertinent, quæ cum brutis etiam communia ſunt, quæ ſcientiam aliquam ſecum involvunt, juxta modum ſuum, uti eſt maris atque fœminæ conjunctio, quæ in brutis ultra naturalem impetum & propenſionem ſcientiam præſupponunt operandi circa vas ad id a natura idoneum, quod in educanda prole apertius cernitur, quia ſine ſcientia juxta modum ſuum educationem talem non operantur. At vero ad vim depellendam ſolo naturæ impetu bruta moveri videntur abſque ullo propriæ ſcientiæ modo, quamobrem ad jus naturale omnibus animantibus commune hoc non pertinet. Qui Ulpiani definitionem ſuſtinere ac tueri & recto ac menti JCti conſentaneo ſenſu interpretari ſuſceperunt, prænotandum volunt, ſcientiam alicujus artis vel diſciplinæ duobus modis haberi poſſe, ſpeculative ſcil. id eſt, per cauſas & rationes; & practice per uſum & exercitium artis ipſius. Atque unus idem-

idemque alicujus artis magiſter poteſt quoſdam ex diſcipulis illo, alios autem iſto modo eam edocere, quod quidem non præceptoris imperitiæ aut culpæ adſcribendum erit, verum diſcentium potius ingenio & aptitudini ad diſcendum; quemadmodum non omnes ejuſdem indolis ſunt & eodem ingenio præditi, verum alii ſagaces, alii iterum tardi & hebetes, ita non expedit omnes eodem ſtylo edocere, & cum omnes ab eodem magiſtro bono & perito edocti evadant, non tamen omnes æqualiter & eodem modo edocti evadunt; nec ideo minus recte & proprie loquetur, qui dixerit artis magiſtrum eam omnes edocuiſſe, quamvis non omnes æqualiter & eodem ſtylo edocuiſſet, ſed prout cujuſque ingenio par erat. Ad quod ante omnia attendere debet magiſter, & diſcentis etiam animum, ſecundum quem in docendo cum eo agere debet. Hoc præſuppoſito intelligendum Ulpianum volunt, cum ait, *jus naturale eſſe, quod natura omnia animalia docuit*, adeoque ſenſus ſit, naturam quidem omnia animalia jus naturale docuiſſe, non tamen omnia æqualiter & eodem ſtylo ac modo, verum potius diverſo valde propter diverſam ad addiſcendum capacitatem ſagacitatemque, ſive aptitudinem. Homo ratione præditus rationabiliter, ut ita dicam, jus hoc accepit a natura optima rerum magiſtra; bruta vero ratione orbata ſenſibiliter duntaxat jus naturæ participant; dum ſentiunt ea quæ hujus juris ſunt, & juxta ſenſum ea appetunt & operantur, quæ rationis dictamen homines docuit, & adhibito mentis diſcurſu ipſis innoteſcunt, atque ita quæ hujus ſunt juris homines & bruta operantur. Homines quidem ſecundum rationem, cujus vi ea, quæ juris ſunt naturalis, indagare atque inveſtigare & percipere poſſunt. Bruta vero ſecundum ſenſum; quo fit, ut ſi homines ad operationem eorum, quæ juris naturæ ſunt, non moveantur ſecundum rationem, verum naturæ ſtimulis agitati atque impulſi, in operatione tali non differant a brutis animantibus, nec tunc jure naturæ uti dicentur, qui ſecundum juris normam non operantur, ſecundum quam in hominibus jus naturale conſideratur, & illud idem operatur, quod in brutis ſecundum ſenſationem idem jus agit; unde fit quod maris atque fœminæ conjunctio,

Digitized by Google

ctio, quæ in brutis e naturali hoc jure procedit, in hominibus tunc demum ad hoc jus referri debeat, cum inter conjuges eſt. Hæc enim ſolummodo ſecundum rationem eſt. Verum haud mihi videntur eo, quo oportet, ſenſu, definitionem juris naturalis, quam Ulpianus, interpretari JCti, quorum varias interpretationes huc uſque delibavimus. Ad interiores juris naturalis ſive moralis receſſus penetrandum JCto, qui non ſimulatam ſed veram philoſophiam profitetur, ut hujus definitionis veram interpretationem aſſequatur. Atque primum in juris naturalis originem inſpicere, tum etiam varias juris ſignificationes examinare oportet, quiſquis rectum hujus definitionis ſenſum percipere velit. Cuique notum eſt juris vocabulum varias admittere ſignificationes: teſtes ſunt Paulus & Martianus *in l.* 11. 12. *h. t.* vel dicitur in genere, *pro omni eo quod juſtum eſt & æquum*; vel ſignificat *qualitatem moralem juſte aliquid agendi vel habendi;* vel idem valet quod lex, *quæ eſt regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum eſt*, juxta definitionem *Hug. Grot. de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 3. & 9. Prima vocis ſignificatio adeo late patet, ut brutis & omnibus individuis ſecundum naturam ipſis innatam operantibus conveniat. Individuum quippe, quod ſecundum naturæ & indolis ſuæ regulas proprietateſque exiſtit atque operatur, quia operatur ſecundum æternum Dei decretum, fontem omnis Juſtitiæ, juſte ac recte operari dicitur. Illa enim omnium individuorum ad finem aſſequendum, ad quem ſingula ab auctore naturæ Deo ordinata ſunt, propenſio & inclinatio in actum deducta revera jus naturæ eſt, omnibus rebus cum animatis tum inanimatis innatum ac inſitum, quamobrem unumquodque individuum ſecundum jus naturæ agere & operari dicitur, quoties ad finem naturæ ſuæ congruum & convenientem rapitur atque tendit. Quamobrem haud a vero eum aberrare puto, qui per jus & inſtitutum naturæ in latiori ſignificatione ſumptum, intelligit regulas naturæ uniuſcujuſque individui, juxta quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo exiſtendum & operandum, ex æterno & immutabili Dei decreto & voluntate dimanantes & profluentes. Quippe ex ea omnes

naturæ

naturæ leges derivandas neminem ſana mente præditum infi-
cias iturum arbitror. Quam opinionem & veteres philoſophi amplexi, unde Plato, *legem naturalem in ſeminibus poſitam eſſe*, inquit; *eſt enim vis quædam rerum in ſeminibus, quæ ſingulæ ad proprios actus proprioſque fines propendent & inclinant.* Verum quando illas individuorum operationes a naturali jure proficiſci ſtatuo, Dei æternum decretum ſemper juſtum & æquum conſidero, ſecundum quod omnes ejuſmodi operationes & actiones determinantur, & eatenus juri & æquitati conſentaneas dicimus. *Quod enim univerſi Machina ordine certaque rationabili diſpoſitione conſtet; quod omnia ſe teneant ratiſque ſucceſſionibus in nodos ſuos urgeantur; quod elementa ſuos ſibi ſervent regiones; quod ferantur leviora ſurſum, graviora deorſum, motuque proprio ſibi vindicent, quæ vis æterna rapuerat; quod dies & nox, hyems & æſtas, quies & actio tempus omne partiantur; quod activis paſſiva, corruptionibus generationes reſpondeant; quod oppoſitæ qualitates mediis concilientur; quod unicuique ſpeciei ſit indita vis ad ſui conſervationem, propagationem, in integrum reſtitutionem; quod congrua media ad propoſitos fines ducant, jus eſt a Deo naturæ datum, ſecundum quod individua operantia juſte & bene operari dicuntur*, uti diſputat Ivon *de jur. nat. in præfat.* Quamobrem Auguſt. *de civit. Dei. lib.* 19. *cap.* 21. concludit, juſtitiam ad naturæ normam dirigi oportere, cum id ipſum juſtum ſit, quod ſecundum naturam eſt, nempe unumquodque in ſuo genere. *Hac de cauſa contigit, ut etiam ex omnium animantium natura & actibus, illis videl. quæ naturæ eorum conveniunt, quadantenus confirmari ſoleat id quod juſtum eſt, & huic juri adſcribatur, quod naturalis nomine vulgo juridice intelligatur*, ut inquit de Roy *de eo quod juſtum eſt.* Cum itaque Ulpianus jus naturale definit, *quod natura omnia animalia docuit*, ſermonem habet de natura tanquam matre atque parente communi, rerum opifice, ſcil. Deo; ita enim *Silius Italicus*,

Heu primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris,
Naturam neſcire Deum.

Digitized by Google

Et ſic paſſim Gentiles naturam Deum ipſum cenſebant. *Quid aliud eſt natura quam Deus? nihil natura ſine Deo eſt; nec Deus ſine natura.* Cum naturam dico, Deum dico, ipſe enim eſt naturæ opifex, inquit Chryſoſtomus. Quemadmodum autem naturæ & omnium rerum cauſa atque opifex eſt, ita quoque auctor eſt ejus juris, cujus veſtigia cernimus in brutis animantibus, cui indidit ejuſmodi motus & inclinationes, quibus feruntur ad illum finem aſſequendum, atque eo modo operandum, qui convenit voluntati & decreto rerum opifici, adeoque cum juſtitia convenit; quippe cum nihil a ſummo Ente, omnium rerum auctore & principio, proficiſci poteſt, niſi quod rectum & juſtum eſt; ita quoque omnes operationes & actiones, quæ conveniunt naturæ & indoli animalium, licet ratione deſtituantur, juſtæ tamen dici poſſunt, quatenus reſpondent decreto & voluntati divinæ, adeo ut juri naturæ convenienter operari dicantur, quatenus inclinationes & ſenſum ſequuntur. Sciendum eſt, jus ſive legem naturalem per ſe nihil aliud eſſe quam participationem & quaſi impreſſionem quandam legis illius æternæ, quæ eſt in Creatore Deo Opt. maximo, & qua omnes res a ſe creatas tanquam ſupremus dominus & conſervator regit & gubernat. Sicut enim alias lex humana ſuo modo extra legiſlatorem in ſubditis eſſe dicitur, in quantum ſcil. illam cognitionem fini ſuo applicant, hoc eſt, mores illi conformant; ita etiam idem jus eſſe dicitur in omnibus creaturis, in quantum ex efficacia & directione legis æternæ in proprios actus & fines inclinationes habent, & tanquam ſubditi eidem obediunt, ut inquiunt juris moralis periti, ſumma ratione ſubnixum, quæ in Deo exiſtit. Unde Vir clariſſimus & eruditione florentiſſimus Gerardus Noodt *in comment. ad lib.* 1. *tit.* 1. *Inſtit. de J. & J.* de hac Ulpiani definitione differens, *Nec dubito*, inquit, *quin ejus juris appellatione deſignet inclinationes atque inſtinctus uniuscujusque animalis, ſecundum quod unumquodque eſt a natura determinatum ad exiſtendum atque operandum ejus ordini, inſtituto ac providentiæ convenienter.* Quamobrem licet ratione careant bruta, ratione tamen nituntur eorundem operationes, & proinde nihil impedimento mihi eſſe videtur, quo minus jus naturale homini

cum

Digitized by Google

cum brutis commune ſtatuamus. Quippe jus, *quod natura animalia docuit, nullo modo diſcrepat ab eo, quod docuit homines, niſi duntaxat, quod qualitas utentium differat*, ut inquit Mæſtertius *de juſtit. ll. Romanar. lib.* 1. *dub.* 7. Optime Grotius, *Profecto non id de jure naturali, quia vero ne quidem de ullo in rerum natura jure quærendum eſt, an inclinatione naturali; an ratione humana ejus operatio fiat, ſed an in ſe bonum & æquum, ſpectandum eſt. Poteſt enim id quod natura omnia animalia docuit, ita intelligi, ut operatio per rationem hominum propria ſit; operatio autem per inclinationem cæterorum animantium naturæ adſcribatur; nec tamen eo minus utraque ad eundum naturæ finem & eundem juſtitiæ naturalis ſcopum tendat.* Qui ſcopus nihil aliud eſt, quam operatio ſingulorum individuorum ſecundum naturam, quam ſummus hujus univerſi auctor omnibus, quaſcunque produxit, rebus, cum animatis tum inanimatis ſecundum ſuum æternum decretum ſuamque providentiam indidit. Hoc enim decretum univerſæ naturæ finis, & ſingulorum individuorum agendorum norma ac regula eſt, ſecundum quam operantia dicuntur agere quod juri naturali conveniens eſt. Operantur autem convenienter huic decreto, quoties juxta naturam & indolem ſibi innatam operantur. Quæcunque igitur bruta animalia naturæ ſuæ convenienter ex naturali inclinatione & impetu operantur & agunt, non minus juri naturali adſcribi poſſunt, quam actiones, quæ ab homine adhibito mentis diſcurſu & dictante ratione profectæ, juri naturæ conſentaneæ dicuntur. In eo itaque duntaxat actus juſtitiæ, qui ab homine proficiſcuntur, differunt ab operationibus brutorum, quæ ex convenientia cum rationis dictamine ſive jure naturali juſtitiæ convenire dici poſſunt; quod illi fiunt cum delectu & diſcurſu mentis, ideoque ex principio intelligente intrinſeco. Habet enim in ipſo rationem moventem tanquam in propria ſede collocatam, ut inquit Bolognetus *de leg. & æquitate cap.* 5. Brutorum animantium actus extrinſeca certa ratione moventur ac reguntur ad communem quidem finem & ſcopum, ſed non iiſdem mediis eundem aſſequuntur. Utriuſque actus juſtitiæ conſentanei, & quidem proprie juſti dici poſſunt, ſed non eodem

 modo

modo juſtitiæ leges adimplent ſubjecta. Vid *comment. ad H. Grot. de Jur. B. & P. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 11. *n.* 1. 2. Ratione itaque originis, atque uſus & exercitii hoc jus homini cum brutis commune, nec aliud jus naturale hominum plane diverſum a jure naturali brutorum, niſi, uti dicere incepimus, quod qualitas utentium differat. Quamobrem Jctus,

Nam jus iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc quotidie in brutis eaſdem naturæ regulas & operationes experimur, quæ homini agendorum norma ſunt. Quamobrem Cato Stoicus apud Ciceronem 3. *de finib.* ait, etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt, quarum in fœtu & educatione laborem cum cernimus, ipſius naturæ vocem videmus audire. Imo etiam in illis obſervamus ejuſmodi juris naturæ veſtigia, quæ magis ex ratione, quam naturæ inſtinctu dimanare videntur: ut formicarum ſolertiam in inſtituenda œconomia, apium in politia. Hinc Virgilius *Georg. lib.* 9.

> *His quidam ſignis atque hæc exempla ſecuti,*
> *Eſſe apibus partem divinæ mentis & hauſtus*
> *Æthereos, dixere.*

De ſingulari equorum caſtitate legimus apud Oppianum *lib.* 1. *Cyneg. vers.* 239. & apud Ariſtot. 9. *hiſt. animal. cap.* 47. Uti quoque ſimilia tradit de camelis. Unde *fere quoque veneris evitant nefas, generiſque leges inſcius ſervat pudor,* ut inquit Seneca *Oedip. & Hippolyt.* *In animantibus multis libido ratione continetur,* inquit Quintil. *declam.* 277. Adeo ut in id genus animalibus illuſtriora juris naturalis ſive rationis exploremus ſpecimina, quam in quibuſdam Indorum gentibus, ſcil. Perſis, Mauris, magis Babyloniis, apud quas filios matres uxores ducere & cum parentibus ſtupro coire, atque ex ejuſmodi nefando coitu ſobolem procreare impunitum fuit. Quamobrem Catullus in Gellium ad harum nationum morem alludens

Naſca-

Digitized by Google

Naſcatur magus ex Gelli matriſque nefando
Conjugio & diſcat Perſicum haruſpicium.
Nam magus ex matre & gnato naſcatur oportet.

Si vera eſt hæc Perſarum impia religio. Negat Plutarchus belluas alienis amoribus ineſcari, homines vero ſæpe abominandis fœdiſſimisque amoribus furere. Ex eodem jure, quod homini cum brutis animantibus commune eſt, ſive quod natura omnia animalia docuit, deſcendit quoque matrimonium. Quamobrem pergit JCtus enumerare ea, quæ a jure naturali cum beſtiis communi deſcendunt:

Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Non potuit hic iterum JCtus noſter effugere quorundam JCtorum vapulationem, qui ſtatuunt, perperam Ulpianum maris & fœminæ conjunctionem qualem & bruta animantia appetunt, juri naturali, quod homini cum brutis commune eſt, adſcribere. Conjunctio enim ab homine fit, cum ratione: brutorum vero conjunctio ex ſolo naturæ impetu, non vero aliquo naturæ jure deſcendit; nam hæc in re bruta jus & rectum non ſervant, uti docet Myrrha apud Ovid. *Metam. lib.* 10.

- - - - Coeunt animalia nullo
Cetera delicto, nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo; fit equo ſua filia conjux,
Quaſque creavit init pecudes caper, ipſaque cujus
Semine concepta eſt, ex illo concipit ales.

Nos vero, qui ab nefaria omni conjunctione abhorremus, quod ratio mentibus noſtris inſita eam damnet, nec aliam ſuadeat, quam quæ in naturali pudore & honeſta voluptate conſiſtit, juri naturali proprie dicto adſcribimus, & mutato nomine matrimonium appellamus & juſtas dicimus nuptias. Ceterum ſi in his nudam velimus ſpectare conjunctionem, hanc non ad jus referimus, ſed cum Ariſtotele *lib.* 1. *Oecon.* ajemus eſſe λειτυργίαν τ φύσει, quod id ſit rite ſacrificare naturæ conjugem ſibi adſciſcere & liberis operam dare. Hinc infertur, matrimo-

 nium

nium non conſiſtere, niſi conjunctio maris & fœminæ fieri poſſit, *non ſatis eſt maritum ſolo tantum oſculo putari*, ut ait Quintilianus *declam.* 73. Quod ſi ergo poſt nuptiales feſcenninos mulier grata & exſpectata voluptate non frui poſſet, tunc recte ad duellum, quod *congreſſus* vocabulo Gallis venit, maritum ſuum provocat, uti diſputat Feltman *comment. ad h. t.* Verum nullam video rationem, cur non ex jure naturali homini cum brutis communi maris & fœminæ conjunctionem, quod nos matrimonium appellamus, deſcendere cum JCto Ulpiano ſtatueremus. Denſiſſimæ eorum cerebro offuſæ tenebræ mihi videntur, qui illam conjunctionem brutorum ex naturæ potius impulſu, quam ex jure naturali proprie dicto deſcendere ſtatuunt; quoniam hac in re bruta jus & rectum non ſervare rerum uſus docet, ex vago & illicito horum coitu facile perſpicimus. Alibi enim diximus merito juri naturali adſcribendum, quicquid convenit æterno Dei decreto, & ejuſmodi leges, quæ juxta illud decretum, cuique individuo ad certo modo exiſtendum & operandum innatæ ſunt atque inditæ, adeo ut omnes animalium actus atque operationes, quatenus cum illo decreto atque legibus ipſis innatis, quæ conſiſtunt in illa naturali propenſione, qua impelluntur ad operandum huic decreto conſentaneum, convenientiam habent, juſtæ atque rectæ vocari, atque ex jure naturæ deſcendere dici poſſunt. Quamobrem Thomas de Afflicto *diſp.* 1. de objecto juſtitiæ diſputans, inquit: *Eſt quædam participatio legis æternæ, qua Deus omnes creaturas in ſuos fines dirigit, cum homo cum cæteris creaturis conveniat, quod ad aliquas inclinationes naturales, & inclinationes iſtæ, cum ab auctore naturæ ſint inditæ, ſint bonæ, ad legem naturalem pertinent.* Tria genera præceptorum diſtinguunt Moraliſtæ, quæ ex naturali jure deſcendunt. Primum eorum quæ ſpectant ad conſervationem proprii eſſe, in quo homo convenit cum omnibus ſubſtantiis: ſecundum eorum, in quibus homo convenit cum animalibus, & pertinent ad conſervationem ſpeciei, ut eſt commixtio maris & fœminæ, & liberorum educatio: tertium eorum quæ conveniunt homini, quatenus homo eſt & ratione utitur, ad ejuſmodi inclinationem pertinet, quod Deum colat, quod proxi-

Digitized by Google

proximos non lædat, parentes veneretur, & id genus alia præcepta. An non eadem in propaganda prole homini atque animalibus lex data atque præſcripta? Quæ nonne ex eodem deſcendit decreto? An non huic cum homo tum bruta conſentaneum operantur, cum per maris atque fœminæ conjunctionem atque commixtionem ſpeciem conſervare ſtudent? An non rectæ ac juſtæ tum hominis tum animalium operationes, quia juri & legi naturæ conveniunt, quatenus huic fini aſſequendo inſerviunt, & proinde decretum & legem a Deo datam adimplent? Num ex alia inclinatione ad coitum feruntur homines atque bruta animantia? An non iisdem naturæ innatis ſtimulis ad generandum impelluntur? An non eundem finem, ſcil. ut multiplicentur, & repleant terram? Quod ſi quis inficietur cum L. Valla, jus dici poſſe coeundi appetitum aut nocendi imbecilliori & occidendi, ilico reſipiſcet, ubi paulisper animadvertit mala bonis eſſe finitima & vitia virtutibus, ita ut liberalitatem luxuria, parſimoniam avaritia æmuletur, & religionem ſuperſtitio. Unde appetitus minime effrænatus, ſed intra naturæ cancellos manens jus eſt, ſi vero eosdem egrediatur, jam incipit nominari injuria & error, ut inquit Forcatulus *comment. de juſtit. & jur.* Cur non juris naturalis eſſe diceremus ad ſui ſimile propagandum appetitum, cum homini tum animalibus ab auctore Deo inſitum, & ipſum coeundi actum juſtum appellare quid vetat, cum legi naturæ conveniat. Imo quænam ratio, cur non æque ſano ſenſu matrimonium reſpectu brutorum, maris & fœminæ conjunctionem & commixtionem quam ratione hominum, appellare poſſumus? Huc ſpectat matrimonii definitio, quod ſit maris atque fœminæ conjunctio, ſcil. ad propagandam ſobolem, cauſa impulſiva ineundi matrimonii eſt prolis generatio, quæ etiam finis principalis, quamobrem juſtas nuptias contrahunt cives Romani, qui ſecundum præcepta legum coeunt, maſculi quidem puberes, fœminæ viri potentes, quia tum demum ad generandum habiles. Quamobrem etiam inter eas perſonas, quæ ad eam rem inhabiles ſunt, nuptiæ non conſiſtunt *l.* 39. *§.* 1. *ff. de jur. dot.* quare matrimonium uſitate dicitur conjugium, qui aejus finis præcipuus, ut fœmina fiat legi-

Digitized by Google

legitima mater. Huc pertinet illud Quintiliani *declam.* 173. *Non ſatis eſt maritum ſolo tantum oſculo putari.* Matrimonium itaque quod inter conjuges ſubſiſtit, eatenus e jure naturali, quod homini cum brutis commune eſt, deſcendit, quatenus nullum matrimonium abſque conjunctione corporum ſubſiſtit; ea enim interveniente conſummatum dicitur. Verum enim vero cum homo ſit animal ratione præditum, & proinde ſentit, quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, quid honeſtum, quid decorum, quidque turpe & a rationis dictamine alienum perſpiciat duce ratione, adeoque haud eum fugere poſſit ſibi cavendum eſſe, ne quid indecore, neve quid recto ordini contrarium, vel libidinoſe quid faciat vel ſuſcipiat, facile ipſi innoteſcere poteſt, alias contrahendi matrimonii leges ſibi, quam brutis animantibus datas, adeoque non brutorum inſtar vagos concubitus ambire debent quos ipſa natura abhorret, adeoque oportere eum, qui rationis lumine edoctus eſt, in totius vitæ curſu ordinem a ratione præſcriptum ſervandum eſſe; adeoque cum ratione præditus ſit, facile perſpicit, ſibi a lege naturæ neceſſitatem impoſitam, qua tenetur alio modo procreandis liberis dare operam, atque bruta animalia. Hæc quippe naturæ ſtimulis agitata ad coitum duntaxat feruntur, ut multiplicationi ſui generis inſerviant. Homo vero, qui rationis particeps eſt, qua potiſſimum antecellit cæteris animalibus, quæ naturæ impetu reguntur ac ſenſu moventur, in finem a ſummo rerum opifice decretum, omnes actus ita moderari debet, ut ſemper eum ratione conveniant. Dictat autem ratio, nihil magis ordini atque honeſtati & caſtitati repugnare, quam generis ſui propagationem per vagos concubitus quærere. Præterquam enim, quod ejusmodi commixtiones magis propagationi obeſſe quam prodeſſe ſolent, & proinde finem matrimonii ſubvertunt, quod vetat ratio. Huic etiam accedit, quod nec certa proles, nec pater certus eſſe queat, adeoque nec parentibus eam præſtari reverentiam atque honorem, nec a parentibus in educandis tuendisque liberis eam adhiberi curam, quam ipſis incumbere docet ratio. Nec uxorem maritus, nec maritum uxor, nec liberi parentes, nec parentes liberos eo amore ſe mutuo proſequi, quo ſe invicem amplecti naturæ lex impe-

imperat, rerum uſus docet. *Quomodo*, inquit Lactantius, *ſervari poteſt charitas, ubi nihil certum eſt quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitaverint ſemper una? niſi devota mens & ſervata invicem fides individuam fecerit charitatem.* Tolluntur itaque eo ipſo illa officia, quorum commutationem lex naturæ tum a parentibus cum a liberis viciſſim exigit. Quamobrem dicendum, alias matrimonii contrahendi atque celebrandi leges dictare rationem homini, quam quæ brutis animantibus datæ. Itaque ex iis quæ diſputavimus, perſpicimus maris atque fœminæ conjunctionem, quam nos ratione præditi matrimonium appellamus, ea lege, eoque ordine ſuſcipiendam, ut pater certus ſit certaque proles, adeoque vir & mulier ſibi devinciantur matrimoniali copula non ad temporis momentum, verum in perpetuum, donec mors, quæ omnia ſolvit, vinculum illud quam arctiſſimum conjunctione corporum contractum diſtrahit atque diſſolvit. Illa enim conditio, quæ ex ejuſmodi conjunctione pervenit ad marem & fœminam in illam conſentientes, ejus naturæ eſt, ut neuter eam donec vivunt poſſit abdicare; quoniam conſociatio, quæ ex illa corporum conjunctione dimanat, adeo maritum uxori & vice verſa conglutinat, ut quaſi in unum idemque corpus coaliti, unam eandemque perſonam referre videantur. Cujuſmodi unitatis ratio conſociationem indiſſolubilem efficit. Cui etiam accedit, quod homo a natura ad ſocietatem, quæ homini cum homine intercedit, colendam (quamobrem orationis & rationis particeps) ſit conditus, naturalis quoque obligationis vinculo alligatur hanc ſocietatem tueri, donec vitam cum morte commutaverit. Quippe cum illa conditio, quæ ab ipſis natalibus homini imponitur, ſcil. quod animal ſociale factus ſit, nullam mutationem pati poſſit, verum ad extremum vitæ diem oſſibus, ut ita dicam, inhæreat, proinde quoque hujus obligationis vinculo adſtrictus permanet, donec mors omnia ſolverit. Atque hujus ſocietatis naturalis incunabula petenda ab ipſo matrimonio; prima enim ſocietas in conjugio, teſte Cicerone 1. *de offic.* ſequitur ex natura ſocietatis, quæ uxori cum viro intercedit, nulla ratione eam diſtrahi atque diſſolvi oportere; quo

Digitized by Google

enim arctior hæc eſt ſocietas, eo magis devincti ſocii eam tueri, & quidem ad ultimum vitæ halitum. Quippe cum huic accedat corporum conjunctio, duplici ſocietatis naturalis vinculo ſibi invicem devincti conjuges, cujuſmodi vinculum nodo Gordio fortius, propterea quod ex natura ſocietatis naturalis dimanat eam in perpetuum colendi & conſervandi neceſſitas, & quidem moralis, quia natura mutari non poteſt; unde ſequitur, ejuſmodi conſociationem & conjunctionem maris & fœminæ, quam nos matrimonium appellamus, ſempiternam eſſe oportere, dictante ratione, & neceſſitate morali exigente. Huc pertinet matrimonii definitio, quod ſit viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens, ſive conſortium totius vitæ *l. 1. ff. de rit. nupt.* Hanc matrimonii legem ſummus rerum opifex quaſi in natura ſeminavit, ita ut homines, qui ſe recte introſpicere & pertractare velint, neque omne naturæ lumen extinxerint, ſua ſponte judicent, omne conjugium individuam vitæ conſuetudinem complecti. Huc pertinet illud Horat. 1. *carm.* 13.

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Maris itaque atque fœminæ conjunctio, quia omnibus animantibus communis eſt, ad naturale jus pertinet, ſed non eodem modo in brutis & ratione utentibus. In his enim illa conjunctio, quam matrimonium appellamus, naturalis juris eſt, quæ ſecundum honeſtatem rectumque ordinem rationi naturali convenientem fit. Proinde cum Ulpianus ait, a jure naturali cum belluis communi deſcendere matrimonium, reſpicit duntaxat originem matrimonii, quatenus per corporum conjunctionem contrahitur atque conſummatur. Verum non negat alias contrahendi leges homini ratione prædito obſervandas incumbere, quam natura animalia docuit; *vid. comment. in Hug. Grot. de. jur. bel. & pac. lib. 2. cap. 5. §. 8.* Ex eodem quoque jure, ſcil. quod natura omnia animalia docuit, deſcendere

dere affirmat liberorum procreationem, atque educationem, cum inquit:

Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Meritò ex eodem jure deſcendere liberorum procreationem eorumque educationem, ex quo maris atque fœminæ conjunctio, cujus finis eſt ſobolis propagatio, dimanare affirmat JCtus, & quidem ex jure naturæ nobis cum belluis communi, quamvis, uti de conjunctione diſputavimus, alias procreandi leges homini dictet naturalis ratio, quam animalia docuit natura. Diverſi enim modi, ſive diverſa media, quæ ad propagandam ſobolem adhibenda homini impoſuit ratio, non diverſum jus conſtituunt, quaſi lubido procreandi, quam in brutis animantibus perſpicimus, ex alio principio aliaque ab origine deducenda ſit, quam in procreationem liberorum hominis propenſa natura. Vel ut quidam ſtatuunt, procreatio liberorum non ex jure aliquo naturæ proprie, cujus ſolus homo capax, ob rationem qua præditus eſt, ſic dicto, ſed inſtinctu potius & naturæ innatis ſtimulis arceſſi debeat; hi enim ſtimuli cum homini tum brutis animantibus innati, ut creſcerent & multiplicarentur, convenienter decreto, quod in producendis creaturis ſibi propoſuit ſummus rerum opifex, recte mihi quatenus hiſce impelluntur tum homines tum bruta animantia ad procreandum, ex jure naturæ proprie ſic dicto deſcendere dicuntur. Quippe cum iſtiusmodi ſtimuli conveniant cum decreto hujus univerſi Conditoris, cui placuit eos omnium animantium inferre naturæ, decretum autem illud ſit fons juris naturæ, utique recte ex jure naturæ deſcendere illi dicuntur, quatenus ſunt cauſa impulſiva ad procreandum, & ipſum procreandi actum ex eodem jure dimanare, quatenus cum voluntate & decreto Dei conveniunt, & propagationi inſerviunt: licet propagandæ ſoboli juxta easdem naturæ leges tam bruta animantia, quam homo rationis capax, det operam. Ex eodem fonte deſcendit & liberorum educatio, quæ uti eorundem procreatio ex hoc jure deſcendens brutis communis eſt. *Commune animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt*, inquit

Cic. 1. *offic. cap.* 4. Atque uti legimus apud Euripidem in Dict. Tragœdia:

> *Communis hæc lex ſtirpis eſt mortalium,*
> *Trahens & ipſos in ſui aſſenſum Deos*
> *Ferasque; amare quicquid eſt ex ſe ſatum.*

Unde & apud Diodorum Siculum : *Optime quippe magiſtra natura eſt cunctis animantibus, non tantum ad ſui, ſed & ad prolis conſervationem, ut cognata hac caritate continua ſucceſſio ad æternitatis circulum perveniat.* Verum quoniam homo & animo conſtat & corpore, & potiſſima ejus pars eſt anima, quippe ut inquit Lactantius, *Errat quiſquis hominem carne metitur. Nam corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt: nam ipſe homo, neque tangi, neque adſpici, neque comprehendi poteſt, quia latet intra hoc quod videtur.* (adeo ut non abſque ratione quidam exiſtimarint, animum cujuſque eſſe hominem, corpus vero eſſe ejus duntaxat inſtrumentum) multum differt cura, quam circa liberorum educationem parentibus adhibere incumbit, ab ea, quam ex naturali ſcil. inſtinctu cætera animantia proli ſuæ nutriendæ præſtant. Adeoque non ſufficit, ut parentes liberis ſuis proſpiciant de his, quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſaria; verum cum homo natus ſit ad ſocietatem colendam, quiſque paterfam. tenetur procurare, ut utile ſocietatis membrum evadant a ſe nati nataque, adeoque non duntaxat corporis alimenta liberis ſuis præbere alligati jure naturæ parentes, verum ea quoque liberis ſubminiſtrare eodem juris vinculo tenentur, quæ hominem ad ſocialem & civilem vitam degendam reddunt idoneum, nulla habita ratione, an legitimi, ſcil. juſtis ex nuptiis procreati, an illegitimi; jus enim naturale ratione obligationis, quæ magis generationem, quam ſolemnem copulationem ſpectat: modo pater in foro poli certus ſit de prole a ſe procreata. Obligatio enim, quæ ex jure naturæ ſive rationis dictamine deſcendit, conſcientiam potiſſimum obligat, per ſe & ſua natura. Imo proprio ſuo facto hanc ſibi parentes obligationem imponunt; quip-

quippe, ut inquit Puſendorfius *lib.* 4. *cap.* 11. *de jur. nat.* & *gent. Hæc obligatio non injuncta ſolum videtur ipſa natura, ſed etiam proprio parentum facto, dum liberos generant atque tollunt: ſane enim proli ſuæ facerent magnam injuriam, ſi eam ideo tantum generaſſent ut periret; ergo generando videntur ſe ultro obſtrinxiſſe, quod quantum in ſe, operam velint dare, ut quam dederunt, vita conſervaretur: ſic igitur in liberis erit perfectum jus a parentibus alimenta exhibendi.* Ita ut ne quidem inceſtuoſis & legibus damnato coitu natis jure naturæ alimenta præbere vetitum dicendum videatur. Quippe licet eodem jure omnis procreatio extra legitimum conjugium prohibita, inde tamen non ſequitur, ex vago atque illicito concubitu natis alimenta deneganda. Peccat quidem, qui contra rationis dictamen ex illegitimo coitu liberos procreat, verum duplex peccatum admittit, qui ex ejuſmodi coitu ſuſceptæ proli denegando alimenta mortis cauſam præbet. Officium enim illud deſcendit ex neceſſitate morali, quæ perpetuam obligandi cauſam habet, quamobrem circa idem objectum idem obligationis vinculum parit; & proinde quoties genitor & genitus ſimul exiſtunt, locum ſibi vindicat naturalis hæc obligatio, qua alere tenetur a ſe natum. Iſta enim obligatio non reſpicit naſcendi modum, ſed natorum exiſtentiam, quæ naturalem producit obligationem, qua parentes liberis alimenta præſtare tenentur; quamvis jus Romanum ex damnato legibus concubitu natis nihil relinquendum dictet, *Auth. licet. Cod. de. nat. lib. auth. ex complexu. Cod. de inc.* & *inutil. nupt. nov.* 12. *cap.* 1. *nov.* 74. *cap. ult.* Canones Chriſtianæ pietatis, ut inquit Grotius, hunc rigorem merito correxerunt, quod & nos hodie ſequimur. Haud tollere poteſt jus civile ea, quæ ſunt juris naturalis, ſive ex rectæ rationis dictamine profluunt. Videtur jus civile maxime rationem habuiſſe honeſtatis atque caſtitatis, ut ſcil. hac ratione parentes tanto magis in officio continerentur & caſtitati ſtuderent, qui pro amore, quo erga liberos affecti, in liberorum perſona magis, quam in ſua terrentur. Verum quamvis non omnino rejicienda ratio legis, attamen cum Baldo dicendum videtur, jus civile in tantum amaſſe caſtitatem, ut deſtruxerit pietatem paternam. Niſi &

ipſa juris civilis diſpoſitionem cum Brunnemanno non intelligendam eſſe ſtatuamus de alimentis, ſine quibus partus vitam admitteret; hoc quippe cum jure naturali pugnaret; ſed de iis alimentis, ſine quibus per laborem vel alia via vitam conſervare poſſet. Cui interpretationi repugnare videntur verba *d. auth.* quoniam omni paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio habeantur, adeo ut ne quidem ex paterna ſubſtantia alimenta ipſis debeantur præſtari, ſcil. ad vitam tuendam neceſſaria. Verum aliam hujus conſtitutionis interpretationem nobis ſuppeditat *Azorius inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 2. cum inquit *cap.* 4. *In eo judicio jus civile non privat ſpurios filios alimentis, quæ ſunt vitæ ſimpliciter neceſſaria; hæc enim jure naturali, non tantum æquitate filiis quibuslibet debentur, nec poſſunt lege aut poteſtate humana tolli; ſed dicendum, jus civile ſolum filiis ſpuriis alimenta dirimere, cum poſſunt aliunde ali præterquam a patre.* Verum quoniam conſtitutio generaliter loquatur, nec caſum aliquem excipiat, ob eam rationem, quod ex complexu nefario aut inceſto ſeu damnato concubitu nati ſunt, omnis ſubſtantiæ paternæ indignos beneficio pronuntiat, ita ut ne quidem alimenta ipſis præbere pater teneatur, nulli exceptioni hic locus videtur; cum hæc conditio liberis inceſtuoſis inſeparabiliter, ut ita dicam, inhæreat, & proinde ex ejuſmodi coitu natis alimenta deneget. *d. auth.* quod omnino, ut dicere incepimus, quibuſdam repugnare naturali æquitati & rectæ rationis dictamini videtur, imo & juri divino, quod omne vetat homicidium; quod ſi inſontem necare omni jure prohibitum tanquam grande nefas, multis partibus deteſtabilius in propria ſævire viſcera; at qui alimenta negat, necare videtur, *l.* 4. *ff. de. alend. & agnoſc. lib.* Utique, inquit ſummus JCtus Anthonius Mattheus, Juſtinianus necat inceſtuoſos, dum tolli aliquc a parentibus vetat. Præterea iniquum parentes ſceleratos præmio quaſi ex eo affici, ut, quos ex illicito & legibus damnato concubitu progenuerint, alendi neceſſitate ſolvantur, cum culpa ſit in generante, non in generato, turpitudo in agente qui pater eſt, non in patiente qui filius eſt, deliquit genitor non genitus. Eſt vitium paternum *l.* 12. *C. de natural. lib.* alieno igitur laborant vitio *l.* 7. *C. eod.* teneat ergo

ergo pœna ſuum auctorem, filius non portabit iniquitatem patris, *Ezech.* 18: 20. ut aliquis pœnam juſte patiatur, oportet deliquiſſe, *Deus enim non prius eſt ultor, quam aliquis ſit peccator*, ut inquit Auguſtinus. Qua juſtitia nititur titulus in *Cod. ne filius pro patre*, uti diſſerit Joh. Andr. vander Muelen dum viveret Curiæ Brabantiæ Senator, *tract. d. for. conſcient.* Poteſt quidem legiſlator acerbiſſimas ſtatuere pœnas in eum, qui inceſtum vel adulterium committit, verum cum æquitate & juſtitia convenit, ut pœnæ ſuos teneant auctores; quoniam pœna animadverſio peccati ſit, qua fronte ad eum extendi poteſt, cujus peccatum nullum. Covarruvias jus Canonicum & Civile in unam eandemque conſonantiam redigere hoc modo conatur, ut attento jure Canonico debeantur alimenta non ſolum ſecundum naturæ indigentiam, ſed etiam ſecundum dignitatem perſonarum. Jure vero Civili non denegentur ea, quibus natura indiget, ſed ea duntaxat, quæ dignitas parentum forte poſtulabat. Atque hac ratione nimia ſeveritas, quæ ab æquitate, qua innititur tanquam baſi ac fundamento ſuo jus civile, ut alibi annotavimus, longius quam par eſt deviaret, æquitate iterum temperaretur. Covarruviæ adſtipulatur quoque Mæſtertius *de juſt. L. R. dub.* 7. dum ſtatuit *novellam* 89. *cap. ult. ex qua Auth. ex Complexu* deſumpta atque petita eſt, ea duntaxat alimenta liberis ex damnato coitu natis denegari, quæ naturalibus liberis debentur, & cum aliquo reſpectu ad patrem præſtanda ſunt, non autem ad vitam tuendam neceſſaria. Quod ut clarius, inquit, evadat, animadvertendum eſt, alimenta in duplici differentia eſſe: alia ſtricte & ſecundum naturæ indigentiam ſumpta; alia civiliter cum certo quodam neceſſario vel honeſto reſpectu: illis opus eſt ut vivamus: his autem ut tanquam filii horum illorumve parentum, aut hac illave dignitate vel qualitate ornati vivamus: hæc autem ſunt non illa, quæ ex illegitimo coitu natis denegantur; & licet concedamus *novell.* generaliter loqui, attamen ita reſtringendam eo modo quem dixi, arbitror, ne abſurdum ſenſum habeat, eaque negligatur interpretatio quæ vitio caret *l.* 11. *ff. de in jus vocando. l.* 19. *ff. de ll.* Verum huic reponit Richterus *in expoſit. auth. Cod. lib.* 5. *tit.* 5.

licet

Digitized by Google

licet hæc ſententia ad defendendum Juſtinianum ſit comparata, conſtitutioni tamen ejus non convenire, ſed potius repugnare videtur. Quoniam Imperator eo ipſo, dum dicit *neque naturales nominandi ſunt, neque alendi a parentibus*, hos liberos non ſolum a jure liberorum naturalium, ſed etiam ab ipſis alimentis, ſine quibus vita ſuſtentari nequit, removet. Verum non facile eo tamen deveniendum ſtatuit, ut nævum aliquem Romani juris ſtatuamus, præſertim cum ratio prægnans ſuppeditari poſſit. Quamobrem ſtatuit omnino juſte feciſſe Imperatorem Juſtinianum, dum vetuerit, ne pater liberos ex damnato coitu natos aleret, ut ſcil. tanto magis inceſtus & adulteria vitentur, quales commixtiones dum & naturæ jure omnino prohibitæ ſunt, haud a juſtitiæ & æquitatis tramite deflectit ejuſmodi Imperatoris conſtitutio, qua ad revocandos a tam turpi facinore homines, prohibitum, ne pater inceſtuoſis liberis ad vitam tuendam neceſſaria præbeat, eo animo, ut hac ratione finem poſſet aſſequi legiſlator, dum ita punit inceſtas nuptias contrahentes, ut liberos ſuos, quos naturæ impetu quam tenerrimo amore amplectitur, alere non poſſit. Ejuſmodi itaque prohibitio eatenus cum juſtitia & æquitate convenit, quatenus adhibetur tanquam medio, quo illud jure naturæ vetitum facinus per legitimos tramites e hominum ſocietate expellitur. Nec obſtare videtur, quod ita jus Romanum velit, ut liberi innocentes occidantur, alimenta ipſis denegando, quod æquitati naturali, uti dicere incepimus, maxime adverſatur, quæ liberorum curam non duntaxat commendat, verum imponit parentibus, & proinde jus civile hoc parentum officium nequaquam tollere poteſt. Quippe uti reſpondet ad hanc objectionem ſtatim allegatus auctor, jus civile quidem ſtatuit, ne a parentibus ſceleratis alimenta liberis præberentur; non tamen judicis officium, quod certos terminos non habet, excludit, quare magiſtratus ſive judex, ſi videat liberos fame perituros, jubere poteſt ex officio, ut pater liberis alimenta ſubminiſtret. Vid. Paleott. *de noth. & ſpuriis cap.* 41. *Gail.* 2. *obſerv.* 115. Quod cum ita ex jure civili ſeſe habeat, tantus ei rigor ineſſe non poteſt, ut vult Grot. *de jur. bell. & pac. d. loc.* Imo vero ratio, quam hic ad-

adfert auctor, rigorem ac ſeveritatem non minuit, quippe illa nequit efficere, ut legis diſpoſitio non maneat eadem, ſcil. æquitati & rationis dictamini contraria, ob rationes ſupra a nobis adductas. Memini, me paulo ante annotaſſe, in eadem quidem ſede morari poſſe æquitatem ſeveritatemque, quamobrem ſummus Cujacius ſtatuit, æquitatis dictamen etiam ad rigorem juris civilis quandoque producendum. Verum illud non intelligendum de ejuſmodi rigore juris civilis, qui e diametro repugnat juri naturali, & quidem ejuſmodi præceptis, quæ moralem neceſſitatem per ſe & ſua natura continent, adeoque nulla circumſtantiarum, ut ita dicam, varietate immutari poſſunt, nullamque diſpenſationem admittunt, verum abſolute per ſe omni tempore & loco eandem obligandi vim habent, cujus naturæ lex illa, quæ liberorum curam atque educationem injungit parentibus. Quippe cum hæc obligatio deſcendit ex generatione, quæ arctiſſimo hoc juris vinculo patrem adſtringit, ut liberis a ſe procreatis alimenta præſtet, nulla ratione tolli poteſt hoc officium pietatis, quoniam effici nequit, ut qui ſemel pater eſt, pater eſſe deſinat. Ingenue fateri neceſſum habeo, me olim cum Grotio hunc juris civilis rigorem tanquam pietati paternæ, quam æquitatis & rectæ rationis dictamen a parentibus exigit, contrarium, corrigendum ſtatuiſſe, verum cum interjecto tempore illam Imperatoris Juſtiniani conſtitutionem diligenter examinaverim, videtur mihi ea quamvis in abſtracto per ſe ſpectata, forte ſatis rigida, attamen non ab omni prorſus æquitate & rationis dictamine aliena, ſi eam interpretemur eo ſenſu, qui vitio caret, ſcil. qui cum juſtitia, quæ nunquam ab eo quod æquum & bonum eſt, debet eſſe aliena, convenit. Quamobrem ſi inſpiciamus mentem & rationem legiſlatoris alimenta liberis nefario aut ex inceſto ſeu damnato coitu natis de patre præbenda prohibentis, ea non ad omnis generis complexus inceſtuoſos applicari poteſt, verum eas duntaxat nuptias ſpectare mihi videtur, quæ non inceſtæ tantum, ſed etiam nefariæ, id eſt, naturæ contrariæ ſunt, adeoque jure naturali prohibitæ. Sunt enim quædam nuptiæ inceſtæ & nefariæ ſimul, id eſt naturæ contrariæ: ſunt aliæ quidem inceſtæ, ſed non nefariæ, id eſt

Digitized by Google

neceſſitate morali vetitæ, quia naturæ contrariæ. Illæ omni jure prohibitæ. Hæ jure poſitivo ſive divino ſive humano illicitæ atque vetitæ. Omnes commixtiones nefariæ inceſtæ; verum non omnes inceſtæ nuptiæ nefariæ. Illæ naturæ adeo contrariæ, ut & bruta quædam eas abhorreant, ſi Hiſtoriis habenda fides. Hæ illicitæ quidem, verum non omnino naturæ contrariæ: naturæ enim contrarias ipſe Imperator vocat inceſtas & nefandas nuptias, quæ impiæ & ſceleſtæ ſunt, *nov.* 12. *cap.* 1. cujuſmodi nuptiæ inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum. Quamobrem Imp. *in §.* 1. *inſt. de. nupt. Inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve loco ſunt, contrahi nuptiæ non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem & uſque infinitum. Et ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur.* Sic nefaria conjunctio dicitur ab Ulpiano, ejus, qui in concubinatu patris fuit, deinde in filii eſſe cœperit, vel nepotis, *l.* 1. *§.* 3. *ff. de concub.* Nefariæ pariter & inceſtæ hæ nuptiæ ſunt, nefariæ quia naturæ contrariæ, & proinde quoque inceſtæ. Quamobrem & bruta intellectu carentia deteſtari & averſari tales concubitus tradit, ut alibi annotavimus, Ariſtoteles 9. *Hiſtor. animal.* & Plinius *de equis, natural. hiſtor. lib.* 8. *cap.* 42. Habemus nobis adſtipulantem Bermondum Choveronium Pontificii juris Doctorem florentiſſimum *Comment. de pub. concub. Rubr. de inceſtu. §.* 5. *Sed advertendum eſt,* inquit, *quod licet coitus inceſtuoſus & nefarius dicatur, quando committitur cum conſanguineis vel affinibus: tamen lata eſt differentia inter iſtos duos: quia inceſtus proprie dicitur, quando committitur cum conſanguineis collateralibus, ſcil. cum frater cognoſcit carnaliter ſororem vel conſobrinam, vel quamcunque aliam ex latere collaterali procedentem: tales enim ſecundum veram ſignificationem vocabuli, dicuntur inceſtuoſi. Sed coitus nefarius dicitur, quando committitur cum conſanguineis aſcendentium vel deſcendentium, ut ſi pater carnaliter cognoſcat filiam vel neptem, vel ſi filius cognoſcat matrem vel aviam. Iſti enim ſic delinquentes non proprie inceſtuoſi, ſed nefarii appellandi, & magis reprobatur coitus nefarius quam inceſtuoſus, unde qui*

cum

Digitized by Google

cum aſcendentibus vel deſcendentibus matrimonium contrahit, nuptias nefarias contraxiſſe dicitur, qui verò cum transverſalibus contrahit, inceſtas nuptias copulaſſe videtur: unde differentia illa orta eſt; Rubr. C. de inceſtis & nefariis nuptiis. Quanto magis hominem rationis participem a tanta turpitudine & fœditate abſtinere oportet, a qua ipſe naturæ inſtinctus abhorret. Imp. itaque merito naturæ contrarias appellat inter tales perſonas contractas nuptias, & propterea nefandas atque damnatas vocat. Damnatæ enim omni jure cum naturali ſive jure gentium, tum etiam poſitivo, adeo ut omnes fere gentes, paucis exceptis, quæ inter moratiores haud recenſeri debent, natura duce & dictante ratione, ab ejuſmodi nuptiis abſtinuiſſe ex veterum monumentis perſpicimus. Quamobrem Socrates *apud Xenoph lib. 3. memor.* ait, hanc legem a Deo in ipſa natura impreſſam, ut neque parentes cum liberis, neque cum parentibus liberi commiſceantur. Et eleganter Ovid. *lib.* 10. *Metam.* ait, concubitu vetito naturæ fœdus pollui. Verum nos potius haſce nuptias inceſtas & nefarias vocamus, quia recta ratio nobis dictat eas plane naturæ humanæ contrarias eſſe, atque illum ordinem, quem hujus univerſi Conditor in propagando humano genere ſervari voluit, evertere, & proinde maxime naturæ jura violare eum, qui ejuſmodi nefarias atque inceſtas nuptias contrahere haud erubeſcat. Nec leve ſtatuendum hoc eſſe peccatum, quippe lex illa naturalis, quæ ejuſmodi nefariis nuptiis abſtinendum imperat, deſcendit ex ſanctitate & juſtitia Dei, adeoque in morali neceſſitate fundata, quæ nullam admittit diſpenſationem, verum hominem ad ſui obſervantiam quacunque in conditione poſitus, quovis loco, tempore, quam arctiſſimo juris vinculo alligat. Illam autem ſanctitatem & juſtitiam quaſi abnegare videtur, qui ejuſmodi nefandas atque damnatas contrahit nuptias. Sanctitas enim & juſtitia Dei non qualemcunque multiplicationem & propagationem humani generis, verum ordinatam & naturæ humanæ, ſcil. rationis dictamini conſentaneam admittit. Quicunque vero ejuſmodi commixtiones cum rationis dictamino confert, earundem tantam turpitudinem & fœditatem eſſe, inveniet, ut conſcientiæ ſuæ teſtimonio convictus, a tali conjunctio-

junctione abhorrebit, utpote quæ non omnem duntaxat reverentiam, qualem a liberis parentibus exhibendam ſanctitas & juſtitia Dei exigit, & proinde dictat ratio; verum etiam omnem pudorem naturalem tollit, & caſtitatis & pudicitiæ ſenſum quaſi ex animo evellit; qua ſublata, ad immoderatas & a natura alienas cupiditates, effrenes impetus, & nefarias voluptates prolaberetur maxima pars hominum; quî caſtitati & pudicitiæ filiæ, quæ in patria poteſtate conſtituta, in domo patris degit, conſultum erit, ſi patris cum filia concubitus ſummum non habeatur nefas. Huic etiam accedit, quod ejuſmodi matrimonia magnam ſanguinis inducant confuſionem, cum & genitorum & natorum confundant nomina, aliaque plane neceſſitudinis prodant nomina, quæ & ipſa naturæ legi atque ordini vehementer repugnant. Quamobrem & ab ipſis Gentibus, ratione edoctis, damnati & illiciti ejuſmodi concubitus habiti, uti annotavimus. Deſcribit hanc confuſionem apud Senecam in Phœniſſis Oedipus *Thebaid. act.* 1.

Avi genero, patriſque rivalis ſui,
Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. Monſtra quis tanta explicet.

Et apud Eundem Tyeſtes:

- - - - - - *Verſa eſt natura retro.*
Avo parentem (proh nefas!) patri virum
Natis nepotes miſcui.

& idem,

Per ſcelera natus, nomen ambiguum ſuis
Idem ſororis gnatus & patris nepos.

Hinc apud Ovid. *Metam.* 10.

Ultra autem ſperare aliquid potes, impia virgo?
Nec, quod confundas & jura & nomina ſentis?
Tune eris & matris pellex & adultera patris?
Tune ſoror gnati, genitrixque vocabere patris?

Philo

Philo Judæus *de ſpecialibus legibus*, dum in Perſas invehitur, connubia cum matribus admittentes, addit: *Quo nihil excogitari poteſt magis impium, conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes liberos patris quidem patres, matres vero nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe ac aviam, illum filiorum patrem & fratrem uterinum.* Magis laudanda legum Romanarum caſtimonia, quæ ut intacta & illibata ſervaretur reverentia parentibus jure naturæ debita, illicitas quoque declarabant nuptias inter patrem & filiam adoptivam, etiam poſtquam per emancipationem adoptionis jura fuerant ſoluta, *l.* 55. *ff. de rit. nupt.* Semper enim in conjunctionibus conſiderandum eſt quid honeſtum ſit, quid decorum, & natura juſtum, id eſt, dictamini rationis conveniens. Quis ex hiſce, quæ de conjugio inter aſcendentes & deſcendentes diſputavimus, non perſpicit ejuſmodi nuptias non duntaxat inceſtas, verum merito etiam nefarias appellari, quia juri morali ſive divino neceſſario omnino repugnant, & proinde quia jure naturæ ſive divino neceſſario damnatæ & vetitæ, graviſſima animadverſione eos dignos eſſe, qui tam nefandas nuptias contrahendo, omnem plane reverentiam, quam jure divino neceſſario parentibus exhibendam, & proinde quoque omnium ſaltem moratiorum gentium jura dictant, non duntaxat tollit, verum etiam ordinem, quem idem jus quod perpetuam obligationem imponit mortalibus, in contrahendis matrimoniis obſervandum voluit, evertit, atque nefandam ac deteſtabilem confuſionem ſanguinis inducit. Ad ejuſmodi nefarias & inceſtas pariter nuptias conſtitutionem Imperatoris Juſtiniani pertinere, dicendum nobis videtur, ita ut ne quidem liberi ex complexu nefario nati, quamvis inſontes & crimine vacui, indigni habeantur omnis paternæ ſubſtantiæ beneficio, ut nec alantur a patre nec ab omni ratione & æquitate, alienum eſt, ut ob criminis fœditatem ac ſummam turpitudinem in pœnis ſtatuendis & infligendis legiſlator magis rigorem & ſeveritatem, quam benignitatem & clementiam ſequatur, præſertim in ejuſmodi delictis, quæ juri naturæ & divi-

Digitized by Google

no neceſſario repugnant, cujus generis complexus, iſti nefarii atque inceſti, ut hac ratione magis coerceantur ejuſmodi naturæ humanæ contrariæ & nefandæ libidines, atque ab iis homines deterreantur: cum enim parentum amor erga liberos, niſi humanam naturam exuerint, tenerrimus ſit & vehemens, adeo ut ne vitam quidem pro ipſis profundere recuſarent neceſſitate exigente, nulla videtur in contrahentes nefarias nuptias acerbior pœna ſtatui poſſe, quam ut liberis ex nefario & inceſto & jure naturali damnato complexu natis alimenta ad vitam tuendam neceſſaria parentibus præſtandi facultas eripiatur. Nec obſtat, æquitati & rectæ rationis dictamini maxime repugnare, ut liberi, qui plane innocui ſunt, pœnæ quodam modo fiant participes, dum ipſis auferantur alimenta ad vitam tuendam neceſſaria. Unuſquiſque enim ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur; ibi enim pœna eſſe debet, ubi noxa eſt: peccata enim ſuos auctores tenere oportet *l. 26. ff. de pœnis. l. 22. Cod. eod.* Quippe cum pœna ſit delicti ſequela, & delictum unica ratio & cauſa eam infligendi; ergo dictat juſtitia, quod neminem puniri oportet, niſi in quo occurrit cauſa pœnæ infligendæ, qui alius non eſt niſi auctor delicti; quamobrem & ille ſolus pœnæ ſubjiciendus; licet quidem pœnam remittere aut exigere pro arbitrio ſummæ poteſtatis, verum haud licet innocentem plectere. Aptitudo enim ad pœnam, uti diſſerit Pufendorſius, ex merito oritur, cujus fundamentum ſua cujuſque voluntas, qua homini nihil magis proprium, quæque niſi ex motu intrinſeco vitium contrahere non poteſt; quamobrem ex ſua quiſque voluntate, ſuoque ex facto damnum ſentire atque pati æquum, non ex alieno. Concedo facile haſce rationes & argumenta cum juſtitia & æquitate omnino convenire, verum non video, qui applicari poſſint ad quæſtionem, de qua omnis noſtra diſputatio eſt. Concedimus liberos ex damnato & nefario coitu natos inſontes eſſe & crimine parentum vacuos, & proinde nulla pœna afficiendos eſſe; verum pœnam illam in patrem magis quam in liberos conſtitutam, quis non videt, propterea quod nullum ſupplicium videtur gravius ſtatui poſſe in parentes, quodque ipſis majorem

jorem adfert dolorem, quam ſi videant ſua culpa ſuis poſteris male eſſe, & liberos ſuos calamitatibus premi. vid. Plutarch. *de ſer. num. vind. pag. mihi* 561. Quamobrem haud præmio quaſi affici videri debent parentes, dum ab onere alendi inceſtuoſos liberos liberari videantur, uti differunt quidem JCti, qui illam conſtitutionem Imperatoris quaſi juſtitiæ Romanarum legum contrariam corrigendam ſtatuunt. Quid enim magis patrem forte locupletem excruciare poteſt, quam ut ſibi ereptam videat liberis ſuis, quos laute ac liberaliter educare potuiſſet, ne quidem vitæ neceſſaria præſtandi facultatem ſua culpa, ſuoque facinore atque flagitio. Cujuſmodi cogitationes, modo non omnem humanæ naturæ ſenſum exuerit, oportet animum majore dolore afficere, quam acerbiſſimi ſupplicii metum atque graviſſimæ pœnæ formidinem. Hanc vero conſtitutionem non ad illas inceſtas nuptias extendendam præter mentem legiſlatoris dicendum mihi videtur, quæ inceſtæ ſunt jure poſitivo ſive divino voluntario, vel jure civili prohibitæ: quales ſunt inter nonnullas perſonas, quæ ex tranſverſo gradu cognationis junguntur, & quidem in primo & ſecundo gradu lineæ inæqualis, veluti in fratrem & ſororem; quippe ejuſmodi matrimonium quamvis jure naturali quoque prohibitum eſſe communiter velint Doctores, cum unitas carnis, quæ eſt inter fratres & ſorores, inducat naturalem pudorem, quo ſua ſponte homines rationis dictamini obtemperantes a tali connubio abhorreant. Præterquam quod caſtitati & pudicitiæ non ſatis conſultum foret, ob familiaritatem & conſuetudinem, quæ fratri cum ſorore intercedit, videtur ipſa naturalis ratio, uti inter aſcendentes & deſcendentes, ita quoque collaterales arctiſſimo ejuſmodi ſanguinis vinculo junctos nuptias intercidere & proinde quoque eodem jure inceſtas & nefarias appellari poſſe. Verum qui in hanc opinionem adducti ſunt, non ſatis diligenter examinaſſe mihi videntur, quid juri naturali ſive divino neceſſario, quid juri poſitivo ſive divino voluntario adſcribendum. Annotavimus, quicquid jure naturali ſive divino neceſſario prohibitum, ejus eſſe naturæ, ut nullam diſpenſationem admittere poſſit, propterea quod ejuſmodi prohibitio deſcendit immediate & per ſe ex ſanctitate & juſtitia Dei tan-

Digitized by Google

tanquam fonte juris naturalis & moralis ſivi divini neceſſarii, quamobtem juris naturalis perpetua ſtat immutabilitas, nec Deus contra illud agere aut diſpenſare poſſit; quia hac ratione violaretur ſanctitas atque juſtitia divina, cui omnino conſentaneum eſt jus naturæ, imo ex hoc fonte, uti diximus, immediate dimanat. Sanctitas enim & juſtitia divina Deo eſſentialis eſt, ut alibi demonſtravimus, adeoque ſibimet ipſe non repugnabit Deus, vel potius ſe abnegabit eſſe quod eſt, quemadmodum omnis mutationis expers, ita quoque omnia attributa & virtutes Divinæ eſſentiales, & ejuſdem naturæ, quæ ex hoc fonte deſcendunt leges atque præcepta. Atqui mundi primordio connubium inter fratres & ſorores admiſerit ſummum numen, dicendum puto illud non eſſe contra jus naturale, ſed contra Jus divinum poſitivum ſive voluntarium &. humanum ſive jus civile. Vid. *Commentar. in Grot. de jur. Bell. ac Pac. libr.* 2. §. 12. 13. 14. Quanto autem crimen gravius, eo graviore pœna vindicandum: quod autem inceſtum contra Jus divinum neceſſarium ſive naturæ, (quod idem eſt cum Divino neceſſario) admiſſum, utpote quod naturæ humanæ, ordini, honeſtati, atque pudori naturali contrarium eſt, eo magis nefarium, atque propterea quoque damnandum magis, quam contra jus poſitivum admiſſum neminem in dubium revocaturum arbitror; & proinde non eadem pœna qui jure poſitivo prohibitas nuptias contraxit plecti juſtitiæ diſtributivæ convenit quam pati meritus eſt, qui nefarias juxta & inceſtas atque naturæ contrarias nuptias contrahere non erubeſcit. Ejuſmodi enim nuptiæ adeo nefariæ atque turpes ſunt, ut ne quidem inter gentes nominari teſtetur Paulus Apoſtolus 1 *Corinth.* 5: 1. inter gentes ſcil. moratiores, quibus rectæ rationis dictamen vitæ ducendæ norma atque regula eſt. Imo adeo turpe atque nefandum hoc ſcelus habitum eſt, ut ejuſmodi exemplum rarum fuerit inter gentes etiam prorſus immanes. Quamobrem Cicero *orat. pro Cluentio*, ubi de Saſſiæ importunæ mulieris nefaria libidine, ſermonem habens, quæ Melinum generum ſuum, ad filiam ſuam repudiandam, ut ipſe lectum illum genialem, quem non ita pridem filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, expulſa atque exturbata filia,

filia, ſuo cum genero nefario concubitu pollueret, in hæc verba prorumpit: *O mulieris ſcelus incredibile & præter hanc unam in hac vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem! perfregit ac proſtravit omnia cupiditate ac furore: vincit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Ratione itaque duntaxat edocti gentiles hoc ſcelus adeo immane exiſtimarunt, ut inauditum & incredibile ſit, ob innatam cuique naturalem reverentiam ſanguinis atque honeſtatis, ad illud admittendum hominem ſana mente præditum prolabi poſſe. Quid mirum igitur, ut tam horrendum & nefarium crimen extraordinaria pœna, quæ per ſe & in abſtracto quodam modo videretur æquitati & rectæ rationis dictamini repugnare, vindicetur. Quippe non iniquum & rationi contrarium eſt, ut ejuſmodi ſcelus, quod vix admitti poteſt, niſi ab eo, qui omnem prorſus rationis ſenſum, omniaque ejus veſtigia ex animo delevit, ejuſmodi plectatur pœna, quæ, quamvis non omnino reſpondere videatur rationis dictamini & æquitati in puniendis delictis graviſſimis, attamen cum ea convenit, quatenus hoc ſcelus tanquam omnium ſcelerum immaniſſimum atque inauditum acerbiſſima & quaſi inaudita pœna expiandum eſt. Atque hac ratione ſervatur illa proportio, quæ inter delictum & pœnam delinquenti infligendam ſervari jubet rationis æquitas Et proinde conſtitutionem Imperatoris Juſtiniani ratione nuptiarum quæ pariter nefariæ atque inceſtæ ſunt, id eſt, inter aſcendentes & deſcendentes contractæ, haud iniquam, verum cum æquitate omnino convenire arbitramur; a qua recederet, ſi eandem velimus extendere ad patrem, qui in primo & ſecundo gradu lineæ inæqualis inceſtum admittit; proinde quoque dictat æquitas, ne conſtitutio Imperatoris in ejuſmodi inceſtis nuptiis locum ſibi vindicet, quæ inceſtæ vocantur jure civili vel poſitivo jure divino. Hanc quoque diſtinctionem & differentiam notarunt juris civilis Interpretes, cum inceſtum duplex eſſe ſtatuant, ſcil. vel juris gentium ſive naturalis, quod a jure gentium non differt, vel juris civilis. Juris gentium inceſtum eſt, quod committitur inter aſcendentes & deſcendentes in linea recta. Juris civilis, quod legibus prohibetur, ut inter

M fra-

fratrem & ſororem. Eſt autem inter has duas ſpecies memorabilis hæc differentia, quod a pœna inceſti contra jus civile commiſſi excuſat mulierem ignorantia juris, ſed a pœna inceſti contra jus gentium non excuſat, *l. 57. ff. de rit. nupt. juncta l. 38. ff. ad l. Jul. de adult.* A juris naturalis diſputatione quod natura omnia animalia docuit, & proinde non humani generis duntaxat proprium, ſed omnium animalium quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, & avium quoque commune eſt, tranſit JCtus ad jus gentium deſcribendum; ſcil. jus illud, quo gentes humanæ utuntur, idque a naturali jure, cujus definitionem primo loco tradidit, recedere affirmat: quatenus illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt, uti perſpicimus ex §. ſequenti cum inquit: *Jus gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, quod a naturali recedere facile intelligere licet, quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt.* Jus gentium definit vel deſcribit illud eſſe, quo gentes humanæ utuntur. Atqui idem illud prædicare poſſimus de jure naturali, quænam erit differentia inter jus naturale, de quo in antecedente Paragrapho definitionem dedit, & jus gentium, de quo hoc loco ſermonem habet JCtus? Si uſum & originem ſpectemus, nulla; verum ſi modum utendi ejus applicatione intueamur, magna erit inter utrumque differentia. Et eo ſenſu jus gentium a naturali recedere facile perſpicimus, atque ſolis hominibus inter ſe commune eſſe intelligere haud erit difficile. Diximus alibi, legem naturalem perfectiſſime & ab æterno fuiſſe in Deo, qui ad ejus normam omnes res, ad fines ſuos conſequendos, pro conditione tamen objecti diverſo modo diſponit, regit & gubernat, ita ut res ſenſus prorſus expertes omnino cæco quodam impetu tendant ad finem illum aſſequendum, quem hujus univerſi conditor eas producendo ſibi propoſuit. Bruta animalia cum aliqua forte prævia finis cognitione, perque eam excitato magis vel repreſſo naturali inſtinctu, & hactenus neceſſario divino decreto, adeoque legi naturæ conſentaneum operantur. Homines vero per cognitionem & rationabilem collationem mediorum cum fine propoſito juri naturæ obſequuntur, dum actiones, quæ a ſe proficiſcun-

ciſcuntur, ita moderantur, ut cum ratione, cujus vi finem ad quem conſequendum ſe natos perſpiciunt, convenientiam habeant; atqui ratio hominem edoceat, ſe non animal duntaxat natum, ut cum ceteris animalibus ratione carentibus, ea duntaxat juris naturæ præcepta adimplent, quæ ad finem ſibi cum brutis animalibus communem aſſequendum, juxta æternam illam legem, ducunt. Verum etiam ut conditioni ſuæ convenientem vitæ ſuæ traducendæ rationem inſtituat, atque hoc medio finem, ad quem conſequendum homo ratione præditus natus eſt, aſſequatur, & in eo utendi & applicandi modo potiſſimum conſiſtit diverſa ejuſdem juris ſcil. naturalis appellatio. Nimir. quatenus homo cum brutis animalibus ob communem finem aſſequendum tendit, dicitur eodem jure cum brutis uti, & jus naturale ipſi cum animalibus commune eſſe. Verum quatenus natus eſt ad alium inſuper aſſequendum finem, ſcil. ut honeſtatem, juſtitiam, & æquitatem pro norma & regula agendi & vivendi amplectatur, & quod turpe atque honeſtati & æquitati repugnare ſibi dictat ratio, fugiat declinetque, juris gentium appellatione venit, jus naturale. Quamobrem menti inſitæ communes illæ de moribus notiones, ſive principia boni rectique omnium animis divinitus impreſſa, quæ per mentis diſcurſum nobis non ſimpliciter innoteſcunt, verum cum ejuſmodi notione atque ſcientia conjunctum eſt rationis dictatum, quod præcipit, ut ea, quæ honeſta & recta ſunt, in totius vitæ curſu ſequamur, quæ vero turpia ſunt, fugiamus. Adeoque ex ejuſmodi mentis diſcurſu, ex contemplatione & prævia notione illorum principiorum boni rectique, animo divinitus inſita, proficiſcitur lex illa moralis ſive naturalis æterna, quæ vetat turpia, præcipit honeſta, cujus perpetua eſt obligatio, adeoque finis, ad quem aſſequendum in hoc vitæ curriculo tendere nos oportet quatenus ratione præditi ſumus, & proinde hoc jus, quatenus eſt regula actuum moralium obligans ad id quod juſtum rectumque eſt, ſolis hominibus inter ſe commune eſt; fundamentum enim in dictamine rationis eſt, cujus ſolus homo particeps. Et hoc ſenſu jus naturale, quod primo loco deſcriptum, cum & uſu tum etiam applicatione, juris gentium appellatione venit; quod

in eo recedit a jure naturali primo loco deſcripto, quod illud omnibus animalibus, & proinde etiam homini, quatenus homo ſub eodem generali appellatione comprehenditur, hoc ſolis hominibus, quatenus ejuſdem rationis participes ſunt, commune ſit. Hujus juris moralis ſive naturalis, quod ob rationes adductas juris gentium appellatione venit, exempla quædam ſubjicere placuit Jcto in §. qui ſequitur, cum inquit: *Veluti erga Deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus.* Religio erga Deum, quocunque ſenſu eam vocem interpretemur, ſemper ſupponit ſubjectum ratione præditum, quod ſummi ac perfectiſſimi Entis habet notionem, atque ex contemplatione ejuſmodi entis ſive ſupremi numinis, ratione dictante, perſpicit omni cultu ac veneratione dignum eſſe. Imo vero per mentis diſcurſum intelligit, ſe ab ejuſmodi ente non duntaxat productum atque formatum eſſe, verum etiam conſervari atque foveri, & proinde ſe jure naturæ alligatum illud colere, venerari, & omnem obedientiam exhibere. Per illud ens ſupremum & perfectiſſimum Deum intelligimus, quem novimus, quem veneramur, cui obtemperamus. Notio autem, veneratio, & obſequium, non cadit niſi in ſubjectum, quod per mentis diſcurſum clare & diſtincte percipit ejuſmodi entis exiſtentiam atque eſſentiam, cujus notionem menti ſuæ impreſſam perſpiciens, duce ratione dijudicat, venerationem & obſequium huic præſtandum. Ejuſmodi ſubjectum ſolus homo, & proinde Jctus noſter religionem erga Deum non deducendam merito ſtatuit ex jure naturali, quod primo loco deſcripſerat, ſcil. quod natura omnia animalia docuit, quodque homini cum brutis commune eſt. Verum adſcribit juri gentium, quod non origine, verum uſu & applicatione a jure naturali recedit, quatenus ejuſmodi uſus & applicatio requirit ſubjectum ratione præditum, quod finem & media ad finem aſſequendum idonea per mentis diſcurſum novit & applicare intelligit. Et proinde hoc ſenſu ſumpto juris naturalis vocabulo, jus gentium vocat, quo gentes humanæ utuntur, quod ſolis hominibus inter ſe commune eſt, quia ſolus homo acie mentis ſive rationis lumine percipit finem, ad quem aſſequendum collimare debent actiones, quæ a ſe proficiſcuntur,

Digitized by Google

tur, & novit media quæ huic conſequendo inſervire poſſunt, & adhibere debet. Huc pertinet exemplum quod adfert JCtus, uti ſtatim annotavimus. Religio erga Deum profluit ex eo jure, quod hominum duntaxat proprium eſt; ſcil. quod per mentis diſcurſum innoteſcit. Quamobrem Lactantius 7. *divin. inſtit.* 9. *Quia nullum ſit animal quod habeat notitiam aliquam Dei, religioque ſit pene ſola, quæ hominem diſcernit a mutis.* Atque in libro *de ira Dei cap.* 12. inquit, *Cum divinitatis intellectus, quo differimus a belluis, in homine ſolo ſit.* Per intellectum intelligimus divinitatis ſenſum profluentem ex illa menti hominum inſita atque innata ſive impreſſa divinitatis idea, qua homines, quatenus rationis participes naturali quodam impetu feruntur ad venerandum atque colendum ſupremum quodvis numen, a quo ſive bonum ſive malum ſperent mortales: quippe intellectus vocabulo proprio ſenſu ſumpto, non præcedit ſenſum divinitatis, verum eo poſterior eſt, & naſcitur ſive proficiſcitur ex mentis diſcurſu, poſtquam mens noſtra ſibi innatam atque impreſſam illam voluntatem & naturalem propenſionem, qua fertur ad colendum & venerandum ens aliquod ſupremum, cujus idea ſibi inſita eſt, cum rationis dictamine confert, atque indagare & explorare elaborat, exiſtentiam, eſſentiam atque virtutes ejuſmodi numinis, ad quod colendum & venerandum natura impellitur. Quo examine peracto, dijudicat ejuſmodi numen, cujus jam habet intellectum, coli ac honorari oportere, & proinde dictat ſibi ratio ſummum aliquod numen eſſe & exiſtere, quia eſt & exiſtit eo modo, quo illud exiſtere percipit intellectus, omni cultu & veneratione dignum eſſe; atque hac ratione religio erga Deum ex jure gentium, ſcil. rectæ rationis dictamine, quod ſolis hominibus inter ſe commune eſt, procedit; & cuncti mortales, dictante conſcientia ſe devinctos, perſpiciunt, ſummum aliquod numen, cujus prænotionem ſive ideam menti ſuæ impreſſam ſentiunt, colendum & venerandum eſſe. Quamobrem potius Religionem dictam puto a religando quam a relegendo, vel ut alii volunt, a relinquendo; quippe ut inquit Lactant. *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 8. *Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſo-*

lum noverimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus, unde ipſa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus eſt a relegendo. Melius id nomen Lucretius interpretatus eſt, qui ait, religionum ſe nodos exſolvere. Idem etymon Hieronymo placet, qui *in cap.* 9. *Amoſi* ſcribit, *Religionem dictam eſſe, quod quaſi in faſcem domini vincti & religati ſimus.* Sic etiam Servius *in* 8. *Æneid.* illud a religando habet, cum ait, *Religio id eſt metus ab eo quod mentem religet, dicta religio.* Jctus noſter de religione ſermonem habens, per religionem intelligere mihi videtur rationem ſeu modum colendi Deum, vel pro forma cultus externi & publici, qui Deo exhibetur, ſive recte ſive perperam, qui innititur illa innata atque menti impreſſa ſupremi alicujus numinis idea, quæ in animis mortalium producit inclinationem & propenſionem naturalem, qua impelluntur illud colere & venerari, eamque venerationem publice profiteri: adeo ut recte quatenus ejuſmodi religio provenit ex naturali propenſione, propenſio vero ex innata divinitatis idea, & diſcurſu mentis naturam atque virtutes ejuſmodi divinitatis agnoſcentis, naturalis recte vocatur, quaſi cum ipſa hominis natura prodita. Et proinde recte a jure gentium eſſe ſtatuit Jctus noſter. Quamobrem Cicero *lib.* 1. *Tuſculanarum quæſtionum* inquit, *Firmiſſimum hoc afferri ſolet, cur Deos eſſe credimus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet, omnes tamen eſſe vim & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut conſenſus efficit, non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.* Et 1. *de nat. Deor. cap.* 43. *Quæ eſt enim gens aut quod genus hominum, quod non habet ſine doctrina anticipationem quandam Deorum.* Quam appellat πρόληψιν Epicurus, *hoc eſt anteceptam animo rei quandam cognitionem, ſine qua nec intelligi quicquam, nec diſputari poſſet.* Et Arnob. *cont. gent. lib.* 1. *Quiſquamne eſt hominum, qui non cum iſtius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non ſit ingenitum, non affixum, imo ipſis pene in genitalibus matris non impreſſum,*

non

non inſitum eſſe Regem ac dominum, cunctorum quæcunque ſunt moderatorem. Eſſe igitur inquit Cic. *dict. loc.* Deos confitendum eſt: quod quoniam fere conſtat inter omnes non philoſophos ſolum, ſed etiam indoctos, fateamur conſtare illud etiam, hanc nos habere ſive anticipationem, ut ante dixi, ſive prænotionem Deorum. Eandem ſententiam Seneca amplexus inquit *Epiſt.* 117. *Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt: nulla gens adeo extra leges moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Atque harum in hominum animis informatarum de Diis notionum quatuor cauſas adfert Cleanthes apud Ciceronem *de nat. Deor. lib.* 2. *cap.* 26. ad quem lectorem remittimus; quodque ideo cœleſte vocavit idem Cicero *lib.* 1. *de nat. Deor.* quippe ſi nos mentes e divina mente delibatas habere placuerit ſummo rerum opifici, quamobrem mentem noſtram *divinæ particulam auræ* dixerunt veteres, non potuit omnis divinitatis ſenſus peccati labe obliterari: oportebat enim, ut mens ſibi eſſet conſcia originis atque auctoris ſui, ut ſuam agnoſcere poſſet dependentiam, & proinde ſe alligatam atque devinctam perſpiceret ad colendum ac venerandum auctorem ſuum; tum etiam omne obſequium creatori præſtandum obligatam eſſe. Colendi enim atque parendi neceſſitas homini impoſita, provenit ex ſenſu atque idea divinitatis menti noſtræ impreſſa, quæ nobis repræſentat eſſe ſummum aliquod Ens undique per ſe perfectiſſimum, a ſe ipſo exiſtens, adeoque ſine principio: quippe cœpiſſe aliquando, & tamen a ſe cœpiſſe, ſumma contradictio eſt; quod enim nondum eſt, non poteſt agere, & proinde ſuam ſibi dare exiſtentiam, uti alibi demonſtravimus; atqui mens noſtra ſibi conſcia ejuſmodi entis, quod quidem ſine principio exiſtit, aliarum vero rerum, quæ productæ ſunt, ab hoc ente originem derivare neceſſum habeant, facile perſpicit exiſtentiæ & eſſentiæ ſuæ auctorem cum ceteris creaturis ſibi communem eſſe. Si vero ſibi non dederit primam exiſtentiam, ſuæ quoque dependentiæ conſcia, dependentia vero involvit ſubjectionem, ſubjectio parendi honorandi atque venerandi parit neceſſitatem; atque in eo potiſſimum conſiſtit divinitatis idea menti noſtræ innata atque inſita, quod abſque ullo mentis diſcurſu atque ratio-

rationis dictamine in nobis propenſionem quandam ſentimus, ad agnoſcendum aliquod ſupremum ac ſummum Ens, a quo omnes creaturæ uti productæ ita quoque dependent, cujus dependentiæ, uti diximus, ſibi conſcius homo eſt, & proinde ratio eum docet creaturam rationalem nihil æque decere, quam Dei a quo condita eſt, atque a cujus nutu dependet, excellentiam ſummaſque virtutes venerari atque colere. Adeo ut religio ſit neceſſaria & naturalis rationis ſequela, & proinde datur quoque religio naturalis, quæ fluit ex illa mentibus omnium hominum ingenita ſupremi alicujus Entis opinione. Quæ magis corroboratur ac confirmatur, quando cum rationis dictamine ac mentis diſcurſu conferimus. Poſito itaque divinitatis ſenſu, qui hominem ſtatim atque compos mentis eſt, deducit, ne ſupremi atque ſummi Entis notionem deponat, adeoque nec religionem. Non me fugit, & olim & hac noſtra ætate, quoſdam omnes ingenii vires eo intendere voluiſſe, ut ex hominum animis eradicarent evellerentque divinitatis ſenſum, & proinde omnem religionem tollerent. Verum hi conſcientiæ ſuæ vim inferunt, & magis Athei mihi dicendi videntur in foro ſoli quam poli, quippe dum ore Deum eſſe negant, intus conſcientia teſte eſſe ſummum aliquod Numen omnium rerum principium atque auctorem fateri neceſſum habent. Magiſque, uti veteres inter Ethnicos philoſophi, in Atheiſmum prolabuntur non per imprudentiam aut ſimplicitatem, quam quidem ex petulanti ſapientiæ oſtentatione, vel ut animum adverſus metum ſummi alicujus Entis, qui conſcientiam mille aliquando cruciatibus afficit, obfirment. Quamobrem haud mihi perſuadere poſſum, dari Atheos Theoreticos, ut ita dicam, qui nullum prorſus divinitatis ſenſum nullamque ſummi alicujus Entis ideam ſibi impreſſam ſentirent. Quippe uti dicere incepimus, & idem nobiſcum ſtatuunt non infimi ſubſellii divinorum oraculorum interpretes, nec ſingulis conſcientia, tortor in ſinu, etiam cum cauteriata eſt, id permittit. Atque quotquot fere per totum orbem terrarum nationes diſperſæ, etiam quas barbaras vocare ſolemus, tum veteres tum recentiores, licet animorum integritate maxime alienæ, adeoque univerſum genus huma-

humanum ſuo more aliquod numen agnoſcunt atque colunt. Quamobrem, ut inquit Maximus Tyrius, *nullum eſt genus hominum, neque Barbarum neque Græcum, ſive in mari ſive in continente vivat, ſive ſine ſede vagetur, ſive urbem incolat, quod non aliqua divini cultus ſigna erigat.* Adeo ut potius Deum, quamvis ignotum, colant, quam ut omnem penitus divinitatem ex animis hominum delendam eſſe exiſtimarent. Meminit quidem Tullius quarundam gentium, quæ adeo efferatæ, ut apud eas nulla ſuſpicio Deorum ſit, 1. *de nat. Deor.* 63. quæ pecudum more vivunt, nec Dei aut religionis curam habent. Uti de quibuſdam Braſiliæ gentibus traditum. Verum Cicero hoc loco ſermonem habet de ejuſmodi gentibus, quæ tum quoad opinionem de Diis, tum etiam quoad cultum externum ſive publicum, quem Diis ſuis exhibendum volunt, ut cum ratione & modo Deum colendi moratiorum gentium facta contentione diceres vix aliquos Deos credere, vel ullam religionis habere curam, cum res quaſvis abjectiſſimo colant modo. Haud inficior, multas gentes ad corruptos mores prolapſas, & quaſi nullum divinitatis ſenſum haberent, vitam ducere; verum vix adeo univerſas gentes obbrutuiſſe mihi perſuadeo, quin innatæ divinitatis ideæ ac Theologiæ & religionis naturalis reliqua in animo remanſerint quædam veſtigia: ejuſmodi enim inſita menti noſtræ Deitatis, ut ita dicam, notio potuit quidem in quibuſdam gentibus magis, quam in aliis ignorantiæ & ſimplicitatis quaſi nebula obfuſcari, adeo ut non tam claram & diſtinctam Divinitatis ideam habentes, quam forte gentes, quas moratiores vocare ſolemus, quæ rationis lumine ductæ naturam ejuſmodi entis, quod pro ſupremo Numine colendum atque venerandum duxerunt, penitius inſpicientes, quamvis non verum agnoverint Deum, attamen ſaniorem de ſummo Ente opinionem atque doctrinam habuerint, & proinde quoque religionem cum ratione magis conſentaneam amplexæ fuerint. Verum haud facile crediderim gentes eſſe, quæ nullum prorſus agnoſcerent numen, & proinde religionem nullam profiterentur. Qui Solem, Lunam aut Terram putant eſſe Deum, uti pleriſque a veri Dei cognitione alienis populis perſuaſum, hi neutiquam Athei

 ha-

habendi, verum cultus, quem fictitio Numini exhibebant, argumentum eſt divinitatis ſibi inſitæ ideæ. Ægyptiorum idololatria atque nefanda ſuperſtitio omnibus nota; qui veterum monumenta evolverunt; nam præter ſubſtantias quas Deos arbitrabantur, invenerunt etiam formas hominum, imo & animalium, ut ea venerentur, teſte Ariſtotele *lib.* 12. *Metaph.* Colebant enim beſtias fere omnes, quas portentorum mater Ægyptus alebat, in iis & Serpentes & Dracunculos. Quamobrem Cicero 1. *de nat. Deor.* ſtupidam & ridiculam ſuperſtitionem Ægyptiorum admirans, inquit: *Firmiores apud Ægyptios opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quam apud Romanos de ſanctiſſimis templis & ſimulacris Deorum.* Hinc Juvenal. *Sat.* 15.

Quis neſcit, Voluſi Bythinice, qualia demens
Ægyptus portenta colat.

Et paulo poſt,

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Imo & illos populos, qui maxime feri ſunt, ſacris Pontifices & auſpiciis Augures habuiſſe, videre eſt apud Ciceronem 1. *de nat. Deor.* vid etiam Joſeph. a Coſta *in hiſt. Ind. Occid. lib.* 5. *cap.* 2. 3. Conſtat eſſe populos, qui Deum Endovelicum ſcil. Diabolum timent, eique ſacrificia obtulerunt. Hi tamen Athei haud dicendi eo ſenſu, quo Atheos dicimus, qui nullum plane agnoſcunt Deum, ſcil. in corde ſuo, quamvis non verum. Licet dentur gentes nonnullæ maxime feræ, quæ videntur omni ſenſu numinis deſtitutæ, non tamen carent omni cognitione Dei; exilia quidem poſſunt eſſe religionis ſemina, quæ in ipſis remanent, propter maximam cœcitatem & ſtuporem, quo ad feras & bruta videntur magis accedere, ſed ſuperſunt tamen quædam in illis, ut in Americanis & Braſilienſibus: notum enim, ut obſervat Jo. Lerius Burgundus, eos non modo Stignan, id eſt, Diabolum veritos fuiſſe, eique ſacrificia obtuliſſe, ſed & ſolitos præ cæteris venerari Solem & tonitru;

imo

Digitized by Google

imo & ſuos Caribes, id eſt, Sacerdotes habuiſſe, uti differit ſummus Theologus Franc. Turretinus. Imo vero qui naturam aut fatum Deum dicit, is nomen tantum Dei dicitur quidem mutare, non vero Deum negare, ut inquit Seneca *lib. 4. de benef. cap. 7.* Fateor, ſenſu Theologico ſine Deo & proinde Athei dicendi, qui in verum Deum non credunt, ſenſu autem Philoſophico haud Athei tamen habendi. Illa enim in homine inſita ſive innata Dei cognitio & divinitatis ſenſus menti connatus, non magis poteſt abeſſe ab homine, quam intellectus rationalis, ita ut homo illum exuere non poſſit, quin ſeipſum exuat, uti inquit Theologus celeberrimus Franc. Turretin. in Academia Genevenſi S. S. Theologiæ Profeſſor. Quomodo enim poteſt negari a mente ſana quod menti inſcriptum, aut quis tollere poteſt vel menti auferre quod naturalis & propria mentis qualitas eſt? ſine qua mentem noſtram concipere haud poſſumus eſſe vel exiſtere; quemadmodum nec corpus abſque extenſione concipi poteſt. Diximus autem ex notione & ſenſu divinitatis proficiſci propenſionem illam naturalem, qua omnes homines feruntur ad colendum & venerandum illud, quod pro ſummo numine agnoſcunt; quemadmodum recta ratio hominem Deum eſſe & exiſtere docet, ita quoque ex mentis diſcurſu perſpicit colendum atque verendum eſſe. Cujuſmodi cultum Deo exhibendum religionem nuncupamus, uti ſupr. annotavimus. Nam uti Cicero eleganter *in conſolat. Quanquam homo agreſtibus & ſylveſtribus in locis natus ſit, tamen ipſa docente natura* (ſive dictante ratione) *& eſſe Deum & colendum ac verendum eſſe, ipſe dubitare non poteſt.* Cur adeo proni fuiſſent ad idololatriam, & quidem teterrimam amplectendam mortales, & ad falſas atque fictitias religiones recipiendas, niſi inſtinctu & naturali propenſione quadam ad religionem & cultum alicujus numinis impulſi fuiſſent. Non me fugit, dari quoſdam homines profanos, qui deprimunt ac tollunt naturalem hanc religionem, a quibus hac in re non multum abeunt Sociniani, qui inferunt, politicorum aſtus religionem omnium primo in orbem induxiſſe, ut quos ratio non poſſet, eos ad officium religio ſive timor & metus numinis duceret, ut inquit Tullius 1. *de nat.*

Digitized by Google

Deor. Verum cum legamus religionem extitiſſe, antequam homines in ſocietates civiles coiverint, & politici darentur, adeoque cum mundi primordio incepiſſe Dei cultum, nulla ratione mihi niti videtur deteſtanda & humanæ ſocietati maxime noxia ejuſmodi opinio. Præterquam quod convinci etiam poſſent propria ſententia; niſi enim homines natura convicti omnino fuiſſent Ens aliquod perfectiſſimum dari, qua ratione omnium conſcientias ad talem timorem deducere potuiſſet? Extirpandi e Repub. ejuſmodi impoſtores & profani homines tanquam hoſtes ac peſtes humani generis; quippe ſublata religione, & dempto metu ſummi Numinis, fides arctiſſimum ſocietatis, quæ homini cum homine intercedit, vinculum, tum etiam ſanctiſſima virtus juſtitia quoque tollitur; ſublata autem fide atque juſtitia, quidnam erit hominum inter ſe ſocietas aliud, quam latronum in mutuam perniciem advolantium cohors atque multitudo? non hoſpes ab hoſpite tutus foret, nec ſocer a genero, uti alibi in noſtris in Grotium *de Jur. Bel. ac Pac.* commentariis demonſtravimus. Optime Lactantius in *lib. de ira Dei cap.* 12. *Timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur.* Non duntaxat ex jure gentium ſive ex jure naturali, quod hominibus inter ſe commune eſt, ſcil. ex rationis dictamine, cujus ſolus homo particeps, profluit ſummum aliquod Ens eſſe atque exiſtere, quod ob illas virtutes, quas ex contemplatione ejuſmodi Entis, illi ineſſe, & quidem neceſſario perſpicit mens noſtra, colendum atque venerandum dictat nobis ratio, verum inſuper nos docet, ut etiam parentibus & patriæ pareamus. Ex eodem juris fonte, e quo dimanat obligatio naturalis, qua Deum colere atque venerari adſtricti ſumus, profluit juris vinculum, quo tenemur parentibus parere atque obtemperare, ſcil. ex rationis dictamine ſive jure morali, quod tantum ſolis hominibus inter ſe commune eſt; quid enim magis rationi convenit, quam ut in mea poteſtate & dominio ſit illud, quod ex re mea naſcitur, vel ſit, quod ex propria producitur & generatur ſubſtantia. Quamobrem pater & filius pro una eademque habentur ſæpius perſona. *Naturæ enim lege ac præſcripto liberi*

beri parentum imperio ſubjecti ſunt: quod enim procreavit ac genuit, id, ut præſit, & amicitiæ ratio & ſenectutis poſtulat, inquit Ariſt. *polit.* 1. *cap.* 8. Quamobrem generatione jus parentibus in liberos acquiri originariè ſtatuit Grotius; & quidem utrique, tam Patti quam Matri, tanquam fructus ex re communi provenientes, & proinde dominii & diſpoſitioni utriuſque ſubjacentes: communi enim ope & mutuo auxilio generatio perficitur; quamobrem liberi viri & uxoris commune bonum dicuntur; æquitati itaque convenit, & rationi conſentaneum eſt, ut liberi utrique parentum idem obſequium & eandem reverentiam exhibeant. Dominium enim atque imperium, quod vi generationis acquirunt ſibi parentes in liberos, imponit natis neceſſitatem moralem, qua reverentiam & obſequium præſtare atque exhibere tenentur patri matrique. Verum notandum, imperium quod matri competit in liberos, quamvis ex eodem fonte & cauſa derivandum, unde patris in eos provenit poteſtas; attamen latius patet imperium paternum quam maternum: imperium enim, quod patri competit, univerſale eſt & independens jus regendi vi univerſam familiam, cujus ipſe caput & princeps eſt, mater ac liberi tamquam familiæ membra habentur. Adeoque imperium matris quodammodo dependet a poteſtate patris; verum eo non tollitur nec detrahitur quid naturæ vinculo, quo obſequium & reverentiam liberi exhibere tenentur tam matri quam patri; naturalis enim hæc eſt obligatio, adeoque perpetua & immutabilis, & proinde nulla ratione diſſolvi poteſt; provenit enim ex lege naturæ, ſive jure morali, & divino neceſſario, quod perpetuam obligandi vim habet, & propterea immutabilis, nullamque admittit diſpenſationem. Quamobrem Hieronymus, *epiſt. de vitando ſuſpecto contubernio: Pater & mater*, inquit, *nomina ſunt pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ, ſecundaque poſt Deum fœderatio. Non eſt laus, ſi vos diligitis, ſcelus, ſi odiſtis. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſubjectus erat parentibus ſuis, venerabatur matrem, cujus ipſe erat pater: colebat nutritorem, quem nutriverat: geſtatumque ſe meminerat alterius utero alterius brachiis.* Et ne quis de neceſſitate morali, quæ huic præce-

to ineſt, dubitaret, placuit Deo illud legi morali ſive Decalogo inſerere, atque hac ratione quaſi renovare, quod recta ratio omnibus mentibus inſcripta cuivis dictat, ut videre eſt *Exod.* 20. promittens longævitatem piis in parentes liberis, ut edoceret populum ſuum, quantum ſibi curæ eſſet, ut honor & reverentia, quam parentibus liberos præſtare oportet, illæſa atque illibata conſervaretur. Quamobrem non monet duntaxat, verum præcipit Apoſtolus *Epheſ.* 6. 1. ut liberi reverentiam, honorem atque obſequium parentibus exhibeant. Quod naturalis ratio & noſtris mentibus inſcripta naturæ lex edocuit gentiles; quamobrem Gellius *lib.* 2. *cap.* 7. *Equidem eum perfidum & Diis inviſum, non modo hominibus exiſtimo, qui parentes negligit.* Bene Euripides *Antiop. Tria juſta, fili, te peræquum eſt, diſcere, Deos vereri, deinde genitores tuos, tum ſancta Grajis jura.* Plura de honore parentibus exhibendo apud Platonem legimus *de ll. lib.* 4. ad quem Lectorem remittimus. Hinc canit Virgilius *Æneid. lib.* 2.

- - - - - Tu ne qua parentis
Juſſa time; neu præceptis parere recuſa.

Et Arriani Epictetus *lib.* 2. *cap.* 10. *Memento, te eſſe filium, cujus profeſſio eſt exiſtimare patria bona omnia ſua eſſe: omnibus in rebus dicto ei audientem eſſe, numquam eum apud quemquam vituperare: neque vel dicere vel facere quidquam, quod ei incommodet, atque etiam cedere illi in omnibus, & dare locum pro virili adjuvantem.* Huc pertinet illud Homeri *Iliad. IV. verſ.* 477.

- - - - - - - - - - - Οὐδὲ τοκεῦσι
θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
ἔπλετο.

Neque parentibus nutricationis præmia reddit, brevis vero ei vita fuit. Et graviſſimum facinus admittere liberos contemnendo atque negligendo parentes, atque eſſe Deo curam hujus vindictæ ſicuti & elargiendi præmia in beneficos, docet ſtatim laudatus ſummus Philoſophus Plato II. *de ll.* cum inquit, *Oedi-*

Oedipus contemtus a filiis, ea illis imprecatus eſt, quæ exaudita effectaque a Deo apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phænici filio iratum illi male dixiſſe ferunt, & Hyppolito Theſea; plurimoſque alios aliis: quibus apertiſſimum factum eſt, a Deo preces parentum adverſus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis, non injuria pernicioſius filio. Nemo enim cum pater aut mater contemnitur, tunc ſolum a Deo putet orationes exaudiri; ſed cum etiam honorantur, ac ideo cum lætiores bona liberis a Deo petunt, exaudire ſimiliter eum exiſtimare debemus. Atque nobis æqua inde diſtribui, nam aliter in bonis diſtribuendis æqui non eſſent. Quod longe a Deo abeſſe neceſſe eſt. Hæc obligatio, quæ honorare & obſequium parentibus præſtare liberis impoſita, quia deſcendit atque dimanat ex fonte naturæ ſive gentium, perpetua atque immutabilis eſt, nullamque admittit diſpenſationem; quamobrem quocunque in ſtatu atque conditione collocari liberi, hoc juris naturæ vinculo ſemper alligati ſunt. Quippe, ut alibi notavimus, cum jus illud generationis, in qua maxime fundatur imperium paternum, non niſi morte interveniente tolli poteſt; ſequitur, obſequendi parentibus neceſſitate & obligatione liberos haud ſolvi poſſe, quamdiu parentes in vivis ſunt. Quamobrem Apoſtolus non addita diſtinctione ſive ætatis, ſive ſtatus aut conditionis commendat, imo vero præcipit, uti ſtatim diximus, *ut filii obediant parentibus in omnibus*, (ſcil. quæ juſta ſunt & honeſta,) *quia hoc gratum Domino.* Adeo ut, licet ad provectiorem ætatem pervenerint, & ſui juris facti, propriamve familiam conſtituerint, attamen quia manet illa relatio inter patrem & filium, etiam durat illa obligatio; quæ pro diverſo tamen liberorum ſtatu moderari atque limitari, neutiquam vero diſſolvi vel tolli poteſt.

Quemadmodum parentibus, ita quoque Patriæ parendi neceſſitatem ex eodem juris fonte deducit. JCtus, ſcil. rationis dictamine. Patriam appellamus non duntaxat natale ſolum, ubi quis natus ab ephebis ipſis commoratus eſt, verum etiam ubi quis lares ſuos ac penates habet, ſive domicilium conſtituit. Quocunque in ſtatu ſive naturali ſive civili degentem hominem conſideramus, ſemper manet alligatus juri gentium,

ſive

ſive rationis dictamini obtemperare, adeoque etiam Patriæ parere; quoniam hoc præceptum deſcendit atque dimanat ex jure naturali ſive rationis dictamine, dictans Parentibus & Patriæ parendum. Quid autem ſit Patriæ parere, paulo altius nobis inveſtigandum incumbit. Quippe ſi per Patriam intelligendum nudum ſolum natale, ubi quis natus, illud non eſt ſubjectum juris capax, quod jure perfecto a nobis implementum ejuſmodi officii ſive obligationis exigere poteſt, qualis cuique noſtrum ipſi præſtare incumbit. Uti nec alius quivis locus, ubi quis natale ſolum relinquens lares ſuos ac penates animo ibi commorandi conſtituit; adeoque nec eo ſenſu inquit Pomponius, *juris gentium eſſe, ut patriæ pareamus*. Dicendum itaque, Jctum hominem conſiderare tanquam membrum ſocietatis, ſive naturalis ſive civilis. Alibi enim latius diſputavimus de duplici hominis ſtatu, in quo collocatus vitam tranſigit, ſcil. ſtatu naturali, vel civili, quocunque in ſtatu degit, ſemper debet conſiderari tanquam membrum alicujus ſocietatis; nunquam enim vivere poteſt extra hominum ſocietatem, quin alieno indigeat auxilio; quamobrem innata, qua fertur ad ſocietatem cum ſui ſimillimis colendam; huc etiam ſpectat ratio atque oratio, qua præditi ſumus, quæ nos reddit ad ſocietatem colendam atque tuendam idoneos, ut alibi annotavimus in noſtris *ad Grotium de jure bel. & pac. comment.* tum etiam *peculiari diſſertatiuncula* demonſtravimus. Per Patriam itaque intelligimus ſocietatem hominum, vel naturalem, quam natura inter homines conſtituit, vel civilem, poſtquam libertatis naturalis jacturam facientes in unam eandemque ſocietatem, ſub uno eodemque ſummo imperio coaluerunt; illa locum habet in ſtatu primævo; hoc poſt diſcretas gentes & regna condita; in utroque tamen ſtatu neceſſitas parendi Patriæ locum ſibi vindicat. Quamvis autem in ſtatu naturali, in quo vetuſtiſſimi mortalium mundi primordio vitam tranſegerunt, alter alterius imperio non ſubjectus ſit, ſed quiſque ſuo vivat arbitrio; ſed pro ratione agendi & vivendi ſua cuique ſtet voluntas; ſub ea vero conditione, ut cum ratione conſentiat: attamen rationi parere neceſſum habet, & proinde quoque Patriæ ſive ſocietati, quatenus ejus mem-

Digitized by Google

membrum eſt. Patriæ autem ſive ſocietati parere quis dicitur, dum in illam confert omnia ejuſmodi officia, ad quæ Patriæ ſive ſocietati præſtanda naturalis eum devinxit ratio. Quippe quamvis in ſtatu naturali homines ſibi æquales, & alter in alterum non habeat imperium; attamen quia jus naturale ab eo ſtatu haud exulat, verum cuique agendi regula & norma eſſe debet, uti diximus, atque jus naturale præcipiat Patriæ ſive ſocietati parendum, ſequitur, idem jus ſocietati atque ſingulis ejuſdem membris facultatem tribuiſſe a ſe invicem exigendi præſtationem ejus, ad quod præſtandum vi unumquodque membrum ſocietati juris naturæ vinculo alligatum eſt. Adeoque ſocietas jure perfecto a membris ſuis, tum ſingula membra a ſe invicem, cum relatione ad ſocietatem, exigere poſſunt, & ad ejuſmodi præſtationem invitos quibuſvis mediis cogere. Itaque parere Patriæ nihil aliud eſt, quam ſocietati, cujus quis pars atque membrum eſt, tribuere & præſtare officia, quæ ei debemus; juxta rationis ſive juris gentium dictamen argumentum hujus vinculi naturalis eſt ipſe amor incredibilis & reverentia erga Patriam, quam natura ingenuit mortalibus, & ſuam cuique originem magnopere commendavit; quamobrem naturali impetu impellimur Patriam ſive ſocietatem illam, in qua nati ſumus, omnibus viribus tueri atque conſervare: &. ipſa nobis dictat ratio, non modo *neſas eſſe nocere Patriæ*, ut inquit Seneca 2. *de ira*; verum, teſte Cicerone *ad Herenn. lib.* 9. *nullum tantum eſſe periculum, quod ſapiens pro ſalute Patriæ vitandum arbitretur.* Pertinet quippe ad virtutis officium & vivere Patriæ. Et apud Caſſiodor. 1. *Variar.* 21. *Unicuique Patria ſua carior eſt, dum ſupra omnia id ſalvum fore quæritur, ubi ab ipſis cunabulis commoratur.* Naturæ quaſi impulſu ad cœlum ipſum homo naturaliter adſpirat, ubi natus atque educatus eſt. Hinc de Romulo teſtatur Florus 1. *Hiſtor.* 1. quod *fluminis* fuerit *amator & montium, apud quos erat educatus.* Si hunc amorem, atque hanc pietatem erga patriam nobis naturam ingenuiſſe ſentiamus, nihil magis rationi convenit, quam ut Patriæ ſive ſocietati, quam & natura inter homines conſtituit, pareamus; id eſt, ipſi præſtemus omnia cum amoris tum pie-

tatis officia, quæ ad illam conſervandam atque tuendam aliquid conferre poſſunt; quod enim dictat ratio, ſimul quoque imperat, & quatenus ad ſocietatis conſervationem, quæ imperat referenda, ipſa ſocietas ſive Patria, uti dicere incepimus, imperare videtur; quoniam exigendi ea, quæ ratio imperat, præſtanda Patriæ ſive ſocietati officia facultatem eidem tribuit; quoniam jus exigendi includit facultatem imperandi ea, quæ jure perfecto peti atque exigi poſſunt. Ex quo perſpicimus, etiamſi in ſtatu naturali homines ſibi æquales, adeo ut alter in alterum nullum habeat imperium, parendi tamen ſocietati cuique ejuſdem membro impoſuiſſe jus gentium, & hoc ſenſu, in ſtatu naturæ, etiam antequam diſcretæ gentes, & regna condita, id eſt, in civilem ſocietatem coaluere mortales, jus gentium, quod dictat patriæ parendum, locum habuiſſe, & ad illum, quod de parendi neceſſitate nobis impoſita JCtus prædicat, referendum eſſe videtur. Poſtquam vero gentes diſcretæ, regna condita, & in civilem ſocietatem coaluerunt mortales, parendi quoque neceſſitas eadem; quia manet eadem inter cives ſocietas illa naturalis; verum huic inſuper accedit ſocietas civilis, quæ pro baſi & fundamento, quo innititur, habet ſummum imperium, quod ſive uni ſive pluribus hac conditione delatum communi civium, qui in unam eandemque ſocietatem conſpirarunt, conſenſu, ut ejus voluntas eſſet pro voluntate totius cœtus, & quicquid ille juberet, atque ſtatueret, cives ratum haberent & prompte executioni mandarent; adeo ut in ejuſmodi ſocietate imperantis ſit mandata dare, legeſque condere, civibus obſequendi relicta gloria. Quoniam vero humanum genus, ſive potius ſocietates, quas natura inter homines conſtituit, ut ſocietates civiles ſubſiſtant atque conſerventur, ſubſiſtere haud poſſunt, niſi parendi civibus neceſſitate impoſita, dictat naturalis ratio ſive jus gentium, Patriæ parendum, ſcil. eadem non duntaxat ſocietati civili, quatenus cum ſocietate naturali conjuncta, pietatis & caritatis officia præſtanda, verum inſuper juſſis & mandatis ac placitis ſummi imperantis obtemperandum. Quippe cum civitates ſive ſocietates civiles inſtitutæ in commodum & ſecuritatem

Digitized by Google

tatem tranquillitatemque humani generis, illæ vere nequeant conſiſtere, niſi penes unum vel plures reſideat ſummum imperium, qui vi ſummi imperii ſingulorum actiones ad bonum commune dirigit, condendo leges, quæ cuique norma ſunt & regula agendorum; boni vero civis officium prompte & ſine mora juſſa exequi. Hoc dictat ratio, & ſalus publica efflagitat amorque erga patriam a ſingulis id exigit. Imo vero quamvis ordine ſcripturæ parentes Patriæ præponantur; potior tamen cauſa Patriæ & Reipub. quam parentum, adeo ut quoties parentes quid juberent, quod legibus & juſſis Patriæ vel Reipub. contrarium ac noxium eſſet, Reipublicæ potius quam parenti obediendum dictat ratio; quemadmodum juxta vulgare illud axioma, publica privatis ſunt anteponenda bonis, ita obſequium parentibus debitum cedit neceſſitati parendi Patriæ, quæ cum patrem tum liberos æquali juris vinculo alligat. Reſpub. enim habet eminens dominium & ſummam poteſtatem cum in patrem tum etiam in liberos; & eo reſpectu pater & filius ſunt in pari gradu & in eodem ſtatu: adeoque hoc in caſu ceſſat tum poteſtas patria, tum reverentia & debitum parentibus obſequium, & quaſi ejus interſtitium eſt. Pater hic eſt civis atque ſubjectus, ut & filius, eodem juris vinculo & Reipub. & Patriæ parere ambo tenentur. Quamobrem Lucil. 1. *Satyr.* 1.

Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam poſtremaque noſtra.

Patria enim *communis omnium noſtrûm parens*, ut inquit Cicero, *de orat.* pro qua mori, cuique nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere ac quaſi conſecrare debemus. Cic. *lib.* 2. *de ll.* unde Apollon. *Tianæ Epiſt. II.* cujus verba Latino ſermone ita ſeſe habent: *Principio in omnibus & de omnibus homines Diis indigent, deinde urbibus. Nam poſt Deos urbes colendæ ſunt, & quæ ad civitatem ſpectant omnibus quæ rationem habent præponuntur.* Cujus rationem adfert Seneca *de benefic. lib.* 7. *cap.* 19. cum inquit: *Prior mihi ac potior*

Digitized by Google

ejus officii ratio eſt, quod Patriæ, quam quod uni homini debeo. Adeoque in omnibus ſemper potior debet eſſe cauſa Reipub. quam alicujus privati. vid. *l.* 35. *ff. de religioſ. Juſtitiam cole & Pietatem, quæ cum magna ſit in Parentibus & propinquis; tum in Patriam maxima eſſe debet*, ut inquit Cic. *in ſomnio Scipionis.* Inter illa exempla, de quibus huc uſque diſputavimus, quæ ex jure gentium dimanare ſtatuit Ulpianus, ſcil. jure naturali, quod ſolis hominibus inter ſe commune eſt, quod nullum in ſubjectum poteſt cadere, niſi quod rationis capax eſt, & proinde nobis cum brutis non eſt commune, ſed duntaxat hominibus inter ſe, male videtur JCtus referre ad vis & injuriæ propulſationem, de qua Florentinus in *l.* 3. *h. t.*

Ut vim atque injuriam propulſemus; non homini duntaxat, verum etiam *cunctis animalibus natura præſcripſit, ut omnem ſemper vim quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent*, ut inquit Cic. *pro Milone.* Quemadmodum enim appetitum coëundi & procreandi ſui ſimile, tum etiam alendi fœtum, curam atque ſollicitudinem natura omnibus animantibus ingenuit; ita quoque innata quadam vi naturæ ad propulſationem vis atque injuriæ non homines duntaxat, verum quoque bruta accenduntur, uti ſtatim dicere incepimus; atque hi naturæ ſtimuli ejuſdem generis atque naturæ ſunt, cujus procreandi appetitus aliaque id genus exempla, quæ ad jus naturæ referenda; quod non humani generis proprium, ſed omnium animantium, quæ terra marique naſcuntur, avium quoque commune eſt. Quamobrem Xenophon: *Omnia animantium genera pugnam nörunt aliquam, quam non aliunde, quam a natura didicerunt.* Hinc bruta dentibus, cornibus, unguibus, cruſtis, ſquamis, ſpinis aliiſque id genus rebus a natura armata atque munita ſunt, ut vim vi propulſarent atque ſe tuerentur. Unde Horatius, *II. Serm.* 1. *verſ.* 22.

> *Dente lupus, cornu taurus petit; unde niſi intus*
> *Monſtratum?*

Et

Digitized by Google

Et Anacreon *Fejus Ode.* I.

φύσις κέρατα ταύροις
ὁπλὰς δέδωκεν ἵπποις.

Tauro ferire cornu
Equo ungula nocere
Natura dat.

Rationem reddit Boëthius *de conſol. Philoſ. Quod omne animal ſalutem tueri laborat, mortem vero perniciemque devitat,* naturæ ſcil. impulſu. Quamobrem mihi vis atque injuriæ propulſatio videtur referenda ad jus naturale, quod Ulpianus definit, *eſſe illud, quod natura omnia animalia docuit,* ſcil. quod nobis cum brutis commune eſt. Optime autem jus naturæ fundari in illis naturæ ſtimulis, qui nobis & cunctis animantibus innati, alibi latius demonſtravimus. Cum vero omnia, quæ homo ſuſcipit & peragit, convenire debeant cum jure morali ſive rectæ rationis dictamine, ut alibi demonſtravimus, videtur JCtus, dum vis atque injuriæ propulſationem adſcribit juri gentium, non habere ſermonem de nuda cujuſcunque vis propulſatione, prout ea quoque a brutis ex inſtinctu & impulſu naturæ ſuſcipitur, verum de ea, quæ cum ratione fit; & hoc ſenſu propulſationem ex jure gentium dimanare ſtatuit JCtus, de propulſatione vis atque injuriæ, quæ homo infert homini, ſermonem habet, quæ quidem naſcitur ex illis naturæ ſtimulis, qui cunctis animalibus innati, verum moderatur eam recta ratio, ne a juſtitiæ tramite deflectat, ſed cum ea conveniat, adeoque juſta ſit & æquitati conſentanea. Omnes enim, quæ ab homine proficiſcuntur, actiones, ſemper cum jure naturæ, quatenus per juris nomen intelligimus regulam, obligantem ad id, quod rectum, juſtum, æquum atque honeſtum eſt, convenire debent. Quippe cum rationis particeps ſit eum in finem, ut poſſit per mentis diſcurſum indagare, quid cum juſtitia, honeſtate atque æquitate convenientiam habet, nec ne; eo ipſo quoque jure naturæ devinctus eſt, ut, quicquid agit vel ſuſcipit, cum juſtitia & æqui-

 tate

Digitized by Google

tate conveniat. Quamobrem cum in ſe ſentiat naturalem erga ſe amorem ad ſeſe conſervandum in eo naturæ ſtatu, in quo ab hujus univerſi conditore Deo collocatus eſt, & proinde quoque naturæ ſtimulos, quibus impellitur ad repellenda atque a ſe propulſanda omnia, quæ ipſum de ſtatu ſuo dejicere, vel ſibi nocendi præ ſe ferunt aliquam ſpeciem, non debet brutorum inſtar cœco quodam impetu ſui defenſionem ſuſcipere, & vim vi repellere; verum, ratione in conſilium vocata, examinare cuique incumbit, an vis injuſta atque injurioſa ſit; tum etiam obſervare debet, ne modum excedat. Quippe facultas, quam natura ſive potius rectum rationis dictamen, quod hic juris gentium nomine venit, cuique tribuit, ſemet ipſum defendendi adverſus vim & injuriam ſibi illatam, temperatur juſtitia; eaque circumſcribitur quibuſdam cancellis atque limitibus, quos tranſilire non licet. Juſtam autem efficit defenſionem ſive propulſationem injuſta alterius offenſio; nam ſi qua juſta vis inferatur, neutiquam conceſſum eſt vi propulſare, quamquam jus defenſionis derivetur ex innato ad ſe conſervandum amore, & proinde fundatum in jure naturali; attamen facultas hoc jure utendi videtur potiſſimum naſci ex injuſtitia & peccato alterius; ita ut injuſta offenſio reddat juſtam defenſionem; injuſtam offenſionem dico, quæ mihi infertur ab eo, qui me offendendi nec jus nec facultatem habet. Quamobrem nec patri filius, domino ſervus, marito uxor, præceptori diſcipulus, dum ſit in his durior truculentiorque ſævitia, jure non reſiſtit: uti Magiſtratui vim publico nomine inferenti, reſiſtere nefas eſt. Secus autem, ſi juriſdictionis ſuæ limites excedat, & imperio ſuo abutatur, de quo latius in peculiari diſſertatione *de ſanctitate ſummi imperii civilis* diſputavimus. Animantia vero bruta, quatenus ex impulſu & naturæ inſtinctu vi vim repellunt, & ejuſmodi vis propulſatio innititur jure naturæ, quamvis juris non ſint capaces, ipſe tamen actus juri naturæ & rectæ rationi conveniens eſt, eatenus ex iiſdem juris naturæ principiis; quod non humani generis proprium, ſed omnium animantium commune eſt, ſui quoque defenſionem ſuſcipiunt; verum quoniam haud diſtinguere norunt, an juſta vis ſit

Digitized by Google

ſit nec ne, nec modum obſervant. Quippe equus non minus calcem rejicit in medicum, ſi ei urendo vel ſecando vim faciat, quam in alium qui vitam ei auferre vult. Nec quoque modum obſervant, verum ſemel provocata, non modo propulſant injuriam, ſed & irritata nocent, laceſſitaque inferunt: & proinde ejuſmodi defenſionis actum non moderatur juſtitia ſive jus gentium, quod hominibus inter ſe commune eſt, id eſt, ratio recta, verum ex ſolo inſtinctu procedit, juri quidem naturæ juxta definitionem Ulpiani adſcribendum, verum in ſtrictiori ſenſu ſumpto juris naturæ vocabulo, quatenus a rectæ rationis dictamine procedit, quodque naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & proinde quo jure omnes gentes utuntur, unde & jus gentium vocatur, quod ſolis hominibus inter ſe commune eſt; JCtus noſter, uti dicere incepimus, hic habet ſermonem de propulſatione vis atque injuriæ, quam temperat atque moderatur recta ratio, & proinde nititur jure naturali, quod generis humani, quatenus omnes homines rationis participes ſunt, proprium eſt, quamobrem juris gentium appellatione venit: atque de ejuſmodi propulſatione hic diſputare JCtum patet ex ratione, quam adfert, cur vis & injuriæ propulſationem licitam atque juſtam pronunciat, ſcil. quia nefas eſt ob cognationem, quam natura inter homines conſtituit, ut alter alteri noceat: cognatio enim atque naturalis quædam ſocietas inter homines duntaxat obtinere poteſt, quoniam nullum animal, excepto homine, ratione vel oratione, ſine qua neque ſocietas, neque cognatio inter homines ſubſiſtere poteſt, præditum: ſunt enim ſocietatis, uti quoque cognationis jura obſervanda, huc referenda juris naturæ præcepta, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, & id genus aliæ juris naturæ leges, quas ad tuendam & colendam ſocietatem & cognationem, quam natura inter homines conſtituit, recta ratio præſcripſit, & ad earundem obſervantiam genus humanum alligavit; quamobrem juri naturali, quod humani generis proprium eſt, adſcribuntur; quia ex rationis dictamine dimanantes, nullum aliud ſubjectum, quam quod rationis capax eſt, adeoque hominem duntaxat ligare poſſunt, qui ad ſocietatem colendam natus, etiam faculta-

tem atque aptitudinem, ut ita dicam, habet, præſtandi ejuſmodi officia & jura, quæ ad tuendam hominum inter ſe ſocietatem & cognationem habendam exigit ratio ſive jus gentium. Atqui nulla ſocietas diu poteſt conſiſtere, niſi etiam ſingula ejus membra ſubſiſtant; hinc ex eodem juris fonte dimanat præceptum, ne alter alterum lædat, tum etiam facultatem ſingulis membris tribuit a ſe propellendi omnem vim atque injuriam; quippe, quoniam ejuſmodi vis atque injuria membro illata, ipſi ſocietati videntur inferri, unde magnum poſſet damnum pati, quoniam ſibi hac ratione poſſet eripi membrum, ex quo forte non exiguam potuiſſet utilitatem atque commodum capere, idem jus, quod præcipit ſocietatem tueri, vetare, ne quis alter alterum lædat, & proinde quoque facultatem cuique tribuere ſui defenſionem ſuſcipiendi adverſus omnem vim atque læſionem illatam vel imminentem, ut ſeſe incolumem conſervet, ad ſocietatem tuendam atque colendam; neceſſitas enim cuique membro eſt impoſita, qua tenetur conſervare totum, facultatem cuique parti tribuit, qua ſui ipſius conſervationem procurare poteſt, quia totum haud conſiſtere poteſt, niſi ſingulæ partes incolumes & ſalvæ ſint. Quamobrem obligatio ad tuendam & colendam ſocietatem includit conſervationem ſui; conſervatio tribuit facultatem propulſandi vim atque injuriam, adeoque recte JCtus,

Jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam ſui corporis fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Jure gentium comparatum eſt, *ut arma armis propulſentur*, ut inquit Livius *lib.* 92. Amplius Paulus JCtus, cum inquit, *Omnibus legibus, omnique jure id permiſſum eſſe*, in *l.* 95. *§.* 4. *ff. ad l. Aquil.* verum juſtam propulſationem omni jure licitam requirit, ſcil. cum quis in ea neceſſitate conſtitutus ſit, ut ſe aliter tueri nequeat, id eſt, vim a ſe repellere, niſi vi adhibita, poſſit; utque vis illata ſit injuſta; quippe contra vim juſtam ſe tueri, haud leges, ſive jus gentium permittit, ut alibi notavimus. Injuſtam enim offenſionem, defenſionem juſtam efficere diximus, quamobrem quoties vis juſta adhibetur, defenſio ſive propulſatio illicita jure gentium; & eatenus propulſatio, quæ jure gentium licita, ſcil. quæ ad rectæ rationis normam ac regulam in-

inſtituenda differt ab ea, qua bruta animantia utuntur, uti alibi annotavimus. Quamobrem cum JCtus jure evenire, ſcil. jure gentium, dictante ratione, dicit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur, ſermonem habet de defenſione juſta atque legitima dictante ratione ſuſcepta; quippe, ut dicere incepimus, uti non omnis vis injuſta, ita quoque non omnis defenſio juſta; imo vero poteſt quandoque vis, quæ infertur, & defenſio eſſe injuſta: defenſio enim ſive propulſatio juſta atque legitima multas requirit cautiones, quas obſervare oportet defenſorem, ſi in foro Soli tutus eſſe velit; in ſuſcipienda ſui defenſione modus obſervari debet, ſcil. inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulſare debemus, ut ajunt Impp. Diocl. & Maxim. in *l.* 1. *Cod. unde vi.* Quæ in tribus potiſſimum conſiſtit, Cauſa, Modo & Tempore.

Primum requiritur, ut vis ſit injuſta, uti dicere incepimus, qualem vim & JCtus noſter hic ſupponit, imo vero in tantum defenſio, quæ jure gentium licita, requirit præcedentem injuſtam defenſionem, ut, etiamſi forte evenerit ante injuſtam ex accidenti, poſtea mutari in defenſionem juſtam, & hanc viciſſim degenerari in illam; nequaquam tamen primus offendens ex poſtfacto inculpatæ tutelæ moderatione tutus erit. Secundo requiritur, ut quis ea in neceſſitate ſit conſtitutus, ut vim ſibi illatam non aliter, niſi vi adhibita, repellere poſſit, ut periculum præſens ſit illudque declinare vel effugere quis non poſſit, niſi vim vi repellendo. Quippe ſi forte fugientem aggreſſorem ultra quis perſequitur, vindicta eſſet, non defenſio; quamobrem puniendus: cæterum in pœna decernenda hoc caſu in mitiorem partem judicem inclinare oportere JCti ſtatuunt, propterea quod æſtuantem illum ex inſultu furorem moderari illi non facile fuerit, *arg. l.* 38. *§. ff. ad l. Jul. de adulter.* & inconſultus calor careat vitio doli, *l.* 1. *§.* 5. *ff. ad SC. Turpillian.* & proinde vera criminis nota, cum nullum ſit delictum abſque dolo. Tertium igitur inculpatæ tutelæ moderamen exigit, ut propulſatio fiat in continenti, non ex intervallo; quippe vox *propulſandi* ſupponit invaſionem & vim præſentem, quæ actu jam infertur, & adverſarius in me impetum facit, adeoque repellere a me poſ-

Digitized by Google

ſum; quippe ceſſante conflictu vel aggreſſione, aggreſſorem inſequar, ultio potius erit, uti ſtatim dicere incepimus, quæ Magiſtratui competit, quem adeundi cuique privato, ob vim ſibi illatam, copia eſt. Quamobrem ſi quis me armis in loco publico aggrediatur, ego vero è manibus invaſoris elapſus domum me receperim, non licet mihi melioribus armis inſtructo ad pugnam redire: uti nec, ſi contigerit, invaſum in terram prolapſum & conſternatum per aliquod temporis ſpatium jacuiſſe, denique refectis viribus, in percuſſorem feciſſe impetum eumque occidiſſe, moderamen inculpatæ tutelæ obſervaſſe non puto: quippe non ex continenti i. e. in flagrante delicto, ſed ex intervallo adverſarium petens, ſeſe non defendere, verum vindicare videtur. Similiter ſi enſem vel ſclopetam, poſtquam in me, ſed fruſtra, hanc exoneravit, non jure illum trucidari DD. ſtatuunt: præſens enim non periculum eſt, quod requiritur, ut quis jure adverſarium occidiſſe videatur. Vide *Comment. in Grot. de jur. bel. & pac. lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. ubi hanc materiam ſatis late tractavimus, quamobrem ad ea, quæ ibidem diſputavimus, Lectorem remittimus.

Quamvis autem JCtus hic duntaxat de corporis tutela ſermonem habeat, inde haud exiſtimandum eſt, defenſionem adverſus vim vel injurias, quibus res noſtræ impetuntur, jure naturæ etiam cum cæde invaſoris vel raptoris ſuſcipere vetitum; contrarium dictat nobis recta ratio; unius enim incluſio hic non eſt excluſio alterius; verum propulſatio injuriæ ac vis, quæ corpori infertur, includit quoque propulſationem ac defenſionem injuriæ, quæ rebus noſtris infertur, etiam cum internecione raptoris, ſi non alia eas conſervare ratione poſſumus. Notandum enim, defenſionis menſuram ejuſque latitudinem non æſtimari pretio earum rerum, quas defendimus, ſed cauſæ juſtitia, quæ dependet ex neceſſitate, qua cogimur vim vi repellere, non certa præſcripta ratione, ſed omni, quam neceſſaria defenſio exigit. Quamobrem, ut alibi annotavimus, quicunque verſatur in terminis neceſſariæ defenſionis, & proinde in re licita, eouſque ſe tuendo poteſt procedere, quouſque eum cogit præſens neceſſitas, adeoque ſive corpus aut vita, ſive membra, ſive res noſtræ impetuntur,

tur, unam eandemque defenſionem pro uno & altero adhibendi tribuit cuique natura, quæ nullum aliud habet objectum, niſi cauſæ juſtitiam & æquitatem; quam neceſſitatem ſe atque res noſtras conſervandi atque tuendi adverſus vim intentatam; nobis impoſuit alterius injuria, uti diſputavimus in *Comment. in Grot. de jur. bel. ac pac. lib.* 2. *cap.* 1. *§.* 6. *& ſeqq*. Præterquam quod ille, qui me prior invaſit atque læſit, mihi in ſe iterum dat poteſtatem in infinitum, quatenus aliter periculum evadere non poſſum, nulla habita ratione, an corpus, an res, vel bona lædantur. Quippe bona ſequuntur perſonam; qui res mihi auferre conatur, me lædit, quatenus jus habeo ad conſervanda & retinenda, quæ mea ſunt, & ſi quædam inter rem & vitam inæqualitas eſſe videatur, & favore innocentis & raptoris odio compenſatur. Præterquam quod res atque bona ſunt media neceſſaria ad vitam tuendam, ut & ipſa hominis vita vocantur ab Aretin. *Expetuntur enim divitiæ ad vitæ uſus neceſſarios*, ut inquit Cic. 2. & 3. *de finib.* vid. quæ annotavimus *d. l. §.* 11. *Si pro defenſione bonorum externorum illicitum eſſet interficere aggreſſorem injuſtum, iniqui audaciores fierent ad diripiendos juſtos, miſeraque ea in parte eſſet conditio juſtorum, idque caderet in maximum detrimentum boni communis, quod non eſt admittendum*, ut inquit Molina *de J. & J. vol.* 4. *part.* 3. *diſp.* 16. Quævis enim injuſta offenſio parit legitimam atque juſtam, & omni jure licitam defenſionem ac propulſationem; ſive alicujus perſona in diſcrimen vocetur, ſive res impetantur, *non eſt injuria pati, quod prior ipſe feceris*, ut inquit Seneca 2. *de ira. cap.* 30. Præterquam quod omnia bona, quæ vel natura vel induſtria nobis dedit, fruſtra forent conceſſa, ſi alteri injuſte illa invadenti vim non liceret opponere, & parata præda improbis expoſiti forent probi; *ſiquidem hi illis vim nunquam deberent opponere*, ut inquit Puffendorff. *de jur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 5. Sufficit ut præcedat injuſta offenſio ſive aggreſſio, quæ mihi facultatem tribuit eam ſuſcipiendi defenſionem adverſus vim illatam, quæ ubi citra aggreſſoris læſionem inſtitui nequit, habet quod ſibi imputet, qui ad iſtam neceſſitatem me adegit proprio ſuo facto, damnum non eſt

P 2 quod

quod quis ſua culpa ſentit. Qui jure ſuo utitur, neminem lædit, qui ſui ſuſcipit defenſionem, verſatur in re licita, & utitur jure ſuo. *Cum hæc non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum a natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ut ſi in aliquas inſidias, ſive vim, aut tela latronum aut inimicorum incidiſſemus, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis*, ut inquit Cic. *pro Milone.* Dictat hoc natura, ſuadet æquitas; nec ipſa humana ſocietas, quæ homini cum homine intercedit, nec cognatio illa, quam naturam inter nos conſtituiſſe Florentinus ait, vim vi repellere vetat; verum ſummum nefas eſſe affirmat, hominem homini inſidiari; ſocietas enim & cognatio illa naturalis homines inter ſe devincit quam arctiſſimo naturæ vinculo, ut commutatione officiorum ſocietatem & cognationem illam tueantur. Quamobrem ex ejuſmodi juris naturæ vinculo profluit obligatio, quæ ſocietatis membra adſtringit ad præſtanda ſibi invicem ejuſmodi officia, quæ ad colendam & tuendam ſocietatem atque cognationem, de qua hic ſermo, aliquid conferre poſſunt, & proinde, quoniam ad ea præſtanda omnes jus naturæ obligat homines, conſequens eſt, hominem homini inſidiari aut vim vel injuriam inferre, eſſe ſummum nefas; quoniam ejuſmodi facinus è diametro juris naturæ præceptum vetat, adeoque cognatio illa naturalis non eripit nobis facultatem vim vi repellendi, verum eidem magis favet; intereſt enim humani generis, ut omne nefas hac ratione vindicetur, quo eo metu abſterreantur homines aliis vim inferre, quod ſciant hos cum internecione ſui adverſarii ſe poſſe tueri. arg. *l. 1. & tot. tit. Cod. quandò licet unicuique ſine jud.* Si nefas eſt hominem homini inſidiari, procul dubio fas eſt iſtiuſmodi inſidiis ſemet ipſum opponere, ideoque omni prorſus culpæ expers eſt, qui ſui defendendi cauſa cædem commiſit; a ſe enim depellendo vim injuſte illatam, etiam cum cæde aggreſſoris & ſibi & ſocietati conſulit. Sibi, quoniam ſemet ipſe conſervare in eo ſtatu, in quo a ſummo rerum arbitro conſtitutus eſt, jure naturæ tenetur. Societati inſervit, quoniam e medio tollendo ejuſmodi ſocietatis & cognationis

tionis naturalis hoſtem atque inimicum impedit, ne ab eo ſocietas in poſterum quid detrimenti capiat, nec cognatio illa violetur atque lædatur. Itaque, qui alicui injuriam vel vim infert, non duntaxat juſte repellitur ab eo quem læſit, quoniam injuſta offenſio alteri facultatem tribuit ſuſcipiendi ſui defenſionem, verum etiam quoniam violat jura cognationis, quam natura inter homines conſtituit; & proinde quoque jure repellitur, qui ejuſmodi committit nefas adverſus cognationem illam a natura conſtitutam, quam tueri cuique incumbit ſocietatis humanæ membro. Uti itaque duplex facinus committere videtur, ita quoque duplex ratio in jure naturæ fundata illud vindicandi ſubeſt. Sic JCtus, jure hoc evenit, ut, quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Altera vero ratio legitimæ defenſionis deprompta a cognatione naturali; quamobrem pergit dicere JCtus,

Et cum inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe. Derivanda cognatio illa naturalis, quam natura inter homines conſtituiſſe prædicat JCtus, a communi naſcendi principio, ab uno eodemque ſemine, ex quo univerſum mortale genus originem ſuam ducit. Omnes enim ab uno patre Adamo proceſſerimus, quamobrem nihil ſit unum uni tam ſimile, tamque par, quam omnes inter noſmet ipſos ſumus. Ex illo itaque communi naſcendi principio, naturalis illa ſanguinis conjunctio, ita ut homo homini, velit nolit, cognatione conjunctus ſit. Quamobrem Seneca *epiſt.* 9. *ad amicitiam fert illum nulla utilitas ſua, ſed naturalis irritatio. Natura, quæ communis eſt omnium parens, neceſſitudinem & cognationem quandam conſtituiſſe inter nos dicitur*, ut inquit Cic. *lib.* 1. & 3. *Tuſcul.* Quamobrem Piſo Academicus apud Ciceronem *lib.* 5. & *ult. de finib. In omni honeſto, quod per ſe expetendum dicimus, nihil tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas & communicatio utilitatum, & ipſa charitas generis humani.* Sin autem natura, ſive ſummus rerum arbiter hujus univerſi conditor Deus, quem per naturam intelligimus, omnes homines fratres & amicos ac con-

P 3

conſanguineos produxerit, ac ejuſdem generis & naturæ participes eſſe voluerit, *ſive Barbarus quis ſit, ſive Græcus, aut alius homo*, ut inquit Apollon. Thian. *epiſt.* 52. conſequens eſt, ut ait Jctus, hominem homini inſidiari ſummum eſſe nefas. Unde Seneca 1. *de Clement.* 18. *Cum in ſervum omnia liceant, eſt aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetat, quia ejuſdem naturæ eſt cujus tu.* Adeo ut contra naturam videatur abſque juſta cauſa alterum lædere atque injuriam afficere, cui charitas atque mutui amoris officia præſtanda natura vult atque imperat. Homo itaque naturæ obediens homini nocere non poteſt, atque impii judicandi ſunt adverſus Deos immortales, qui adeo immane committunt nefas, atque hac ratione non duntaxat cognationis atque ſocietatis jura violant, verum etiam eam evertere conantur, a cujus conſervatione pendet ſalus ſingulorum membrorum, ut alibi demonſtravimus. E diverſo enim *homo eſt animal ſociale communi bono genitum*, teſte Seneca *l.* 1. *de Clement. cap.* 6. imo, ut idem inquit, *in adjutorium mutuum generatus, lib.* 1. *de ira. cap.* 5. & proinde ob hanc cognationem inter homines conſtitutam hominem beneficio afficere hominem efflagitat rectæ rationis dictamen. Quamobrem Cic. *de conſolat. Quid enim, an ignorare quiſquam poteſt, quanta inter homines cognatio ſit, quantaque ſimilitudo: etenim niſi hoc verum fateremur, cauſæ nihil eſſet, cur homo hominem conſilio, re, gratia juvaret, ab hoſtium impetu, ac læſione defenderet, quod contra videmus accidere, qui ab his actionibus avertat animum, non modo in vulgus improbetur, ſed etiam inhumanitatis accuſetur.* Quippe, uti recte diſputat Seneca, *Quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt beneficiorum commercio.* Quod ſi Gentiles lumine rationis edocti perſpexerunt hoc a nobis officium naturam efflagitare; quanto magis oportet id ipſum inter homines Chriſtianorum ſacris initiatos locum ſibi vindicare, qui præter rationis dictamen legem moralem per Moſen nobis revelatam pro regula ac norma agendi habent, quæ nobis dictat, imo neceſſitatem imponit, ut proximum non ſecus ac nos ipſos diligamus, & proinde non tantum vetat, ne

ne ſocium atque proximum injuria afficiamus aut quocunque modo lædamus, verum etiam eadem in illum conferamus beneficia, quæ nobiſmet ipſis debemus. Quamobrem non duntaxat nefas eſt, ſocium lædere eique inſidiari, verum etiam ei opem ferre eumque juvare, ſi injuriam patiatur, requirit lex divina. Et proinde, ſi nobis defenſionem debemus, ergo & proximo, quem, uti ſtatim diximus, non ſecus ac noſmet ipſos diligere cogimur. *Omnes unius naturæ ſumus, in quantum homines, & eodem modo ſunt Dei imago & uniformiter: debent itaque omnes homines mutuo amore ſe invicem amplecti tanquam naturam unam & unius Dei imaginem*, uti diſſerit D. Joh. Andr. Vander Muelen, dum viveret, *D. de Niecop.* &c. *Supremæ Curiæ Brabantiæ, quæ Hagæ Comitum eſt, Senator*, in ſuo tractatu *de Foro Conſcient. p. 2. q. 5.* Qui non repellit a ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio quam ille, qui facit. Adeo ut Theologi doceant, præceptum negativum, *ne occidas*, includere affirmativum, ſcil. vitam proximi conſervans, ob amorem, quo proximum proſequi tenemur. Quamobrem jubet Salomon *eripere raptos ad mortem*, ſcil. qui culpa vacui ad mortem ducuntur. *Proverb. cap.* 24. Ex quibus colligimus quantum nefas ſit violare eum, quem non conſervare duntaxat, verum amare ſicuti noſmet ipſos debemus; & qui tollunt aut dirimunt hanc humani generis ſocietatem atque cognationem a natura conſtitutam, impii judicandi. Ex eodem autem jure gentium deducit Jctus manumiſſiones, quæ non abſolutè quidem & immediatè, uti exempla priore loco adducta, ex jure naturali neceſſitatem moralem inducente deſcendentes, ſive ex dictamine rationis ſimplicis, verum poſito certo rerum ſtatu & humani generis immutata conditione, quæ vocata ad rectæ rationis dictamen, in cauſa fuit, cur moratiores gentes, uſu poſtulante, & humanis neceſſitatibus exigentibus, rationi & æquitati convenientes judicarint ejuſmodi manumiſſiones introducendas atque recipiendas, adeoque ejuſmodi jus gentium per ratiocinationem ſive per ſyllogiſmum introductum eſt, ut loqui amant Jcti, conveniens cum præſente humani generis conditione & ſtatu, cujus ad uſum & utilitatem

omne

Digitized by Google

omne jus gentium referendum dictat ratio & æquitas naturalis, & eo ſenſu Manumiſſiones quoque juris gentium eſſe, inquit Jctus Ulpianus.

Lex IV.

Manumiſſiones quoque juris gentium ſunt. Eſt autem manumiſſio de manu miſſio; id eſt, datio libertatis: nam quamdiu quis in ſervitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt: manumiſſus liberatur poteſtate. Quæ res a jure gentium originem ſumpſit: utpote cum jure naturali omnes liberi naſcerentur; nec eſſet nota manumiſſio, cum ſervitus eſſet incognita. Sed poſteaquam jure gentium ſervitus invaſit, ſequutum eſt beneficium manumiſſionis: & cum uno naturali nomine homines appellaremur, jure gentium tria genera eſſe cœperunt: liberi, & his contrarium ſervi, & tertium genus liberti, id eſt, hi qui deſierant eſſe ſervi.

Manumiſſiones quoque juris gentium ſunt. Juris gentium eſſe dicuntur, quoniam ferè apud omnes gentes moratiores dictamen rationis pro norma & regula agendorum ſequentes receptæ ſunt & invaluerunt. Si Manumiſſionis originem indagemus, inveniemus eam admodum antiquam eſſe, & ſtante Hebræorum Repub. in uſu fuiſſe, uti patet *Exod.* 21: 2. Sacri textus hæc verba ſunt: *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: at in ſeptimo egredietur liber gratis.* Id eſt, manumittendus, adeo ut Ebræus Ebræum in ſervitium redactum, non potuerit invitum detinere ſex annis ſervitii exactis, verum hac lege alligatus erat dominus cum

eum manumittere, idque nullo accepto pretio, *gratis*. Adeo ut indignetur Deus Jeremiæ *cap*. 34. id non ſervari humanitatis erga ſervos a Dominis, quod præceptum erat Exodi *cap.* 21. Manumiſſionis autem tempus duplex fuit; unum quolilibet ſeptennio; aliud anno Jubilæo; quippe tum temporis manumittebantur, etiam qui annum unum duntaxat, aut paucos menſes inſerviiſſent. Nec facultatem habebat Dominus ultra illud tempus ſervum detinendi ad libertatem proclamantem, quin divinam in ſe iram provocaſſet, uti ſtatim annotavimus. Cum enim ab æquitate alienum ſit, hominem natura liberum uſque ad ſupremum vitæ diem ſervituti addicere, cavere hac lege voluit ſummus legiſlator, ne ſervo Ebræo, qui ejuſdem cum hero ſuo cognationis erat, eorundemque ſacrorum particeps, durum hoc ſervitutis jugum invito in perpetuum imponeretur, verum aliquando ad ſtatum libertatis, qui ſtatus naturalis eſt, tanquam jure poſtliminii reverteretur, interveniente Manumiſſione. Summa itaque hæc lex nititur æquitate, quamobrem apud alias quoque gentes rationis dictamini obtemperantes Manumiſſiones invaluere, uti ſtatim annotavimus; cum enim natura inter omnes homines, cujuſcunque nationis & gentis, cognationem quandam conſtituerit, adeoque ut pietatis, humanitatis & neceſſitudinis officia in ſe invicem conferant, rationis dictamen exigere videatur, ſane ab omni humanitate & æquitate alienum eſſet, ſi quis, fatis ita ducentibus, ſtatum libertatis cum ſervili conditione commutare neceſſum habuerit, ipſi nullus omnino ad primævum & naturalem ſtatum, qui fuit ſtatus libertatis, pateret iterum aditus. Quod cum maximè iniquum & inhumanum videretur, ut libertati faverent, Manumiſſio introducta, cujus definitionem tradit JCtus, cum inquit:

Eſt autem Manumiſſio, de manu miſſio, id eſt, datio libertatis; nam quamdiu quis in ſervitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt: & manumiſſus liberatur poteſtate. Definit JCtus Manumiſſionem, quod nihil aliud ſit, quam datio libertatis: adeoque manumittendo ſervus, qui in juſtam ſervitutem jure gentium erat redactus, recuperat priſtinam libertatem. Itaque ſervitutis acerbitati objecta eſt manumiſſionis benignitas,

 qua

qua ad priſcæ priſtinæve libertatis dignitatem velut poſtliminio rediretur. Manumiſſio appellata eſt, quod dominus, cujus in manu & poteſtate erat ſervus manumittendus, tenens caput aut aliud ſervi membrum, quem volebat libertate donare, dicens *hunc hominem liberum eſſe volo*, eum manu ſua emittebat. Quamobrem Plautus *manu emiſſum* dixit, *igitur orabo, ut manu me mittat. Aulul.* idem in *Penulo. Ego, ſi iſtud lepide faxis, te hodie emittam manu.* Et in *Curcul. Mea ancilla libera ut ſit, quam ego nunquam emiſi manu.* Athenæus *lib.* 6. ſcribit, apud Lacedæmonios eadem ratione appellatos ἀφέτας ſervos manumiſſos, atque etiam ἀδεσπότους, utpote alterius dominio liberatos. Quemadmodum mancipia ſervi olim appellabantur, quod manu, id eſt, vi capti fuiſſent: ſic a ſervitute liberabantur, cum e manu, ſive poteſtate emittebantur, & ſic manumittere rectè dicuntur, qui vi & poteſtate liberantur. Feſtus *lib.* 13. ſermonem habet de alia quadam, quæ apud veteres in uſu erat, Manumiſſione, ſcil. quæ ſacrorum cauſa fiebat, eratque ſpecies oblationis, ſic dicta, quod quæ Deo dicantur, e noſtra manu & dominio exeant. Luſitando Accurſius inquirit, quomodo Dominus poſſit dare libertatem? Et quidem ſuam non dat, nec alienam: atque utcunque det, verius detegit eam, quæ eſt in ſervo jure naturæ, ut qui ſpicas tritici excutit, *l.* 7. *§.* 7. *ff. de acquir. rer. domin.* Verum alii negant, hoc ita ſeſe habere, quum ſervo omnino libertas extincta fuit jure gentium, quod naturale quoque dicitur, & rurſus alio jure naturali omnium excellentiſſimo, id eſt, ratione, ut ſervarentur capti bello potius quam mactarentur; atque ita jus naturale civili non tollitur; ſed alio jure naturali potiore; præterquam quod dominus dat libertatem & ſuam retinet interea, ut cum ſuam juriſdictionem dat Proconſul, quaſi lumen accendat de lumine ſine jactura: uti quoque in aliis rebus incorporalibus idem evenire annotant JCti; ut cum quis ſervitutem in fundo conſtituit, nec illam in ſuo habet, cum res ſua nemini ſervit: novum quippe non eſt, ut ad alios transferamus, quod noſtrum non eſt, *l.* 63. *ff. de uſufr.* Accedit, quod potius habet dominus jus dandi libertatem, quam habeat id, quod dat:

datur ut cum Prætor dat judices & tutores. Manumiſſio eſt igitur miſſio de manu, id eſt, poteſtate; manus enim nihil aliud eſt quam poteſtas, *l. 2. ff. de orig. jur.* ubi Pomponius, *omniaque manu Regis gubernabantur*, id eſt, poteſtate & arbitrio; paſſim enim apud auctores quoſcunque verbo manus μεταφορικῶς ſignificatur poteſtas & arbitrium. *Omnes, quorum in alterius manu vita ſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione & poteſtate ſunt, quam quid debeat facere.* Cic. *pro Quint.* & Seneca 3. *controv. Nemo poteſt alium in ſua manu habere, qui ipſe in aliena eſt.* Tacit. 2. *Annal. Neque pœnitere, quod in ipſorum manu eſt.* Hoc ſenſu etiam in ſacris litteris quandoque occurrit; uti *Deut.* 33. *Dilexit populos, & omnes ſancti in manu illius ſunt.* Itaque verbo *manus* ſignificatur poteſtas modo regia, modo patria, modo herilis; aliam adhuc vocis hujus ſignificationem elicere poſſumus ex verbis Ulpiani Jcti, cum inquit *l. 13. ff. de V. S. Plerumque plus eſt in manus pretio quam in re.* Quippe hoc loco *manum*, pro arte, artificioque artificis poſuit. Sæpe enim fit, ut artificis opus materiam ipſam pretio longè ſuperet. Huc pertinet illud Ovidii,

Materiam ſuperabat opus; nam Mulciber illic
Æquora celarat medias cingentia terras.

Modeſtinus dicit *manu emiſſam*, pro data cautione manu noſtra conſcripta, *l. 15. ff. de probat.* Ex iis autem, quæ mox ſequuntur, ſatis manifeſtum eſt, Ulpianum per *manum* denotare poteſtatem; *Nam quamdiu*, inquit, *quis in ſervitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt.* Quamvis verbum *manumiſſionis* ad ſervos potiſſimum referendum videatur, ſicuti ad liberos *emancipatio*; attamen hoc diſcrimen ſæpe confunditur; ratio eſt, quod olim eundem manumiſſionis modum veteres in liberis obſervabant, quem in ſervis; nam a patre naturali venditi manumittebantur tanquam ſervi ab imaginario emptore. Quamobrem Marcianus *l. 2. ff. de offic. Proconſ.* inquit, *apud Proconſules manumitti poſſe tam liberos quam ſervos.* Prius enim filium ad ſervilem ſtatum reducebant imaginaria

Digitized by Google

venditione, & deinde tanquam ſervum manumittebant, *§.* 5. *&* 6. *Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolvit. & toto tit. ff. ſi a parente quis fuerit manum.* Annotat quidem Accurſius ad *d. l.* 2. verbum idem *manumiſſionis* proprie & improprie ſimul accipi; ſed verius videtur aliis, verbum *manumiſſionis*, ut adoptionis eſſe genus & ſpeciem. Quippe propriè tam filii quam ſervi manumittuntur; ſed eadem mox ſecatur in *manumiſſionem* & *emancipationem*, quæ propriè filios intuetur, *l.* 28. *ff. de adopt. l.* 1. *§.* 4. *ff. quand. de pecul. annal. ſit.* Ubi Ulpianus interpretatur edictum Prætoris, & merito emancipari filios ſolum dicit, & ſervos manumitti; quia Prætoris edictum verbo *manumiſſi* & *emancipati* utebatur; cum alterum prorſus ſuffeciſſet, uti dicimus *mulierem* & *virginem*, tamen virgo quoque mulieris nomine venit. Rerum quippe diverſitas cogit verba idem ſignificantia alio atque alio traducere, uti inquiunt juris Romani periti.

Effectus autem *manumiſſionis* eſt, uti inquit Jctus, *quod liberatur poteſtate manumiſſus.* Per *manumiſſionem* igitur expellitur ſervitus, quia libertini ſunt, qui excutiuntur a juſta ſeu vera ſervitute; quippe privatio non poteſt fieri ejus quod non extitit; quamobrem ingenuus, qui putatur ſervus, non manumittitur, *§. fin. Inſt. de ingen.* ubi ait Imperator, *Cum autem ingenuus aliquis natus ſit, non officit ei in ſervitute fuiſſe, & poſtea manumiſſum eſſe; ſæpiſſimè enim conſtitutum eſt, natalibus non officere manumiſſionem.* Ita ut qui ingenuus natus ſit, ſi ſtatus ſui ignarus ſervierit, & deinde manumiſſus fuerit, ingenuitas ejus per manumiſſionem non læditur, *l.* 2. *& l. ult. Cod. de ingen. & manum. Ingenuitas enim is ſplendor eſt, ut ſi qua ſervitutis putativæ nubes prætendantur ac velut ei ſubmovendæ, manumiſſoris, tanquam patroni futuri voluntas operetur, is, qui taliter facto non etiam jure ſervivit, neque ob id manumiſſori tanquam patrono eſſe dicetur obnoxius, nec ob ejuſmodi factum ingenuitatis ſuæ puritatem obſcuraſſe videbitur*, ut inquit Catiuncula *parap. in Inſt. Compluribus enim conſtitutionibus reſcriptum eſt*, ut inquit Imperator, *natalibus non officere manumiſſionem.* Extat quoque præter Juſtiniani conſtitutionem alia Gordiani *l.* 2. *Cod. de ingen. manum.*

Digitized by Google

num. ubi conſtitutum, *neque nutrimentorum ſumptus, neque ſervitutis obſequium ingenuam natam faciunt ancillam, neque manumiſſio libertinam:* ad quam ingenuitatem, etſi olim poſt quinquennium manumiſſionis proclamare non liceret, niſi ſpeciali gratia & favore, *l.* 2. *§.* 1. *ff. ſi ingen. eſſe dic.* hodie nulla temporis præſcriptione hujuſmodi proclamatio tollitur, *l. ult. Cod. ubi cauſa ſtat.* Huc etiam referri poteſt, quod Plinio reſcripſit Trajanus, de iis, qui cum liberi nati eſſent, expoſiti, dein a quibuſdam ſublati, & in ſervitute fuerint educati, quos proprie appellabant θρεπτούς: iis Imperator noluit denegari aſſertionem libertatis & ingenuitatis. Huc etiam videtur pertinere, quod ſcribit Ulpianus *l.* 21. *§.* 1. *ff. de capt. & poſtl.* bello civili captos & venundatos, poſteaque manumiſſos, ſupervacuo a Principe repetere ingenuitatem, utpote quam captivitate illa non amiſerunt. Excipiendus tamen ingenuus, qui patitur ſe manumitti, ut forte efficiatur libertus locupletis viri; atque hac ratione firmat, quod antea nullum & irritum erat, *l.* 17. *ff. de injuſt. teſtam.* uti quoque & is, cui prius competebat libertas fideicommiſſaria, quam manumitteretur, *l.* 43. *ff. de action. empti.* quoniam in ejus arbitrio eſt, utrum malit ex manumiſſione, quam ex fideicommiſſo liberari. *Effectus autem manumiſſionis*, ut inquit JCtus, *conſiſtit, quod manumiſſus liberatur poteſtate, manentibus tamen aliquibus adhuc priſtinæ hujus poteſtatis veſtigiis.* Quippe intactum atque ſalvum manet antiquo domino jus patronatus, quod a noſtratibus JCtis tanti fit, ut æſtimari non poſſe dicatur, *l.* 5. *§. ult. ff. præſcr. verb.* & vi cujus poſſit Patronus ingratum libertum in ſervitutem revocare, *l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib.* hujus autem manumiſſionis beneficium juri gentium adſcribit JCtus; & merito ex eodem jure profectum affirmandum ſtatuimus.

Quæ res a jure gentium originem ſumpſit. Utpote cum jure naturali omnes liberi naſcerentur, nec nota eſſet manumiſſio, cum ſervitus eſſet incognita. Sed poſteaquam jure gentium ſervitus invaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis. Manumiſſionem ex jure gentium originem ſumpſiſſe, paulo ante demonſtravimus; ſcil dictamine rectæ rationis, & ca-

Digitized by Google

tenus quoque ex jure naturali; jus enim gentium non opponitur juri naturali, nec vice verſa; verum pro diverſo humani generis ſtatu, & conditione, alia quoque appellatio juri naturæ impoſita, deſcendens ex applicatione juris naturalis ad præſentem ſtatum: eodem quoque ſenſu ſervitus jure gentium invaſiſſe dicitur. Quemadmodum enim auctore ſummo Grotio *de jur. bel. & pac.* quædam juris naturalis dicuntur antecedenter ad hominis voluntatem; quædam ejus juris ſunt, quæ humanæ voluntatis actum conſequuntur, quæ hujus generis ſunt, & voluntas humana præeunte dictamine introduxiſſe videtur a cauſa proxima, juris gentium eſſe dicuntur, quamvis ex eodem juris fonte, ſcil. jure naturali, quatenus dictatum rationis jus naturæ conſtituit, procedat; attamen quatenus non immediate, id eſt, citra voluntatem humanam exiſtunt, nec alio ſenſu jus gentium a jure naturali recedere, nec a JCto ab eo diſtingui mihi videtur, niſi quod jus naturale vel conſtitutum & introductum citra voluntatem humanam per ſe & abſolute abſque ullo conſenſu & voluntate humana obligans ad id, quod dictante ratione rectum eſt, vel quod tacite quaſi gentium conſenſu interveniente & accedente receptum atque approbatum, ex dictamine rationis profectum. Atque ab hac differentia derivanda juris gentium denominatio, adeo non differt jus gentium a jure naturali abſolute ſic dicto, nec origine, nec eſſentia, ut ita dicam; verum duntaxat quoad recipiendi & introducendi modum, tum etiam ſtatus ac conditionis mutationem, cujus ad conſervationem & uſum applicandum atque referendum dictabat naturalis ratio. Adeoque cum jus naturale, quod in ſtatu naturali viget, in quo homines ſibi æquales jure & conditione natalium, ſic ut alter in alterum nullum habeat jus, nec poteſtas aut dominium hominem ſervituti addicat, nec alterum alterius imperio ſive poteſtati ſubjiciat, eo jure vel ſtatu ſervitus erat incognita, & proinde nec manumiſſio nota, utpote quæ ſupponit ſervitutem, quæ per manumiſſionem tollitur atque expellitur, uti annotavimus. Natura enim cuique libertatem tribuit. Servitus fortunæ, non naturæ nomen eſt. Homines natura liberi naſcuntur, id eſt, ſui juris, quippe,

uti

uti ſtatim diximus, cum homines, quia ejuſdem ſtatus ac conditionis participes, ſibi æquales, alter alteri ſervire nequit. Quamobrem ſtatus hominis naturalis recte vocatur ſtatus libertatis, quia ibi nec perſonalis nec civilis ſervitutis nomen obtinet, niſi quatenus liberi parentum imperio ſubjecti; verum & illud evaneſcit, poſtquam ad provectiorem ætatem pervenerunt liberi, & egreſſi domo patris ſibi ipſi familiam conſtituerunt, vel ſaltem victum & amictum propria induſtria & labore quærunt. Adeoque merito celeberrimus Puffendorfius rejiciendam ſententiam eorum exiſtimat, qui imperium herile & ſervitium actu a natura conſtitutum autumant. Quamvis quorundam hominum natura ita comparata ſit, ut quid ex uſu ſibique utile ſit, citra aliorum ductum parum perſpiciant; inviti tamen hanc ob rationem in ſervitutem redigi nec poſſunt, nec oportet: *Nequaquam enim aptitudo naturalis ad imperandum alicui ſtatim dat imperium in eum, cui a natura eſt ingenium aptum; nam homines libertate ex æquo gaudent; cujus diminutionem ut patiatur, neceſſum eſt, ut ipſorum conſenſus expreſſus vel tacitus aut interpretativus accedat, aut aliquod ipſorum factum, quo aliis jus facit quæſitum, eundem vel invitis eripiendum*, ut inquit Puffendorf. *de jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 2. §. 8.* Nec refert quod Ariſtoteles eos, quibus ingenium ita hebes eſt, uti ſtatim diximus, natura ſervos vocat, quippe non eo ſenſu mentem Philoſophi interpretamur, quaſi natura eos actu in ſervitutem redigeret, citra eorum conſenſum; verum quod ipſis magis conſultum ſit, quando libertatis naturalis jacturam facientes aliis ſerviant, quam proprio Marte rem gerant. Haud quidem negari poteſt, eos, qui ingenio & prudentia pollent, a natura quaſi manu formatos videri, ut ceteris, qui hebetioris ſunt ingenii, imperent atque dominentur; verum ex eo nullum jus ipſis natura tribuit, quo ſibi ejuſmodi imperium vel dominium vindicandi in alios jure & conditione pares & æquales, poteſtatem & facultatem arrogare poſſunt, nullo interveniente facto humano. Quamobrem merito ſtatim allegatus auctor *d. l. Cum natura omnes homines æquales produxerit; ſervitus autem citra inæqualitatem intelligi nequeat; (nam ſervi utique eſt agnoſcere ſuperiorem, ad liber-*

libertatem autem non requiritur habere inferiorem, ſed ſufficit ſuperiori non eſſe ſubjectum) *ideo omnes homines naturaliter, citra antegreſſum factum liberi eſſe intelliguntur. Habilitas autem naturalis, ſeu præſentia earum qualitatum, quæ ad ſtatum aliquem requiruntur, non confeſtim aliquem in eo ſtatu collocat. Non ſtatim Rex eſt aut Dux, qui imperio tractando dignus eſt. Naturali* itaque *jure quiſque liber naſcitur*, ut inquit Ulpianus noſter, cum quo conſentit Quintilianus *Declam.* 13. cum inquit: *Quid non liberum natura genuit? Taceo de ſervis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iiſdem legibus, eadem fortuna, eadem neceſſitate natos. Ex eodem cœlo ſpiritum trahunt; nec natura illis, ſed fortuna dominium dedit.* Quamobrem cum in ſtatu naturali, in quo, uti annotavimus, homines ſibi & jure & conditione ac ſtatu æquales, ita ut alter in alterum nullam poteſtatem nec ullum ſibi poſſit vindicare dominium, eo ſtatu quoque incognita ſervitus; cum autem ſervitutis ſequela ſit manumiſſio, haud ea potuit obtineri incognita ſervitute. Verum quamvis natura liberi naſcamur, attamen non repugnat juri naturali, ut quandoque ſtatum naturalem, id eſt, libertatem cum ſervitute vel perſonali vel civili commutemus, vel per ſpontaneam ſubjectionem vel violentam, juſtam tamen & rationi convenientem: natura quemque liberum genuit; verum hoc naturæ beneficium nullam neceſſitatem imponit, qua adſtringimur libertatem, quam natura cuique largita eſt, in perpetuum conſervare: poſſunt enim quandoque caſus incidere, quibus magis expediret libertati renunciare, quam illam retinere; imo ipſa naturalis ratio, neceſſitate exigente, ſervitutem recipiendam ſuadet atque dictat. Cum enim jus naturæ quemque ſibi maxime commendet, & proinde ſui conſervationem imperet, dictat quoque, ſi quis ſemet tueri vel conſervare haud poteſt, niſi forte cum libertatis naturalis jactura, rationi magis conveniens eſſe, ut ei renunciet, quam ut eam tuendo ſui curam abjiciat. Quamobrem ſi de ſervitutis origine diſputamus, eam non duntaxat ex bellis originem ſumpſiſſe, verum ex ſpontanea ſubjectione cum Puffendorfio exiſtimo. Neceſſitas atque indigentia in cauſſa fuiſſe videtur, cur nonnulli tenuiores ad ſe ſuſtentandum,

dum, vel etiam quod aliorum auxilio atque conſilio indigebant, a locupletioribus & ſolertioribus invitati ad operas ſibi locandas ejuſmodi præſtare ſervitium, tanquam ſibi quoque utile & commodum, non recuſare voluerint. Cum autem utrique illud commodum experirentur, paulatim hoſce adductos, ut iſtorum ſeſe familiis adjungerent; hiſce conditionibus, ut hi quidem vitæ neceſſaria, illi vero miniſteria circa rem domeſticam, ex eorum præſcripto curandam, ſibi ſtipularentur, uti differit Celeber. Puffendorfius *d. l.* Adeoque prima ſervitutis origo ex ſpontanea ſubmiſſione hominum tenuiorum deducenda, interveniente contractu innato, do ut facias, ſcil. do alimenta perpetua, ut viciſſim præſtes perpetuas operas. Ex ejuſmodi conventione vel contractu naſcitur ultro citroque obligatio, qua alter ad operas præſtandas, alter ad alimenta & vitæ neceſſaria tenetur: ideoque domino facultatem & jus tribuit ſervis quaſcunque operas injungendi, ad quæ præſtanda & exequenda idonei atque apti ſunt. Quid ſi eas præſtare recuſet, vel ſuſceptas dolo malo vel lata ſua culpa perperam, & eo quo decet modo, exequi negligat? Poteſt Dominus eum corrigere, & aſperioribus remediis coërcere; iis fruſtra tentatis, domo expellere: in ejuſmodi enim ſervum, qui ſpontaneam ejuſmodi ſervitutem ſuſcipit, non tam ampla poteſtas competit Domino, quam in ſervos jure belli in ſervitutem redactos; adeoque jus vitæ ac necis Domino in ſervum ſponte ſervituti addictum haud conceſſum arbitror; imo ne quidem invitum aliis vendendi facultatem habet Dominus: illa enim obligatio, qua ſe devinxit potius ſuo Domino quam alteri, perſonalis eſt, ac ejus perſonam non egreditur; adeo ut niſi ipſius ſervi conſenſu accedente in aliam familiam transferendi Dominus habeat facultatem. Revera enim ejus conditionis ſervi habendi tanquam perpetui mercenarii, qui durante iſto ſtatu omnia Domino adquirerent. *Et ſi forte extra familiam atrox aliquod delictum admiſerint, ſiquidem intra illos terminos, quos diximus, eorum ſubjectio conſtiterit, non videtur Dominis jus vitæ & necis competere*, ſtatuit ſtatim allegatus auctor. Poteſtas ex ſpontanea ſubjectione ſive ſervitute Domino delata non extra men-

 tem

tem ejus, qui ſe ſubmiſit atque ſubjecit, extendi debet. Nemo enim præſumitur adeo facile vitæ neciſque arbitrium, quam in res alias, quæ ſemel amiſſæ, recuperari quandoque poſſunt, imperium alicui deferre; præterquam quod operarum locatio, de cujuſmodi ſervitutis genere ſermonem habemus, multum differt a vitæ neciſque in alterius arbitrium collocatione. Præſtat enim vitæ conſervatio ceterarum quarumcunque rerum incolumitate mille modis; adeoque inter illa duo nulla poteſt inſtitui comparatio, & proinde nec etiam poſſunt uno eodemque contractu contineri. Verum, quid ſi in ipſum Dominum ejuſque familiam id genus ſervi atrociter delinquant? Morte affici poſſe exiſtimo, non quidem vi imperii, verum jure belli tanquam hoſtes; ut merito ſtatuit Puffendorfius. Tum etiam, quod quiſque ſui conſervationem quam maxime natura duce ſalvam velit. Cum vero hanc commoditatem ſuos labores per alios expediendi magis magiſque experirentur mortales, non mirum, quod cum bella paſſim increbreſcerent, paulatim tacito quaſi conſenſu receptum, in bello captis ex lege & conditione vitam & corporalem libertatem relinquere, ut perpetuo capientibus ſervirent. Adeo ut apud omnes fere moratiores gentes receptum, imo dictante naturali jure & æquitate, tum etiam humanitate ſuadente, ne occiderentur, verum ſervarentur captivi, quos vel vendere ſolebant victores, vel ut ſibi perpetuum ſervitium præſtarent, conſervabant proprio in dominio, unde *ſervos* a *ſervando* dictos eſſe inquit JCtus *l.* 13. *ff. de V. S.* Iſiodorus *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 17. *Servitus a ſervando*, inquit, *vocata. Apud antiquos enim quum bello victi ſervabantur, ſervi vocabantur.* Verum horum durior erat conditio, quam eorum, qui conſenſu alteri ſervitia præſtabant pro certa mercede, vel quibus viciſſim Dominus alimenta & vitæ neceſſaria ſubminiſtrabat. Quippe in illos non adeo amplum Dominus ſibi poterat vindicare imperium, adeo ut nec vendere nec morte afficere poſſet, niſi atrociter & quaſi hoſtili animo in familiam Domini deliquiſſet; hoc enim caſu quaſi in ſtatu bellico verſaretur eum tanquam hoſtem perſequebatur. In bello vero captum victor nullis fere cancellis circumſcriptum obtinet imperium

ac

ac dominium, adeo ut pro lubitu de ſervo, ut de ceteris rebus dominio ſuo ſubjectis, diſponere poſſit, ipſumque vendendi, ex ſua in alienam familiam transferendi facultatem, tum etiam juſta ex cauſa jus vitæ neciſque habeat jure gentium ſive naturali. Ita *ut in ſervum Domino nihil non licere* dixerit Seneca *lib.* 1. *controv.* 5. Huc pertinet illud Donati ad Terentium *Andriæ act.* 1. *ſcen.* 1. *Quid non juſtum Domino in ſervum? Apud omnes peræque gentes*, ait Cajus, *animadvertere poſſumus*, *Dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe.* Sunt tamen certi fines, quibus ejuſmodi poteſtas etiam jure gentium limitatur & circumſcribitur. Jus gentium enim, quod ratio naturalis inter homines conſtituit, nihil permittere poteſt, quod ab æquitate & humanitate, tum etiam cognatione, quam natura inter nos conſtituit, alienum eſſet. Quamobrem nec jure gentium licet ultra modum & humanitatem ſervos tractare Et quamvis forte ſævitia Dominorum in ſerviles perſonas in foro Soli impunita; haud tamen in foro Poli, in quo jus naturale nobis agendi norma eſſe debet, permiſſa vel licita eſt. Quamobrem Seneca 1. *de Clement. In mancipio*, ait, *cogitandum*, *non quantum illud impune pati poſſit*, *ſed quantum æqui bonique natura tibi permittat*, *quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.* Quod quarundam gentium pravi mores vel error induxit, non juris gentium eſſe dicendum, ſed corrupte & ad vitia naturæ pronæ effectus. Quamobrem Romani, aliæque gentes, lumine rectæ rationis ductæ atque edoctæ, Dominorum in ſervos poteſtatem rectæ rationis dictamine circumſcripſerunt, cum & ſocietatis humanæ, tum etiam Reipub. interſit, ne quis re ſua male utatur, & Dominorum quoque, ne auxilium ſervis contra illorum ſævitiam denegetur, *l.* 1. & 2. *ff. de his*, *qui ſunt ſui vel alien. jur.* Et conſtitutione Pii Cæſaris ſtatutum, ut qui ſine cauſa ſervum occidiſſet, eadem pœna puniretur, ac qui alienum necaſſet. Habet quidem Dominus jus vitæ neciſque in ſervos jure gentium, tum etiam civili, verum eadem jura vetant eo jure ad crudelitatem abuti. Cujuſmodi abuſus movit Imperatorem Adrianum, ut lege vetuerit *ſervos a Dominis occidi*, *eoſque juſſerit damnari per Judices*, *ſi quid admiſiſſent*,

 quod

quod ultimo ſupplicio expiari oporteret, teſte Spartiano in Adriano. Quamobrem Umbricam quandam matronam in quinquennium relegavit, quod ex leviſſimis cauſis ancillas atrociſſime tractaverit, *l. 2. §. fin. ff. de his, qui ſunt ſui vel alieni jur.* Poſtquam vero ſervitus jure gentium invaſit, ſecuta quoque diverſa hominum conditio & appellatio, uti in fine hujus legis perſpicimus.

Et cum uno naturali nomine homines appellarentur, jure gentium tria hominum genera eſſe cæperunt: Liberi, & iis contrarium Servi, & tertium genus Liberti, id eſt, qui deſierant eſſe Servi. Cum naturali jure omnes liberi naſcerentur ſtatu & conditione æquales, adeoque unica eſſet ingenuorum conditio, unoquoque naturali ſive communi nomine homines appellari ſufficiebat. *Natura* enim *neminem fecit liberum, neminem ſervum; impoſuit nomina hæc fortuna ſingulis.* Interjecto vero tempore, poſtquam ſervitutis nomen cognitum, ſecta ingenuorum conditio in eos, qui ingenui manerent, quique ſervi fierent, & tertium genus liberti, qui in ſervitutem redacti, interveniente manumiſſione, priſtinam libertatem recuperarent, verum patronatus jure ſervato. Quamobrem ſtatuunt juris interpretes, non oportere libertum natalibus a Principe reſtitui, niſi Patrono conſentiente, cujus intereſt, ut ſic natus exiſtimetur ingenuus, *l. ult. ff. de natal. reſtitut.* Ad multa enim libertus patrono, qui eum ex miſero ſervitutis ſtatu liberaverat, obſtrictus manebat: honorem enim & obſequia, tum etiam debitam reverentiam patrono non duntaxat, ſed etiam ejus liberis & privignis exhibere tenebatur. De obſequiis patronis præſtandis exſtant cum in Pandectis, tum Codice tituli peculiares; vid. quoque *l. 13. ff. de in jus vocand. l. 9. ff. de obſeq. a lib. & libert. præſt. l. 12. Cod. de bon. libert. l. 5. §. 20. ff. de agnoſcend. liber. & l. 7. Cod. de obſeq. patron. præſt.* Atque hoc ſcire etiam hac tempeſtate ſuam quoque habere utilitatem, ſtatuit Feltmannus. Cum nihil frequentius, quam quod a libertis obſequiis & officiis patrono debitis argumentum deſumatur ad Clientem ſeu Vaſallum & Feudi Dominum. Quod vero ſervos attinet, conſtat hodie fere in maxima parte orbis Chriſtiani ſervitutem,

qua-

Digitized by Google

qualis apud Romanos aliaſque gentes olim in uſu fuit, fere abolitam. Bodinus conjicit Chriſtianos circa annum a nato Chriſto 1250. ſervitutem ſuis a cervicibus omnino abjeciſſe. Quippe adhuc in Italia ſervos fuiſſe anno 1200. planum eſſe ſtatui tum ex legibus Gulielmi Siciliæ Regis ac Frederici 2. Cæſaris, tum etiam ex decretis Pontificum Romanorum Alexandri 3. Urbani 3. Innocentii 3. ubi agitur de conjugiis ſervorum, quæ JCti *contubernia* vocant. Alexander quidem creatus eſt Pontifex anno 1158. Urbanus 1185. Innocentius 1188. quibus ſi addatur Bartolus, qui ætate Caroli 4. Imperatoris anno ſcil. 1300. floruit, qui *ad l. 24. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* ſcribit ſecundum mores ſui temporis, nullos omnino ſervos exſtitiſſe, nec venalitios homines uſquam haberi, ſcil. inter Chriſtianorum ſacris initiatos Principes, planum fit, ſervitutem in Rebuſpub. Chriſtianorum circiter ea, quæ diximus, tempora deſiiſſe. Servitutis nomen omnino apud nos exolevit, adeo quidem, ut ſervi, qui noſtros ac plurium aliarum gentium fines intrarunt, etiam invitis eorum Dominis, ad libertatem proclamare poſſint, ut id multis DD. auctoritatibus firmavit Groenew. *ad tit. Inſtitut. de his qui ſui vel alien. juris.* Adeo, quamvis unuſquiſque ſit ſui juris & liber arbiter & moderator rerum ſuarum, attamen nemini eam facultatem hodie conceſſam arbitratur Bugnon. *de leg. abrog. lib. 1. cap. 5.* ut ſemet poſſet venundare, aut alia ratione ſervitutis jure alteri addicere. Sic teſtatur Boërius, Tholoſæ ſervos, qui ingrederentur civitatem, liberos eſſe, nec repeti vel evelli inde a Dominis poſſe. Et quamvis, ut ante diximus, apud pleraſque gentes ſervitus obtinuerit, ſcribit tamen olim apud Indos nullum fuiſſe ſervorum uſum Arrian. *in lib. rerum Indicar.* uti quoque, teſte Athenæo, Phocenſes & Locri prohibuerunt, *ne ſervi ſervæve haberentur.* Hodie tamen, ſi cum Barbaris Chriſtiani bellum gerunt, uti ipſi capti Barbarorum ſervituti addicuntur; ita eodem jure utuntur in Barbaros jure belli captos. Huc ſpectat placitum Ordinum fœderati Belgii, quo cautum, in talibus etiam leges civiles de ſervis locum ſibi vindicare oportere. Humanitatis tamen & pietatis habita ratione, ne Domini durius eos tractent, ne-

 ve

ve diebus Dominicis aliiſque temporibus ſacris peragendis deſtinatis, eos labore graventi vid. *Inſtructie van de Staaten Generaal voor de geconqueſteerde Plaatſen in Brazil.* 23. *Auguſti* 1636. *art.* 85. 86. *vol.* 2. In aliis quibuſdam Regionibus manſerunt adhuc priſtinæ ſervitutis quædam veſtigia, uti Germania, Polonia, Moſcovia, Tranſilvania, Dania, Holſatia, Boruſſia, ac in ipſis vicinis Gelriæ & Sutphaniæ partibus, ubi ſublatum eſt jus ſervitutis, inveniuntur etiamnum homines *proprii*, aut iis fere ſimiles, quos *adſcriptitios* Romani vocabant, adeoque non omni carentes macula ſervitutis. Ita quoque apud Germanos etiam quoddam ruſticorum genus exſtat, qui homines *proprii* vel *mancipia* appellantur **Die Leibeigene.** Italis dicuntur homines *Demanſata.* Hiſpani eos vocant *Solariegos*, uti tradit Garſias *de expenſ. cap.* 9. *n.* 52. Galli *manu mortales*, ſive etiam *Corveables*, ut videre eſt apud Chaſſan. *ad conſuet. Burgund.* Poloni *Kmethones*, vel *Kometonas* vocant, teſte Bodino *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 41. in Saxonia eos nominant **Laſten** a **gelaſten**/ vel **laten**; apud noſtrates, **Keurmoedige/ Schotbare/ Lothorige mannen/ Waltiniſche luyden.** vid. Fred. a Sande *de feudis Gelriæ, tract. præliminar. cap.* 1. *n.* 28. & *ſeqq. uſque ad finem.* Goris *adverſar. tract.* 3. *cap.* 13. Ant. Mathæum *paræmia* 2. *n.* 43 & *ſeqq.* Simon a Leeuwen *Cenſ. for. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. 3. 4. 5. 6. Burgund. *ad conſuetud. Flandriæ tract.* 15. Hoſce vero homines *proprios* in agro Monaſterienſi, ſi privatam Domini eorum utilitatem reſpicias, inquit Feltman, vix differre ſtatuit a conditione priſcorum ſervorum; quamobrem ne alia ratione libertatem nanciſcuntur, quam ſi ab hoc manumiſſi, uti tradit Jor. Herm. Stam. *de ſervit. perſon. lib.* 3. *cap.* 37. *n.* 11. ubi notavit formulam, qua libertas dari ſolet, eamque Groningæ exhibere debent, qui e Veſtofalis orti dignitates & honores ambiunt, uti perſpicimus ex *ſtatut. urbis Groning. lib.* 6. *art.* 3. *ll. de elect. Senator. art.* 15. §. 1. Hi vero manumiſſi non ſecus ac liberti & filii emancipati reverentiam debent priſtinis Dominis, ut tradit Stam. *de ſervit. perſon. lib.* 3. *cap.* 37. Apud Churlan-

landos veros adhuc ſervos reperiri, tradit ſtatim allegatus JCtus Ger. Feltman, quos vernacule **Leennehog** appellant; in quos Dominus habet jus vitæ necíſque, eoſque pecudum inſtar vendunt, permutant, vel alio modo abalienant. In Moſcovia ſervos eſſe, ſive mancipia empta & capta, tradit Sigiſmund. Baro *in Comment. rerum Muſcov.* Qui ejuſmodi ſervis noſtros famulos, qui noſtris expenſis nobis ſponte ſua hodie inſerviunt, & certa mercede conducti operas ſuas nobis præſtant, comparat; eum haud fugere poteſt, eos tantum ab antiquis ſervis diſtare, quantum vita a morte, & lux a tenebris differt; adeo ut ne umbra quidem priſcæ ſervitutis apud nos hodie conſpiciatur; verum in omnibus homines liberi ſunt, unde Hippolytus de Bonacoſſa *tract. de Serv. & Famul.* definitionem famuli traditurus, dicit, *quod eſt homo liber, qui propter indigentiam non eſt per ſe ſufficiens ad bene vivendum, adeoque alii famulari & ſervire neceſſum habet.* Quemadmodum vero ſponte ſua ſervitium ſuſcipit, ita quoque eligere poteſt eum, quem velit, Dominum, cui inſervire ſibi placet, qui in famulum ſive ancillam non plus juris ſibi vindicare poteſt, quam mores & ſtatuta ipſi deferunt, ſcil. ut obedientiam & reverentiam ſibi debitam præſtet, adeoque ejuſmodi operas & ſervitia a ſervo ancillave exigendi habet facultatem; quæ juxta id, quod bonum & æquum eſt, præſtare famulus obligatur; adeo ut Dominus non alias, quam moderatas & ſolitas debeat exigere, ad immoderatas enim non teneri, ſtatuit Maſcardus *de probation. concl.* 1308. uti nec ad impoſſibiles, non modo quæ ob naturæ, honeſtatis & pietatis impedimentum impoſſibiles ſunt, præſtare tenetur. Stam. *ſervitut. perſonal. lib. 2. cap.* 5. Quod ſi debita ſervitia præſtare, Dominoque obſequium & reverentiam debitam exhibere recuſet; verbis quidem, at neutiquam verberibus, corrigendi facultas Domino competit, vel data mercede pro præſtando ſervitio ſtipulata dimittere eum poteſt; uti quoque nec famulus Domino perpetuo addictus ad præſtandum ſervitium, verum poteſt elapſo tempore, quo ſe obligavit Domino inſervire, ei denunciare, ſe ſervitium ſuſceptum non diutius præſtiturum, & alteri ſuas operas locare. Notandum tamen ejuſmodi denunciationē

ſe

Digitized by Google

ſe non quocunque tempore, verum legitimo, id eſt, legibus & ſtatutis definito tempore, a ſervitio præſtando liberare; ita ut ſi forte tempore nondum finito & adimpleto diſcedat, juxta quorundum DD. opinionem, nulla plane ipſi merces debeatur, ne quidem pro tempore, quo in ſervitio fuit. Verum magis æquitati conſentaneam eorum opinionem exiſtimo, qui ſtatuunt, pro ratione temporis, quo ſervitium præſtitit, promiſſam mercedem ſolvendam. vid. Manticam *de tacit. & ambig. convent. lib.* 5. *tit.* 6. Koppen. *p.* 2 *deciſ. quæſt.* 2. *num.* 2. Quod ſi vero Dominus ſine juſta cauſa famulum expellat, ſtatuunt DD. ipſi deberi ſalarium pro toto tempore quo non ſervit. Bonacoſta *de ſerv. vel famul. q.* 109. ubi allegat. *deciſ. Tholoſ.* 268. ita ut nec Dominus pro intereſſe agere poſſit, quaſi famulus operas promiſſas non impleverit; quia exceptione per me non ſtetit, quo minus ab operis præſtandis famulus repulſus fuerit. *l.* 36. *ff locat. conduct.* conditio pro impleta habetur, quoties per eum, cujus intereſt conditionem impleri, fit quominus impleatur, *l.* 24. *ff. de condition. & demonſt.* Quod ſi Dominus inde damnum patiatur, ſibi imputare cogitur, nec damnum eſt, quod quis ſua culpa ſentit, juxta vulg. juris regulam. vid. Stam. *de ſervit. perſon.* Verum dummodo famulum dimiſit vel expulit Dominus eo tempore, quo Domino operari non potuit, alii, a quo mercedem receperit, operatus non ſit, juxta ac in hoc ut alium reperiret dominum, nil quicquam ſua perquiſitione prætermiſerit. *Quippe*, ut inquit Joh. Stam. *de ſerv. perſon. lib.* 2. *cap.* 10. *alterutro horum requiſitorum ceſſante, concluſio ſtatim facta, ſuum perdit officium, merceſque famulo non niſi pro eo tempore, quo ſervitium ſive operas ſuas præſtitit, non etiam pro eo, quo poſt expulſionem alii Domino ſerviit, debetur. l.* 19. *§. fin. ff. locat. conduct.* ubi JCtus ait, *diem functo legato Cæſaris, ſalarium comitibus reſidui temporis præſtandum, modo ſi non poſtea comites cum aliis eodem tempore fuerunt:* ratio, quia nullum damnum ſenſerunt. Ut autem debitam reverentiam debitumque obſequium & ſervitium famuli ancillæque præſtarent Dominis Matroniſve, placuit hujus Diœceſeos Urbiſque Trajectinæ Ordinibus ac Magiſtratui ſtatuere, ut ſi-

ſi operas ſuas certa conſtituta mercede locaverint arrhamque acceperint, lege definito tempore teneantur ſervitium ſuſcipere, adeo ut alii operas ſuas locare vel arrham reddere ipſis interdicatur, ſub pœna viginti quinque Florenorum, ac inſuper teneantur locatori ſervitium præſtare, adeo ut etiam invitos ad ſervitium præſtandum auxilio Prætoris ejus pagi, vel territorii, in quo famuli aut ancillæ habitant vel commorantur, cogi poſſint; ſin autem contumaces ſervitium ſuſcipere recuſent, juxta placitum Ordinum *art.* 1. ad publicum operarum hujus civitatis ædificium deducendi, ut ibi opere & labore non ſibi duntaxat victum comparent, verum etiam tantum lucrentur, quantum ad damnum, quod ob non præſtitum ſervitium locator paſſus eſt, & intereſſe ſolvendum ſufficit: uti & ille, qui operas & ſervitium conduxit, tenetur famulum vel ancillam ſtatuto tempore definito domum ſuam recipere; quod ſi facere recuſat, tenetur conductor famulo vel ancillæ dimidii anni mercedem ſolvere in damni compenſationem; eodem quoque placito pœnam arbitrio judicis infligendam OO. ſtatuerunt famulis ancillisve, qui debitam obedientiam & reverentiam præſtare recuſarint Domino ſive Matronæ, vel eis maledixerint, & injuriam ſive realem ſive verbalem intulerint.

Non Manumiſſionem, non Servitutem duntaxat a jure gentium originem ſumſiſſe affirmat Ulpianus, verum etiam eodem jure Bella introducta, Gentes diſcretas, Regna condita, Dominia diſtincta lege ſequente tradit JCtus Hermogenianus.

Digitized by Google

Lex V.

Ex hoc jure gentium introducta bella; diſcretæ gentes; regna condita; dominia diſtincta; agris termini poſiti; ædificia collocata, commercium, emtiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ: exceptis quibuſdam, quæ a jure civili introductæ ſunt.

Ex hoc jure gentium introducta ſunt Bella, diſcretæ Gentes. Quando Jctus ſtatum Belli jure gentium introductum ſtatuit, id non eo ſenſu accipiendum, quaſi ſtatus naturalis eſſet ſtatus Belli; adeoque dictamini rationis, ex quo jus gentium derivari atque deſcendere notavimus, conſentaneum eſſet, ut homo homini vim vel injuriam inferre poſſet ad proprium promovendum commodum, propriamque utilitatem tuendam ex jure, quod cuique naturam in omnia dediſſe in ſtatu mere naturali ſcil. antequam in ſocietatem civilem coaluerint mortales, (quali in ſtatu jam ſingulæ Gentes, uti ante ſingulæ Familiæ inter ſe conſtitutæ) finxit Hobbeſius, ab omni æquitate, honeſtate atque rationis dictamine alienum eſt. Ejuſmodi enim ſtatus non cum ratione, verum belluarum inſtar vivendi more magis convenit. In quocunque enim ſtatu ſive mere naturali, ſive civili, homo conſtitutus, legibus naturæ alligatus eſt, quæ dictant, ſuum cuique tribuendum nec alteri citra jus noxam damnumve inferendum: adeoque perniciosiſſimum Hobbeſii illud axioma ſocietati, quam natura inter homines introduxit, *omnia habere & facere in ſtatu naturæ omnibus licere; quaſi natura dederit omnia omnibus;* & proinde a natura Belli ſtatum eſſe derivandum; hoc enim poſito fundamento, ſequitur, nullum dari jus naturale, nulla ſocietatis & ſanguinis jura hominem homini inſidiari vetare: verum nihil injuſtum, quod utile, quoniam, quicquid mihi utile & commodum,

dum, ad illud comparandum & acquirendum ex jure in omnia, quod natura cuique concedit, facultatem habeo. Quamobrem in ſtatu naturæ menſuram juris utilitatem ſtatuit ſtatim allegatus Auctor, cujuſmodi doctrina omnem plane tollit ſocietatem, ac amicitiæ & neceſſitudinis vinculum arctiſſimum diſſolvit atque diſrumpit; ita ut homo homini ſit lupus. Quippe, ſi illud jus naturæ ſive gentium eſt, quod quiſque propria utilitate metitur, neceſſario feratum ritu & more vivendum ſequitur, quæ naturæ ſuæ obedientes omnia ad ſe rapere alteri eripiendo ſolent, unde Belli ſtatum oriri & continua prælia ac certamina de acquirendo, & acquiſitum retinendo haberi neceſſum eſt. Quamobrem ſtatum hominis naturalem antequam in ſocietatem coiretur, Bellum fuiſſe affirmat Hobbeſius. Verum, uti diximus, ejuſmodi dogma tollit omne jus naturale, omnem ſocietatem, quam inter homines, & proinde quoque gentes ſancte colendam & tuendam dictat ratio; adeoque & gentium jus, quod nihil aliud eſt, quam jus naturæ, quod recta ſive naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & proinde omnes quoque gentes eodem utuntur jure; quo jure non Belli ſtatus introducitur quaſi ſtatus hominis naturalis, adeoque rectæ rationi conveniens, verum duntaxat ad conſervandam & tuendam ſocietatem naturalem atque humanam; itaque ſtatus Belli non introducitur jure gentium originarie, ut ita dicam, quaſi a rectæ rationis dictamine dimanans, verum tanquam medium & ratio, qua ſtatus hominis naturalis potiſſimum conſervari poteſt. Quippe ſi legem naturalem ſive rationis dictamen ſpectemus, ei maxime congruit, ne quis alteri injuriam vel damnum inferat; utique invicem ab hominibus officia humanitatis ac pietatis exerceantur, ac imprimis illa ultro præſtentur, de quibus peculiariter convenit. Quod ubi mortales invicem obſervant, Pax dicitur; quæ eſt ſtatus humanæ naturæ maxime conveniens, & ad eam conſervandam idoneus, cuique conſtituendæ ac ſervandæ lex naturæ potiſſimum hominibus inſita, ut inquit Puffendorfius. *Imo*, pergit, *Pax eſt ſtatus humanæ naturæ, ut tali proprius, quippe quæ oritur ex principio, quod homo præ brutis peculiare habet; cum Bellum ex*

principio ſurgat, quod hominibus & brutis commune eſt. Scilicet & bruta inſtinctu naturali ſeſe vi defendere ac conſervare nituntur. Bellum itaque jure gentium introductum non ad inferendam, verum depellendam omnem vim atque injuriam, ad conſervandam ac tuendam ſocietatem humanam, pacemque inter mortales, quæ arctiſſimum ſocietatis vinculum; adeoque Belli finis, ut ſine injuria in Pace vitam tranſigamus; qualis vivendi ratio cum hominis ſtatu originali & ordinario maxime convenit; & quatenus hunc ſtatum Bellum perturbat Pacem tollendo, non introducitur jure gentium, verum tanquam medium conveniens ac neceſſarium, ad ſummum illud & ſine controverſia naturale ac naturaliter optabile Pacis bonum obtinendum. Unde Ariſtoteles *nicom.* 10. *cap.* 6. *Bellum gerimus, ut in Pace degamus. Nemo enim eſt, qui Bellum expetat, vel apparatum bellicum faciat bellandi cauſa: ſanguinarius enim prorſus quidem eſſe videretur, ſi amicos ea cauſa ſibi hoſtes redderet, ut pugnæ & cædes orirentur.* Jure gentium itaque introducta quidem Bella, verum juſta ex cauſa ſuſcipienda, quæ ad capita cum Puffendorfio revocari debent. Scil. ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra alios, qui nos lædere, aut hæc intercipere vel perdere conantur; aut ut ſi qua ab aliis nobis ex jure perfecto debeantur aſſeramus, ubi ultro iſti eadem præſtare recuſant; aut denique, ut illatorum nobis per injuriam damnorum reparationem obtineamus, cautionemque de non offendendo in poſterum ab eo, qui nos prior offendit læſitque, extorqueamus. Ejuſmodi Bellorum cauſæ rectæ rationis dictamine nituntur, quæ cuique dedit facultatem ſe ſuaque tuendi adverſus perditorum hominum impetus, & pravas machinationes; tum etiam repetendi & vindicandi, quæ ab aliis nobis debentur, vel injuſte erepta ſunt, vel petendi reparationem damni ſive injuriæ illatæ. Hæc tria in Camilli ad Gallos denuntiatione occurrunt, *Omnia quæ defendi, repetique & ulciſci fas eſt.* Verum cum *in noſtris ad Grotium commentariis* hanc materiam ſatis late diſcuſſimus, hic iterum, quæ de Belli jure dici diſputarique poſſunt, repetere, nobis faſtidium pareret; quamobrem Lectorem ad ea, quæ ibidem a nobis annotata, remittimus.

Juri

Digitized by Google

Juri quoque gentium adſcribit JCtus humani generis in diverſas Nationes & Gentes diviſionem ſive diſcretionem, ſcil. rationem edocuiſſe, vel ratione duce perſpicere potuiſſe Gentes non alium in finem conditum univerſum terræ globum, quam in humani generis commodum & uſum, adeoque ad inhabitandum tanquam ſuum domicilium, atque colendum, ut fructus, quos inde cura atque cultu hoc perciperet, vitæ tuendæ inſervirent. Facultas autem inhabitandi & utendi fruendi mundi primordio, antequam diſtincta dominia & terra adhuc incolis vacua includebat jus occupandi ejuſmodi loca ſive regiones, quæ cuique ad inhabitandum idoneæ videbantur. Natura enim, ſive potius, uti nos loqui oportet, Deus omnia larga manu in commune detulit, quæ cum ad victum, tum amictum neceſſaria fore providiſſet, atque facultatem & jus homini conceſſit ſibi ſubjiciendi terram, ac voluit ut non generatione & habitatione repleremus, ſed cumprimis poteſtate, cultu & uſu. Etiamſi vero nonnullæ orbis partes maneant inhabitabiles, habemus nihilominus totius dominium cum jure divino, tum naturali ſive gentium; licet non habeamus totius orbis uſum defectu & culpa noſtra. Dictante itaque ratione mortale genus in diverſas Gentes diviſum atque diſcretum, quæ a ſe invicem ſeparatæ atque diſtinctæ, & per totum fere terrarum orbem diſperſæ varias regiones occuparunt, atque dominio & poteſtati ſuæ ſubjecerunt. Quamobrem Cicero, *Sunt autem privata nulla natura; ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti ſunt, aut lege, pactione, conditione, ſorte; ex quo fit, ut ager Arpinus Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum.* Hinc quoque Horat. II. *Sat. 2.*

Nam proprie telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quenquam ſtatuit, &c.

Diſcretas autem Gentes poſt Diluvium ſacræ teſtantur paginæ, ab eo ſcil. tempore & loco, quo confuſum eſt labium; antea enim unus erat populus, & unum labium omnibus. Nihil

hil enim magis hominem conciliat homini, nec ſocietatem fovet atque tuetur, quam ejuſdem ſermonis atque linguæ uſus; quippe haud inter ſe conſuetudinem habere poſſunt, qui ſe invicem non intelligunt, nec unus cum altero verba commutare poteſt. Quemadmodum itaque ejuſdem linguæ uſus arctiſſimum ſocietatis vinculum; ita linguarum diverſitas eam diſtrahit, & homines inter ſe dividit atque diſjungit, cum quiſque ab eo, quem non intelligit, abſcedere cupit. Sic quoque ſacræ litteræ perhibent, confuſionem linguarum diviſioni Gentium cauſam præbuiſſe, quam Deus eorum mentibus impreſſit atque inſtillavit, quos in unam eandemque Gentem coaleſcere voluit; atque hac ratione coaliti & in diverſas Gentes diviſi mortales diſpergerentur per univerſum terrarum orbem, & varias conſtituerent Reſpublicas, adeoque inde cauſa eſt linguarum confuſionis, ut a ſe invicem homines, ſive potius ſingulæ familiæ, (uti ante & poſt diluvium uſque ad ædificationem turris & civitatis cujus mentio *Gen.* 11. in familias ſegreges mortale genus diviſum fuit) ſeceſſerunt, & quæ ejuſdem linguæ inter ſe commercium habebant, in unam eandemque ſocietatem coalitæ, eandem quoque Gentem conſtituerunt. Sic quot linguæ, tot fere Gentes ac populi. De numero vero Gentium vix quicquam certi poſſe ſtatui, ut nec de numero linguarum, quæ in multiplicatione & varietate ortæ ſunt, cum viro doctiſſimo & florentiſſimo Theologo Andrea Riveto dicendum puto. Quamvis communis veterum tam Græcorum quam Latinorum fuerit ſententia, unius communis linguæ loco 72. ortas fuiſſe, ut unaquæque familia ſuam haberet linguam; cum autem ex tribus Noæ filiis ſeptuaginta duæ familiæ ſive Nationes numerantur, ita quoque tot linguæ per terras eſſe cœperunt. Ita enim Epiphanius, *Diviſit Deus ipſorum linguas, & ex una in* 72. *diſtribuit, juxta numerum virorum tum repertum, unde & Meropes vocati ſunt, propter diviſam vocem.* Et Auguſtinus *de civit. Dei lib.* 16. *cap.* 3. & 6. eandem quoque amplexus eſt opinionem. Vid. quoque Arnobium *in Pſalm.* 104. Hieronymum *in cap. Matth.* 26. Verum cum paulo ante diximus, rationem Gentes ſive mortales, qui ab eo tempore, quo

quo linguarum confuſio Divina providentia orta, in diverſas gentes coaluerunt, edocuiſſe ſibi dominium ab univerſi hujus conditore Deo, ſive quem ſibi ſupremum Numen fingebant, terrarum orbis conceſſum, ut quantam unaquæque familia, ſive Gens vel Natio portionem occupare vellet, eam poteſtati & dominio ſuo jure poſſet ſubjicere, diſcretionem ſive diviſionem humani generis in varias Gentes ac Nationes, non tam ex confuſione linguarum, quam quidem ex rationis dictamine deducendam, & proinde juri gentium adſcribendam puto; adeoque etiam ſecluſa linguarum diverſitate communi conſenſu ſive tacito ſive expreſſo inter eas introducendam fuiſſe. Quamvis enim terra in uno labio perduraret, ſcil. in illo, quo ante illius confuſionem omnes homines utebantur, quod a mundi primordio Hebræum fuiſſe haud ambigendum, credendum tamen eſt, quod Gentes dividerentur in diverſas terræ plagas, ob communis vitæ uſum, & ad proſequendum finem, quem hujus univerſi conditor in producendo mundo ſibi propoſuerat, uti paulo ante notavimus. Patet ex ſacris litteris, Noæ poſteros proſpicientes hominum multitudinem aliquando exundaturam, indeque eorum, quæ ad vitam tuendam neceſſaria ſunt, inopiam verendam, ſi in eadem terræ plaga, qua hucuſque ad ædificationem turris atque civitatis conſediſſent, permanere vellent, animum induxiſſe alias ſibi ſedes quærendi, & ad alias regiones recedendi, quas quiſque inhabitandas occuparet & dominio ſuo ſubjiceret; unde alter ad alterum dixiſſe legimus *Gen.* 11. *Venite, faciamus nobis civitatem ac turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum antequam diſpergamur in univerſas terras.* Atque ita apparet, quod, quando adhuc terra erat unius labii, communem inter ſe diviſionem jam ſtatuerant; verum eam, cœlitus immiſſa linguarum confuſione, ſive ut alii viri docti ſtatuunt, ſententiarum diverſitate inducta, uti vir doctus Camp. Vitringa *in ſuis obſervationibus* erudite demonſtrat *lib.* 1. *cap.* 8. Deus acceleravit, atque prævenit, ut hac ratione ab inſano ſuperbæ civitatis opere ceſſarent. Præterquam quod naturali rationi erat conveniens, ut, etſi commune labium omnibus eſſet hominibus, ad invicem tamen ſepara-

rarentur, alii alias terræ regiones incolentes, ut juxta Dei decretum univerſa terra humano generi poſſet, cura & cultura adhibita, in uſum hominis edere ejuſmodi fructus, quos ab illa percipimus, ſi omnes unius ejuſdemque regionis incolæ eſſent. Notum enim, quod ſingulari Conditoris providentia, non omnis omnia fert tellus, quomodo vero quæ una fert tellus, alia in communem vitæ uſum lucri faceret, ſi per omnes mundi plagas atque regiones homines non diſperſi fuiſſent? Quamobrem ſecluſa etiam linguarum diverſitate, communi conſenſu gentium diſcretionem introducendam fuiſſe ſtatuendum videtur, naturali ratione dictante & neceſſitate exigente, ad commodiorem vitæ communis uſum. Incidit autem illud tempus, quo Gentes diſcretæ & per alias mundi plagas diſperſæ, uti ſacræ teſtantur paginæ, in dies Phalegi: legimus enim *Gen.* 10: 25. *Quod Hebero nati ſunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus diviſa terra; alteri Joctan.* Verum quoniam Moſes non definit, qua Phalegi ætate, an nativitate, an vero medio vitæ tempore, vel in fine dierum diſperſio contigerit, non una eademque eſt doctorum Virorum de hoc tempore definiendo ſententia. Hebræi in ſuo Chronico, quod appellant *Seder-Olam*, diſperſionem conjiciunt in extremum vitæ tempus Phaleg. Ita enim Hebræorum magiſtri interpretantur verba, *in diebus ejus diviſa eſt terra*, ſub finem dierum ejus; natus autem eſt Phaleg, anno centeſimo primo poſt diluvium; eumque vixiſſe ducentos novem annos, colligimus ex *cap.* 11. *Geneſ.* adeoque juxta hanc computationem ſtatuendum videtur, linguarum diviſionem inductam anno trecenteſimo quadrageſimo, decem annis antequam Noa ſupremum obiit diem. Perſpicimus enim ex verſu penult. *cap.* 9. *Geneſ.* eum vixiſſe poſt diluvium trecentis quinquaginta annis. Atqui Abraham natus ſit anno poſt diluvium ducenteſimo nonageſimo ſecundo, uti legimus *cap.* 11. *Geneſ.* ſequitur Abrahamum egiſſe 48. annum, cum diviſio facta eſſet. Quamobrem cenſent Hebræi, Heber fuiſſe Prophetam, qui afflatu Spiritus S. filium ſuum *Phaleg*, id eſt, *diviſionem* nominaverit, prævidens quod plus ducentis annis poſt futurum erat; unde R. Salomon Jarchius *comment.*

Digitized by Google

ment. in Pentateuch. Ex impoſitione hujus nominis diſcimus, inquit, *quod Heber fuerit Propheta, quoniam vocavit nomen filii ſui de eo, quod poſtea futurum erat, ac docetur in Seder-Olam, quod in fine dierum ejus*, ſcil. Phalegi, *diviſi fuerint populi. Quod ſi dicere velis ab initio dierum ejus Gentes fuiſſe diviſas, opinio iſta locum habere non poteſt, quippe Joctan frater illius Pelegi natu minor fuit, eumque multas progenuiſſe familias ante diviſionem factam non dicitur. Et Joctan genuit* &c. *& dein ſcribitur, & fuit omnis terra &c. ſi forte dicere velis quod gentes diviſæ fuerint in medio dierum Phalegi, ne iſta quidem opinio locum habere poteſt, nam non venit Scriptura ut abſcondat, ſed ut exponat, quocirca diſcis, quod eo anno, quo mortuus eſt Pelegus, diviſi fuerint Populi.* Non deſunt quoque inter Chriſtianos Viri doctrina & eruditione florentiſſimi, qui hanc opinionem non omnino a veritate alienam ſtatuunt. Imo & inter Patres Hieronymus eandem amplexus eſt ſententiam, ſcil. Heberum ex futuro eventu diviſionis linguarum nomen filio ſuo dediſſe; uti quoque Chryſoſtomus *homil.* 30. *in Geneſin*, in eandem videtur inclinare ſententiam, cum inquit, ſermonem habens de nomine Phaleg, *Conſidera quemadmodum rei futuræ præſcientiam vocabulo nati pueri declaravit, ut cum videris rem opere adimpletam, non ultra mireris, videns divinitus id pueri nomine prædictum.* Idem ſentiunt Toſtatus, Lyranus, Gennebrardus in ſuo *Chronico*, a Lapide. vid. quoque Torniellum *in annalibus ſacris ad A. M.* 1931. qui neceſſario ſtatuendum putat, diviſionem orbis incidiſſe in annum poſt diluvium ducenteſimum ſeptuageſimum quintum; qui annus, juxta auctoris ſupputationem, cum anno vitæ Phalegi centeſimo quadrageſimo quarto coincidit. Quam Heber, Phalegi pater tanquam Propheta providerit atque ex futuro eventu filio ſuo naſcenti nomen impoſuerit, Jacobus Salianus *in ſuis annalibus Eccleſiaſticis Veteris Teſtamenti* duplicem agnoſcendam terræ diviſionem ſtatuit: alteram ſortitione interveniente Noe factam; cujus meminit Epiphanius; alteram re ipſa in conſtructione turris Babylonicæ. Priorem ſub Phaleg ortam, alteram in mediam ejus ætatem incidiſſe dicendum putat, adeo ut merito ille a gemina diviſione tempore atque natura a ſe

T invi-

Digitized by Google

invicem diſtincta nomen acceperit. Nomen enim Heber filio ſuo illud impoſuit, *quoniam*, ut ait Moſes, *in diebus ejus diviſa ſit terra*. „ Quippe, inquit, cum hæc terræ diviſio ad „ Babylonicam linguarum confuſionem & mortalium diſper- „ ſionem trahi non poſſit, ortui Phalegi illam aſſignamus, „ quæ vere & proprie diviſio terræ fuit, & natura ſua occu- „ pationem aſſignatarum provinciarum antecedit. „ Hoc enim loco diviſione poſita, nulla inde abſurditas dimanat; ea vero dilata & confuſa cum poſteriore diſperſione, longe maximam inveheret juxta auctoris opinionem, abſurditatem. „ Jo- „ ſephus enim, pergit, natum Phaleg ait, dum habitationum „ diſtributio fieret. Quod ſi vero in ortu ejus eam diviſio- „ nem contigiſſe negandum foret, nihil deinceps cauſæ erit, „ cur non in diebus cujuſcunque aliorum Patriarcharum, qui „ eodem cum illo tempore diu vixerunt, dici poſſit contigiſſe. Scio Heberum a pleriſque dici Prophetam circa impoſitionem nominis filii ſui: verum ut Propheta non ſit circa præſentem terræ diviſionem, potuit tamen eſſe Propheta circa terram poſterius occupatam ſub diviſionem linguarum, quæ ſub eodem Phalego contigit. Qui ſtatuunt linguarum diviſionem & proinde Gentium diſperſionem factam fuiſſe extremo tempore vitæ Phaleg, uti Hebræi, & qui inter Chriſtianos a nobis ſupr. allegati, eandem tuentur ſententiam; non eſt veriſimile, inquiunt, poſt centum annorum decurſum, quo tempore natus Phaleg, mortale genus hucuſque in familias diviſum, adeo multiplicatum atque propagatum fuiſſe, ut ad omnes terræ plagas, qua patet orbis, colonias emittere, & in poſterum habitatoribus complere potuerint. Verum huic objectioni reponi poteſt, quod centum annorum ſpatio, quod inter Diluvium & Gentium diſperſionem interceſſiſſe dicendum videtur, mirifice potuit genus humanum propagari & multiplicari. Exemplum in Jacobi Patriarchæ familia, quæ eo tempore, quo deſcendit in Ægyptum, numerum ſeptuaginta hominum non excedebat, per ducentos & quindecim annos, eo creverit, ut cum illam regionem, quam tam diu inhabitaverant, relinquere novaſque ſibi ſedes quærere coacti fuiſſent, recenſita in illis ſint amplius ſexcenta hominum mil-

lia

lia bellatorum, exceptis parvulis, ſenibus & fœminis. Quanto credibilius eſt, uti argumentatur Pererius, poſt diluvium etiam minori temporis ſpatio numeroſius eſſe propagatam familiam Noë tanta hominum eo tempore paucitate id exigente. Cui etiam accedit, quod Deus futuram filiorum Noë ſingularem fœcunditatem non obſcure ſignificaverit, cum eis benedixit, *creſcite & multiplicamini & replete terram.* Nec probabile videtur florentiſſimo Theologo Henrico Heideggero *Hiſtor. Patriarch. exercit.* 22. tam longi temporis tractu Noachidas incertis ſedibus erraſſe & in ordinatam ac fixam aliquam Politiam non coaluiſſe, cum etiam hominum multitudo mirifice exundaverit. Quin ſub tempora Abrahami, ne dicam etiam Tharæ, jam paſſim multa atque ampliſſima imperia & regna ex ſacris litteris fuiſſe conſtat, quorum in numero Chaldaicum, Cananeum, Ægyptiacum, aliaque, quæ in ſacris litteris occurrunt. Nec id mirum cuiquam videri debet, quippe in temporibus humanæ fœcunditatis ſingulariſſimæ ex divina benedictione & conſilio terram replendi hominibus variis rationibus oſtendi poteſt facillime in annis ducentis filiorum Noæ multiplicatio prope infinita, ut inquit Robbert Baill. *in Chronol. lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 2. ita ut non ſine cauſa monuerit hic Petavius, *ſingulari Dei providentia factum, ut ad incrementum ſobolis humanæ, ad orbis vaſtitatem inſtaurandam, præcipua quædam in Noachi poſteris fœcunditas ineſſet, quæ juſtam alioquin ætatem anteverteret, ut vel a pueris ipſis, quod nonnulli ſuſpicantur, probabile eſſet generandi vim illis & uſum potuiſſe ſuppetere.* Præterquam, quod alii, ut numerum poſterorum Noachi, qui circa tempus nati Phalegi exiſtere potuerit, conjectura aliqua aſſequerentur, ſupponunt tres Noachi filios, uti etiam poſterorum eorundem unumquemque 20. ætatis annos aſſecutum, ſingulis annis gemellos ex conjugibus ſuis ſuſcepiſſe, indeque per progreſſionem arithmeticam anno poſt diluvium 102. utriuſque ſexus natos natasque 15544. ex illa ſtirpe progenitos fuiſſe colligunt, uti Johannes Temporarius *in demonſtrationum ſuarum Chronologicarum libro* 2. cenſet, teſte Jacobo Uſſerio *in Chronol. ſacr. cap.* 5. *Verum*, inquit, *dimidia illius*

Digitized by Google

ſummæ parte demta, quod illa de natis unoquoque anno gemellis aliquanto durior videatur eſſe hypotheſis, 388605. marium totidemque fœminarum, numerum aſſumimus; ex quo tantam Babylonicæ turris exſtructoribus deduci poſſe arbitramur, quæ primarum coloniarum deductioni pro ratione temporis eſſet ſuffectura. Quod autem ſtatuit Torniellus, centeſimo quadrageſimo quarto anno Phalegi contigiſſe diſperſionem, patrem autem Heberum ex præmonſtrata ſibi ſub filii ortu hac diſperſione hoc nomen filio dediſſe; ſolido haud fundamento nititur. Quippe, uti dicere incepimus, magis veriſimile eſt, patrem ex eo quod jam contigit, quam ex futuro eventu filio nomen impoſuiſſe; etenim mera conjectura eſt, & pro certa veritate forte habenda foret, juxta ſententiam Tornielli, nimir. ſpiritu Prophetico hanc rem prævidiſſe Heberum; probandum ipſi incumbit, hoc ſpiritu fuiſſe ductum, de quo altum in Scriptura ſilentium; & proinde quis Propheta nunciavit Torniello; Heberum fuiſſe Prophetam, prænunciatamque illi hanc rem? Rabbi Joſeph, opinor, in *Seder-Olam*, ut reſpondet Robinſon *annal. mund. lib.* 2. Fictis enim Prophetiis, nulla eſt tam excors fabula, quæ probari facillime non poſſit; nec magni ponderis illud auctoris argumentum, quo probare nititur diſperſas fuiſſe Gentes longo poſt natum Phalegum tempore, quoniam *cap.* 10: 26. *Geneſ. fratris ejus, & natu minoris* (ut veriſimile eſt) *Joctanis, filii tredecim in ſuas una cum reliquis mortalibus diſtribuantur ſedes, quod Pelegi anno natali fieri nullo modo potuit.* Quippe, uti huic argumento reſpondet ſtatim allegatus auctor, multa in ſacris literis per anticipationem in locis narrantur opportunis, uti & hæc de Joctanis filiis, quos (cum ex Hebero progeniti) cognationis & ſanguinis quodam vinculo cum Iſraëlitis conjunctos, qui ex altero fratre Pelego prodierant, ideo dignos exiſtimavit Moſes, quorum ſedes deſcriberet, popularibuſque ſuis demonſtraret una cum aliis, etſi poſt longum temporis intervallum occupatos. *Nec enim,* inquit, *vel omnium gentium ſortes deſcribuntur a Moſe, vel ſuo, quæ deſcribuntur, tempore, poſt immiſſam linguarum diſſonantiam; ſed loco alieno, ante conjurationem Babylonicam enarrantur omnia; uti & Nimrodi do-*

dominatus; quem poſt annos demum ducentos conſecutum opinatur auctor. Verum quod juxta ſententiam Tornielli, anno Phalegi centeſimo quadrageſimo quarto diviſio orbis contingere non potuit, vel multo citius factam fuiſſe oportet, argumentum ſive teſtimonium omni exceptione majus adfert ſtatim allegatus Theologus Joh. Henr. Heideggerus *dict. loc.* Quippe notandum, quod anno Phalegi circiter centeſimo ex Nachor natus eſt Thærach. *Thærachus autem inſedit Ur Chaldæorum: fuit igitur tum Chaldæorum imperium; plane igitur ſequitur, præceſſiſſe diſperſionem annum Phalegi centeſimum. Quippe Chaldæam diſperſione poſteriorem fuiſſe palam eſt.* Natus enim Phaleg A. M. 1787. & Thærach ex Nachore A. M. 1878. adeoque anno Phalegi nonageſimo primo. Huic etiam accedit, quod ſi, poſito verum non conceſſo, diviſio facta fuerit poſt nativitatem, ſive tempore mediæ vitæ, aut centeſimo quadrageſimo quarto, vel ultimo anno Phalegi, quænam poſſet adferri ratio, cur non potius hoc nomen fratri jam naſcenti, aut etiam jam adulto, inditum eſt. Quod de duplici diviſione tradit Salianus, quarum una per ſortes naſcente Phalego, altera cum ſuam quiſque ſibi partem aſſignatam occuparet, facta cenſeri debet, nullum plane fundamentum habet, & auctoritate ſacræ Scripturæ, ſine qua loqui hac in quæſtione erubeſcimus, deſtituitur. Diviſio enim non aliunde deducenda, nec aliam habuit originem, quam a confuſione labii, & proinde ab eo tempore petenda, quo conſpirantes turbæ turris Babylonicæ inſanam ſtructuram moliri cœperunt, ejus tantum mentionem faciunt ſacræ paginæ, quæ linguarum confuſione nobilitata eſt, quæ & animorum diſſenſionem peperit; diſſenſio vero cauſam dedit, ut in varias ſocietates coaluerint, adeo ut, qui uno eodemque utebantur ſermone, in unam eandemque ſocietatem conſpirarent, & a ſe invicem ſecedentes diverſas mundi plagas occuparent, atque occupando ſibi acquiſiverint earundem dominium. Proxima itaque diviſionis cauſa occupatio, hæc fuit actualis diviſio & Gentium diſperſio, quæ immediate excepit confuſionem labii & animorum diſſenſionem, nulla alia præcedente diviſione, quæ ſortitione facta, uti poſtea a

Digitized by Google

Joſua terram Canaan, quam Iſraelitæ jure belli acquiſiverant, ſortitione diviſam legimus. Præterquam quod veriſimile eſt, ejuſmodi diviſionem per ſortes haud commode fieri potuiſſe inter Noachi poſteros, quoniam ea ſupponit ſcientiam atque notitiam ſitus terrarum ſive regionum, ut cuique ſua portio ſuis limitibus diſtincta atque circumſcripta aſſignetur; cujuſmodi notitiam eo tempore præter regiones ſive terram, unde primi poſt diluvium homines deſcenderunt, & quam deinde numero aucti largiora ſpatia ſibi & pecudibus quærentes occupaverant, admodum exiguam fuiſſe opinor. Quamobrem non ad longe remotas atque diſſitas regiones migraſſe, verum adjacentes & vicinas occupaſſe, in quas forte inciderunt, & ſic deinceps magis magiſque creſcente & augente multitudine latius fines propagaſſe, & in aliis mundi plagis ſedes ſibi quæſiviſſe, atque hac ratione terram repleviſſe: dum rerum uſu & ſtudio atque induſtria majorem terrarum ſitus notitiam atque ſcientiam nacti ad remotiſſimas regiones & nigræ littora Thules colonias emiſerint. Quippe non credibile eſt, ſimul ſemelque diſperſionem gentium factam; verum ſucceſſive, nec ſine longi temporis tractu remotas terræ plagas habitatas eſſe. Denique viri linguæ Hebrææ periti annotarunt vocem פלג nunquam ſignificare *ſortito dividere*, verum ſimpliciter *dividere*. In diviſione autem, quæ fit jactu ſortium, Scripturæ fere utuntur voce נפל in Hiphil, quod ſignificat *cadere fecit*, עלה & ſimpliciter נתן quæ verba ſignificant *ſortitionem*, quotieſcunque illis vox גרל adjungitur, uti annotavit Joh. Henr. Heidegger. *d. l.* Atque cum Viro doctiſſimo ſtatuendum puto, Gentium diſperſionem in Phalegi ortum conjiciendam eſſe, adeoque in annum poſt diluvium 101. atque e re præſenti nominaſſe filium tum *Peleg*, propterea quod in ipſa diviſione, vel cum jam cœperat, natus eſſet. Quippe non imponit filio ſuo nomen *Peleg*, tanquam Propheta, ſcil. a re futura, verum præſenti, quod patet ex verborum contextu; nam ratio, cur filio ſuo hoc dediſſe nomen ſacræ teſtantur paginæ, nititur tempore præſenti. Non enim dicit, *quod in diebus ejus dividenda eſſet terra*; ſed, *quia in diebus ejus diviſa eſt terra*: nec multo ſerius diviſio fieri po-

tuit;

tuit; quoniam, uti paulo ante notavimus, non diu poſtquam natus fuerit Peleg, Chaldeorum aliarumque Nationum imperia & regna condita ſunt, eaque demum procedente tempore poſt diviſionem diſperſionemque Gentium excitata fuiſſe, neminem in dubium revocaturum arbitror; verum cœpta ad ineuntem ætatem Phalegi, & diebus ejus ſequentibus continuata. Quippe, uti ſtatim diximus, non ſimul ſemelque facta cenſeri debet, verum ſucceſſive & procedente tempore, poſt totum ſeculorum decurſum perfecta. Multa enim ac varia imperia in mundo a Patriarchis, qui a Moſe numerantur, vel eorum poſteris ſunt profecta, qui nondum nati eo tempore, quo cœpta diſperſio Gentium. Uti nec Joctan frater Phalegi dum natus erat; qui cum tredecim filiis Arabiam felicem occupaſſe videtur, ibique varias gentes propagaſſe. Atque hac ratione, procedente tempore, ad alias quoque terrarum plagas inhabitandas receſſerunt, ad Moſen uſque, qui in recenſendis & deſcribendis tot Nationibus & Gentibus, a quibus varia multaque regna condita & denominata, quæ ſua ætate maxime florebant, eo collimavit, ut eorundem originem ad Noachum ejuſque poſteros referendam nos edoceret.

Poſt diſperſionem Gentium imperium quoque politicum ſive civile introductum, quippe cum, uti ſupra dicere incepimus, ob labii confuſionem, tum etiam animorum diſſenſionem veriſimile eſt in diverſas ſocietates coiviſſe mortales; & dictabat recta ratio, ac neceſſitas efflagitabat, ad conſervandam atque tuendam inter ejuſdem ſocietatis membra concordiam, quæ arctiſſimum ſocietatis civilis vinculum eſt, ut e ſocietate ſummum alicui deferrent imperium, qui vi ſummæ poteſtatis, ſingulorum membrorum voluntates ad unum idemque finem & ſcopum dirigere poſſet; adeo ut ſummum ejuſmodi imperium ſit baſis ac fundamentum, quo innititur ſocietatis civilis fabrica; & proinde nulla Gens vel Natio, quin aliquam regiminis formam receperit, ſive ſummam veneretur Majeſtatem, dictante ratione abſque ejuſmodi imperio haud diu ſubſiſtere ſocietatem, in quam ſingulæ Gentes coaluerunt, & proinde ex eodem poſt diſperſionem jure Gentium regna condita JCtus ſtatuit.

Regna

Regna condita. Uti ex ſacris litteris perſpicimus, quo tempore Gentes diſcretæ; ita quoque tempus definiunt, quo Regna condita, ſcil. imperium civile introductum. Quippe certum putamus, nec ante, nec poſt diluvium, uſque ad Gentium diſcretionem imperium politicum inauditum; nam antea, & uſque ad confuſionem labii Paterna tantum auctoritas obtinuit. Peculiari Diſſertatione *de origine ſocietatis civilis* olim demonſtravimus, ante conſtitutas civitates mortale genus aliquando per familias diviſum vixiſſe, cujuſmodi familiæ tanquam tot parvæ Reſpub. conſiderari poterant, cujus Princeps & caput Paterfamilias, ſupremum habens imperium in uxorem, liberos, ſervos, qui leges & jura dabat, cæteris familiæ membris obſequii relicta gloria. Nec me dimovet ab hac ſententia viri doctiſſimi Huberi opinio, qui regimen hominum primo poſt Diluvium ſeculo penes Patresfamilias niſi in veris Sethi poſteris & Deum timentibus fuiſſe dicendum putat, adeoque non univerſaliter verum eſſe, ante & poſt Diluvium nullam aliam regiminis formam inductam fuiſſe. *Quippe cum humanæ naturæ*, ut inquit vir Clariſſ. *ſit inſitum velle* ὃ ἂν κλάτη ἄρχειν, ut Thucydides, *dominari imbecillioribus, non eſt dubium quin Gigantes illi, & magni Heroës, quorum meminit ſacer Codex cap. 6. Geneſ. fuerint Reges & Tyranni. Etiam poſt diluvium aucto in immenſum humano genere non defuere Gigantes illi, qui manu improborum collecta imbecilliores juſſa facere coëgerint. Verum ſtabile imperium primus quod conſtet, Nimrodus, Chami nepos, inſtituit, quem veteres Belum vocaverint. Accidit hoc eodem tempore, quo diſperſio gentium facta eſt.* Verum notandum, quod nullum imperium civile ſive regimen politicum legitimum vel juſtum agnoſcimus, niſi quod ſponte vel conſenſu delatum vel uni, vel pluribus, vel omnibus, ab iis, qui illud conferendi facultatem habent; quippe vi quæſitum, non tam imperium, quam tyrannica & injuſta dominatio eſt; ab ejuſmodi autem initio haud derivandum putamus imperium, de quo nobis ſermo, quod opponitur libertati naturali, quam ab eodem momento, quo homo conditus, hujus univerſi Conditor Deus ei largitus eſt, & in eum libertatis ſtatum conſtituit, primo atque lu-

cem

Digitized by Google

cem adſpexit, quapropter nullum ſuperiorem agnoſcebat, præter Conditorem ſuum; atque in eodem ſtatu nati ſunt omnes poſteri; ſcil. quatenus ſui juris facti propriamque familiam conſtituebant, paterno imperio non magis ſubjecti, ſalva tamen reverentia parentibus debita; & ſic deinceps genus humanum per familias diviſum fuit, ut alibi demonſtravimus, & ſtatim annotavimus, adeoque ſtatus naturalis & ſtatus libertatis, in quo quiſque paterfamilias pro arbitrio regit familiam, eique imperat, quo jure privari haud poteſt niſi conſenſu accedente; quippe cum eo in ſtatu omnes ſibi homines æquales, alter alterum invitum haud poteſt cogere, ut juri ſuo ſive imperio renunciet, vel in alterum transferat. Hic autem, uti opinamur, primævus & naturalis fuit hominis ſtatus, in quo conſtituti vitam tranſegerunt cum ante tum poſt diluvium uſque ad diſperſionem, ſive, ut alibi diximus, coalitionem plurium familiarum ſive patrum earundem in unam eandemque ſocietatem vel gentem, quæ ex ejuſmodi coalitione naſcitur: cui illa linguarum confuſio, vel ſi velis, animorum contentio & diſſenſus occaſionem præbuit; ita ut, qui idem vellent ac nollent, qui idem ſentirent etiam coirent, & in eandem ſocietatem conſpirarent. Verum cum jam rerum uſu edocti, haud diu illam animorum unionem atque concordiam conſervari poſſe, niſi idem nollent ac vellent qui ejuſdem ſocietatis membra ſunt, facile providebant, ad illam harmoniam inter ejuſdem cœtus membra inducendam neceſſum eſſe, ut libertatem naturalem quaſi ſuis limitibus circumſcriberent, atque imperium, quod quiſque paterfamilias in ſuam habebat familiam, deponeret, & conferret in eum, quem ſocietati tuendæ præficere vellent, quatenus communis ſalutis ſive ſocietatis conſervatio, a qua ſingulorum ſalus pendebat, exigeret, qui vi imperii in ſe collati omnium voluntates ad unum eundemque finem poſſet dirigere. De ejuſmodi imperio ſermonem habet JCtus noſter, cum *ex jure gentium regna condita* affirmat, quorum originem ad illud tempus referendum ſtatuimus, quod gentes diſcretæ ſive in diverſos cœtus coaluerunt Noæ poſteri, & dictante ratione ad tuendam illam ſocietatem imperium ſive regimen politi-

Digitized by Google

cum conſtituerunt; cujus nec ante nec poſt diluvium uſque ad diſcretionem gentium ullam, nec ſacræ litteræ nec profani auctores, mentionem faciunt. Quod ante diluvium Gigantes illi & magni Heroes, cujus meminit ſacer Codex *cap.* 6. *Geneſ.* fuerint Reges atque Tyranni, quales etiam poſt diluvium fuiſſe ſtatuit Huberus, non mihi liquet, ſaltem eo tempore genus humanum non in varias gentes, verum diverſas familias diviſum fuiſſe; adeoque politicum imperium ad id tempus inauditum certe mihi perſuadeo. Quippe poſt diluvium genus humanum in diverſas gentes & nationes diviſum teſtatur ſacer Codex *cap.* 10. *verſ. ult.* Hæc autem ingens laus eſt & prærogativa Hiſtoriæ ſacræ, quod primordia linguarum, & gentium primas origines ſola veriſſime tradit; ut inquit ſummus Theologus David Pareus; atqui uſque ad tempus, quo labii confuſio contigit, (ſcil. 101. poſt diluvium) diſperſionem gentium refert, ergo tempore antediluviano nullum politicum regimen vel imperium fuiſſe dicendum mihi videtur. Supponit enim, uti diximus, ejuſmodi politicum imperium multitudinem hominum, ſive potius familiarum, natura æqualium, qui, certis quibuſdam legibus ac pactis inter ſe initis, quibus naturalem libertatem quaſi ſuis limitibus circumſcriberent, uni eidemque imperio ſeſe ſubjicientes in unam eandemque ſocietatem coaluerunt. Ejuſmodi vero cœtus, ſive ſocietates civiles fuiſſe ante diluvium aut poſt uſque ad diſperſionem, nuſquam in ſacro Codice legimus; quamobrem nec ullum regimen politicum ſive Monarchicum, ſive Ariſtocraticum vel Democraticum imperium eo tempore cognitum fuiſſe ſtatuo. Quod ſi forte Gigantes illi, quorum meminit ſacra Scriptura, homines impii, & nefarii publicæ tranquillitatis perturbatores, manu improborum collecta, imbecilliores opprimerent; ejuſmodi vis injuſta tanquam juſtus acquirendi imperii modus haberi nequit, nec primævum ſtatum, in quo quiſque ſcil. paterfamilias ſui juris ſumma libertate gaudens tanquam princeps & caput familiæ ſummo eoque Monarchico imperio ornatus vivebat, immutabat, ſed perturbabat: adeo ut quaſi in ſtatu belli vivebatur, propter ſummam improborum ac facinoroſorum homi-

minum ſævitiam ac crudelitatem, atque efferam graſſatorum licentiam; ita ut potius latrones & graſſatores quam Reges vel etiam Tyranni vocandi, qui non imperium ſed latrocinium exercent. Per *Gigantes*, quorum meminit ſacer Codex, Chryſoſtomus, Philo, atque ex recentioribus Theologis Calvinus, intelligunt homines, qui graſſationibus & latrociniis mundum indique reddebant infeſtum, corpore reliquis nihilo vaſtiores, ſed animo ferociores. Alii etiam a corporis vaſtitate ita dictos volunt, & quod robore & viribus ac mole ſua latronum more omnia peſſundarent. Quamobrem dicendum mihi videtur, politicum regimen ſive imperium civile ſimul cum diſperſione gentium introductum, vel ſaltem cum ædificatione Turris cœpiſſe, quam ædificationem immediate confuſio labii, & proinde gentium diſperſio excepit; quæ exemplum primorum civitatis Conditorum imitantes, cum, uti dicere incepimus, plures familiæ diviſæ in unam ſocietatem coiverunt. Et veriſimile eſt, cum tot diverſæ ſocietates a ſe invicem ſecederent, & ad diverſas regiones abire animum induxiſſent, ſibi elegiſſe Ducem, qui Princeps & caput eſſet totius cœtus, ne iterum diſtraherentur diſſenſione; eaſque ſocietates juri ſuo & imperio, quod quiſque paterfamilias in ſuam familiam habuerat in ſtatu naturali ſive primævo, renunciaſſe atque in eum contuliſſe, quem ſocietati tuendæ præfecerunt, cujus voluntas eſſet pro voluntate omnium, adeoque quod ille imperaſſet, cæteri haberent ratum, atque ſine mora exequerentur, uti ante initam ſocietatem penes Patresfam. ſumma reſediſſet poteſtas. Quippe ad ejuſdem exemplar civitates ſive civiles ſocietates conſtitutas eſſe nullus dubito; quamobrem *principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges fuiſſe*, Juſtinus tradit 1. *Hiſtoriar.* 1. ut haberent Moderatorem certum, per quem ſocietati ſive Reipub. conſuleretur, & ipſi cum armis tum legibus defenderentur. Herodotus *Hiſt. lib.* 1. teſtatur, *Reges primum a populo electos fuiſſe*. Quamobrem omnium vetuſtiſſimum eſt imperium Monarchicum, cujus initium ab ætate Nimrodi derivamus, ſcil. immediate poſt diſperſionem gentium, in eum ſummum imperium forte contulerunt, qui, eo in loco,

 ubi

Digitized by Google

ubi primo civitatem excitare cœperant, manſerunt, eumque tractum tenuerunt, cæteris in diverſas ſocietates coalitis alio abeuntibus; unde Imperii Monarchici origo ad eum referenda videtur, dum alii adhuc incertis ſedibus vagantes nondum imperium ſtabile conſtituiſſent. Omnes vero eandem Imperii formam, uti dicere incepimus, deinceps gentes receperunt. Hanc gubernationis formam cæteris præferendam alibi demonſtravimus, ſcil. ſi in abſtracto, ut Logici loqui amant, eam conſideremus, nulla habita ratione ſubjecti; ſummum defertur imperium, quod eo ſæpiſſime abutitur, & tranſilit limites, quibus juſtum & legitimum imperium, dictante ratione, circumſcriptum eſſe oportet. *Unum quippe eſt Reipub. corpus, quamobrem unius animo regendum*, inquit Aſinius Gallus apud Tacit. 1. *annal.* 12. vix enim ita commode haberi illa animorum ad unum eundemque finem conſequendum conſpiratio poteſt, quando plures imperium tractant, propter varia hominum ingenia, & multorum male compoſita ſæpiſſime deſideria: unde ſæpius diſſenſiones, rixæ, diſcordiæ, bellorum inteſtinorum cauſæ, quibus non duntaxat diſtrahitur ſocietas, verum funditus evertitur. Non poteſt Reſpub. geri multorum imperiis, apud Saluſtium. Illuſtre nobis florentiſſima Reſpub. Romana exemplum eſſe poteſt, utpote quæ exactis Regibus, bellis inteſtinis ac Optimatum factionibus adeo concuſſa atque diſtracta fuit, ut ſeſe ab interitu haud vindicare potuiſſet, niſi eandem gubernationis formam, quam Romulus Reipub. impoſuerat, revocaſſet. Unde apud Tacitum, *non aliud diſcordantis Patriæ remedium, quam ſi per unum regatur.* 1. *Annal.* *Non poteſt Reſpub. geri per multorum imperium*, apud Saluſt. Verum cum & hæc regiminis forma non ſuis careat defectibus, ob naturalem ad quæcunque patranda flagitia, innatam homini propenſionem, quæ niſi vi & jure coërceatur, ſæpe in proximi perniciem prorumpit & in actum deducitur; ita quoque contingit ſæpius, cum nemo naſcatur ſine vitiis, & optimus ille, qui minimis urgetur, ut Reges ac Principes ad ſummæ Majeſtatis faſtigium evecti, quaſi legibus ſoluti, naturam multis vitiis inquinatam ducem ſequentes, ſua abutantur poteſtate, eamque non
juxta

Digitized by Google

juxta rectæ rationis dictamen, verum ad lubitum exerceant, & proinde divina atque humana jura pervertant, fas juſtumque opinionis errore fingentes, quod ſibi placet, quaſi quod libet liceret Imperatori, & indigna digna habenda eſſent, quæ facit Princeps, ut inquit Seneca. Ad evitanda ejuſmodi incommoda, quæ procedente tempore, rerum uſu experiebantur mortales ex imperio Monarchico dimanare, de alia regiminis forma introducenda cogitare cœperunt aliæ Nationes Genteſque, quæ ad communem ſalutem atque ſecuritatem tuendam, tum etiam naturalem libertatem conſervandam conduceret, quantum cum regiminis forma conveniret; unde vel pluribus Reipub. gubernationem demandarunt, vel omnes, qui eundem cœtum, vel eandem ſocietatem conſtituebant, ejus regiminis participes eſſe voluerunt. Altera *Ariſtocratica*, altera *Democratica* gubernationis forma vocatur. Quoniam vero in populo, qui unum eundemque cœtum, ſive eandem ſocietatem componit, tanquam ſuo ſubjecto proprio radicaliter ſummum imperium ineſt, & proinde ab eo tanquam fonte & prima origine in aliud ſubjectum derivari oportet, rationi conveniens eſt, ut penes populum quoque ſit arbitrium illud deferendi eo quo velit modo; quamobrem & populus eligere poteſt qualem vult gubernationis formam; & juxta illam vel uni, vel pluribus ſummum imperium deferre, vel omnes ad Rempub. adminiſtrandam admittere cives. Poſtquam igitur ab antiquiſſimo imperii genere, quod quiſque paterfam. ante & poſt diluvium uſque ad confuſionem labii, in ſuam familiam exercebat, receſſum atque in cœtus & ſocietates diviſum mortale genus, uti paulo ante notavimus, eandem regiminis formam retinere maluerunt in excitanda ſocietate civili, cujus nondum incommoda & vitia experti erant, arbitrantes eam naturæ humanæ maxime conſentaneam, quæ cum ipſo homine quaſi nata videbatur; deinceps vero, cum hujus regiminis forma non arrideret aliis gentibus ac nationibus, alias introducere formas animum induxerunt, quibus ſaluti & ſecuritati ſuæ melius conſultum fore putabant: verum harum optima, quæ populi genio melius convenit; nulla quippe gubernationis forma, quin ſua habeat incommoda,

 nec

nec ab omni parte perfecta, minimis laborat vitiis. *Suſpectum gentibus viſum Senatus Populique imperium ob certamina Potentum & avaritiam Magiſtratuum*, apud Tacit. 1. *Annal. In plebe quoque deprehenderunt vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniant, ſed multi dies cunctatione coëuntium abſumantur.* Idem *de morib. German. cap.* 11. *Paucorum dominatum eſſe paucorum Tyrannorum imperium, hoſque uno deteriores, quod malum, quo magis multiplicetur, eo gravius ſit;* vid. Guerrard. *in Hiſt. delle Guerr. d. Ital. lib.* 1. *cap.* 3. Hanc ob cauſam Regum ſe olim poteſtati ſubdebant, quia rarum erat invenire viros multos virtute præſtantes, inquit Ariſt. 3. *Polit.* Poſtquam vero mortales in varias gentes & diverſas ſocietates coaluiſſent ſub uno eodemque imperio, atque ad diverſas regiones receſſiſſent, rationis lumine ducti perſpiciebant, haud diu ſocietatem duraturam, niſi cuique membro ſive potius ſingulis familiis, e quibus compoſita, aſſignata terræ portio, unde haberi poſſent ad vitam tuendam neceſſaria; quippe ſi in primæva communione omnia permanſiſſent, & quiſque facultatem illam naturalem reſervaſſet arripiendi, & in proprios uſus convertendi, quæ ſibi ad tuendam familiam paterfam. neceſſaria judicaſſet, verendum erat, ne habendi ille cuique innatus amor non contentus vitæ tuendæ neceſſariis, omnia potius ad ſe rapuiſſet, quam in commune aliquid detuliſſent; unde rixæ, diſcordiæ, & inteſtina bella orirentur, quibus ſocietas diſtraheretur, & ad priorem confuſionem & animorum diſſenſionem iterum prolaberetur; adeoque ut hiſce incommodis remedium quærerent, dominiorum diſtinctionem introducendam edocuit recta ratio gentes. Quamobrem poſtquam regna condita, etiam dominia eſſe jure gentium diſtincta tradit JCtus.

Dominia diſtincta. Cauſa, ſive ratio cur dominiorum diſtinctio apud omnes fere gentes moratiores ab eo ipſo tempore, quo in diverſas gentes ſive ſocietates diviſum genus humanum, recepta atque uſu invaluit, conſiſtit in tuenda pace atque concordia, arctiſſimum ſocietatis vinculum: providebant enim gentes, quod diſcordias & rixas materia communionis excitaret, *arg. l.* 77. §. 20. *ff. de leg.* 2. Hac itaque ſub-

ſublata, robur ſimul & concordiam generi humano acceſſuram præſumebant, qua nihil unquam inter homines præclarius extitit & præſtantius, *novel:* 30. *cap.* 1. Verum mentem noſtram haud ita interpretari oportet, quaſi, antequam gentes diſcretæ & regna condita, nulla dominiorum diſtinctio obtinuiſſet; ita ut ex raptu viveretur tum ante tum poſt diluvium ex jure, quod cuique competebat in omnia, ob communionem primævam, quæ in ſtatu naturali obtinebat. Quippe quamvis univerſi hujus Conditor Deus humano generi generaliter contulerit jus atque dominium, & imperium dederit in omnem herbam agri, omniſque generis animantes, tum etiam univerſam terram, atque in commune contulerit, ut deinde poſſet capere quicquid ad victum & amictum erat neceſſarium; tum etiam terram ſibi ad inhabitandum dominio ſuo ſubjiciendi facultatem conceſſerit, nullis poſitis terminis, nec in partes diſtributam vel diviſam; ejuſmodi dominii acquiſiti & tranſlati modus non diſtinctionem dominiorum, verum potius omnium rerum & totius terrarum orbis communionem pariebat vel introducebat, atque facultatem cuique tribuebat acquirendi & in uſum ſuum convertendi, quicquid ad vitam tuendam utile ac neceſſarium ſibi quiſque judicabat; ejuſmodi acquiſitio fiebat mundi primordio per occupationem, ut alibi annotavimus; primus ac vetuſtiſſimus dominii acquirendi modus, quo res ſive mobilis ſive immobilis tranſibat in poteſtatem & dominium primi occupantis, atque hac ratione non diutius permanebat in communione primæva, verum ab ea diſtinguebatur, quatenus pertinebat ad poſſeſſorem & dominum, qui per occupationem jus dominii acquiſiverat; adeo ut alter alterum abſque eo jure privare non poſſet. Quemadmodum itaque occupatio in ſtatu naturali, quo omnium rerum communio obtinebat, dominii acquirendus titulus; ita quoque dominia diſtinguendi modus fuit: quippe quemadmodum per occupationem ſeparatur a communione primæva, ita dominium rei occupatæ diſtinguitur a dominio rei, quam alius quis ſibi per occupationem acquiſivit; diſtinguit eatenus ut ſtatim conſtare poſſit, quid meum quid tuum; cum eo effectu, ut alter alterum invitum poſſeſſione ſive uſu ejus rei quem

quem occupavit, privare nec ei eripere niſi per injuriam poſſet; quia ejuſmodi occupatio occupanti conferebat dominium & proprietatem rei occupatæ cum excluſione alterius. *Si hæc conditio eſt, ut, quicquid in uſum hominis ceſſit, proprium ſit habentis; profecto quicquid jure poſſidetur, injuria auſertur*, apud Quintilianum. Quamobrem, ut alibi notavimus, vis occupationis, ſive apprehenſionis, quæ abſque occupatione fieri nequit, conſiſtit in illa obligatione, quam producit apud alios, abſtinendi abs re apprehenſa tanquam aliena; quia a communione per eam ſeparata tranſivit in poteſtatem & dominium occupantis cum excluſione juris alterius, quod ob communionem primævam ad eandem rem ſibi acquirendam habuiſſet. Unde patet, in ſtatu naturali, etiam antequam gentes diſcretæ regnaque condita, imo & ab ipſo mundi primordio, dominia diſtincta fuiſſe. Atque etiam locum habuit in prima illa per univerſum terrarum orbem gentium diſperſione, ita ut, quam terræ partem vel regionem ſingulæ gentes per occupationem occupaſſent, ejus dominium ac poſſeſſio privative, ut ita dicam, cum ſcelufione alterius, ad eam gentem pertineret, quæ primo occupaverat: dictante ratione, quod res nullius fiunt primi occupantis, & eatenus ejuſmodi dominiorum diſtinctio juri quoque gentium adſcribi poteſt, quaſi omnes gentes tacite hoc jus recepiſſent. Verum de hujuſmodi dominiorum diſtinctione JCtum noſtrum ſermonem habere, haud mihi perſuaſum. Quippe illa per varias gentes ac nationes diverſarum regionum occupatio conſiſtebat magis in occupando ſibi, ſive toti genti territorii imperio & acquirenda ejus poſſeſſione, quam dominio; quatenus dominii vox ſignificat jus & facultatem, quod domino competit res dominio ſuo ſubjectas in uſum proprium convertendi, iiſque utendi & fruendi pro lubitu, ad ſe ſuamque familiam tuendam atque ſuſtinendam. Summo imperio cohæret quidem dominium ejus territorii ſive dominium juriſdictionis, (quo ſenſu inquit Seneca 7. *de Beneficiis*, *omnia Regem imperio poſſidere, ſingulos dominio*,) quod per occupationem quæſitum; quatenus de eo poteſt pro lubitu diſponere, verum quatenus refertur

ad

ad facultatem moralem, quæ cuique domino vel proprietario competit, rebus ac jure dominii pertinentibus utendi fruendi, & in proprium commodum cum excluſione alterius, convertendi. Per *dominium* intelligimus proprietatem & poſſeſſionem, quam quiſque privatus poſt diſcretas gentes, regnaque condita, juxta juſtitiam attributricem tanquam ejuſdem cœtus ſive gentis parti vel membro per diviſionem vel diſtributionem acquiſivit, manente penes univerſum cœtum, ſive eum, qui ſummæ rerum præeſt, eminente dominio, quod ſummo imperio inſeparabiliter, ut ita dicam, adhæret. Quod nihil aliud eſt, quam præſtare, quod ſummo Magiſtratui competit in rebus ad ejuſdem cœtus ſive ſocietatis membra jure dominii ſive poſſeſſionis pertinentibus, exigente neceſſitate & ſalute communi diſponendi. Cujuſmodi dominium magis ad ſummum imperium, quam dominium proprie dictum pertinet. JCtus autem de ejuſmodi dominiorum diſtinctione diſputat, quæ poſt diſcretas gentes, ſcil. poſtquam, uti ante diximus, in diverſas gentes, & diverſos hominum cœtus genus humanum ob confuſionem labii diviſum fuit, introducta eſt, vel apud omnes fere gentes recepta; adeo ut nulla gens, quin, dictante ratione, earum rerum ſive immobilium, ſive mobilium, quæ per occupationem jure dominii univerſitatis erant, ſingulis ejuſdem gentis membris, quæ tanquam unam eandemque univerſitatem ſive ſocietatem conſtituebant, partem aſſignarint atque diſtribuerint, prout cuique opus erat; primus in ſocietate civili dominii acquiſiti & nactæ poſſeſſionis titulus, tum etiam diſtinctionis dominiorum prima origo & cauſa; aſſignando enim cuique portionem, ſimul diſtinguebatur dominium, unde quiſque hæc eſt villa mea, hic meus ager eſt. Ab eo igitur tempore, quo gentes diſcretæ, ſcil. ut alibi annotavimus, quo plures familiæ, quæ ante diſperſionem in eo orbis tractu (qui vocatur *terra Sinear*, in quam ex monte Ararat poſt diluvium deſcenderunt, largiora ſpatia ſibi & pecudibus quærentes) ſeorſim in ſtatu naturali nullius imperio obſequentes, cum nondum imperium politicum invaluerat, habitaverant, in diverſas gentes ſive ſocietates coalitæ ad varias terræ regiones receſſerunt, & ubi ſedes

X ſi-

fixerunt, familiis ſingulis aſſignata portio ejus, quod communi ope quæſitum & occupatum; qui modus transferendi & diſtinguendi dominia primus apud omnes gentes in uſu fuit, uti diximus. Sunt & alii poſtea acquirendi & transferendi dominii modi introducti; qui tamen omnes a prima illa origine derivandi; ſcil. ab illa prima diviſione & diſtinctione dominiorum, qua res illæ, quæ ſocietatis vel univerſitatis erant, & proinde communes, in privatorum dominia tranſierunt. Cujuſmodi dominii vis atque effectus eſt, ut dominus habeat facultatem de rebus dominio ſuo ſubjectis pro arbitrio ſuo & lubitu diſponendi; attamen non eodem modo, quo de iis diſponendi facultatem habebat in ſtatu naturali, de iis diſponere poteſt poſtquam membrum evaſit ejuſdem gentis ſive ſocietatis, quæ uni eidemque paret imperanti. Quippe, cum in omnia civium vel ſubjectorum bona ſummus imperans habeat eminens dominium; tum in ſingulos cives ſummum imperium, facultas de iis diſponendi pro arbitrio circumſcribit quodammodo arbitrium & placitum, ſive imperium & ſumma poteſtas Principis, vel ejus qui ſummæ rerum in illa gente vel ſocietate præeſt; adeoque vi ſummi imperii poteſt vel minui, vel augeri illa civium de bonis propriis facultas, prout ſummus imperans judicat publicam ſalutem efflagitare. Atque eo ſenſu *dominium*, ſi ſecundum artem deſcribimus, *eſt propria cujuſque facultas & jus in rem quamlibet, quam in ſui ipſius commodum uſurpare poteſt quocunque uſu lege permiſſo*, inquit Sotus *de juſt. & jur.* Imo non tantum facultatem limitare & circumſcribere ſummus imperans poteſt, verum etiam ex dominio eminente, utilitate & ſalute Reipub. exigente, privatorum bona uſurpare & applicare ad Reipub. commodum, & ſalutem tuendam vel promovendam: ea enim lege dominium in ſingulos tranſlatum præſumendum, cum quaſi tacito quodam pacto ſibi mutuo devinxiſſe cives atque ſubjectos ſtatuendum, ut publicam ſalutem, a qua ſingulorum pendet conſervatio, privatis commodis haberent potiorem, & proinde ad illam tuendam & conſervandam non ampliorem facultatem in diſponendo de bonis ſuis cuique concedere voluiſſe quam quæ ſalva Repub. ſive ſocie-

tate

tate tranſferri poterat. Quamobrem ex ejuſmodi eminenti dominio civitati ſive Principi, adminiſtratori & gubernatori ſocietatis competit facultas ipſam civitatem & ſingulos cives eorumque bona per debita obligandi, quando alia ratione neceſſitatibus Reipub. non poſſit ſuccurri, quam ut ejuſmodi debita contrahantur. Cum enim competat ei facultas civitatem ſive ſocietatem civilem adminiſtrandi & conſervandi, etiam competunt ipſi media, ſine quibus finis ille obtineri nequit; quippe in moralibus, *qui dat finem, dat ea, quæ ad finem producunt*; Puffend. *de jur. nat. & gent. lib.* 8. *cap.* 10. Quamobrem nec a ratione vel æquitate alienum, ut Principem in caſu neceſſitatis & utilitatis publicæ non peccare ſtatuamus, ſi quando alicui dominium rei ſuæ auferat. Hoc enim caſu utitur dominii jure, quod in excitanda civitate & regnis condendis reſervare ob utilitatem & conſervationem Reipub. ſummo imperanti ſalvum eſſe voluerunt cives atque ſubjecti. Itaque, ut alibi diximus, ſummo imperio cohæret dominium eminens in bona ſubditorum. Dominia privata cujuſque familiæ utilitatem & conſervationem quidem ſpectant, & quatenus hic conſiſtitur, Majeſtatis tantum eſt illa tueri & protegere. Sed quandoquidem familiæ, & omnia quæ ei inſerviunt, uno publicæ ſalutis fine continentur; convenit omnino, ut, quatenus paterfam. rei ſuæ ad utilitatem familiæ dominus eſt, ita Majeſtas ſit rerum omnium in Repub. ad Reipub. neceſſitatem. Nam *qualis ratio dominii privati ad familiam; talis eſt omnium familiarum bonorumque omnium ad neceſſitatem Reipub. ſublevandam*, ut inquit Lamprid. *de Repub. Rom. Germ. p.* 3. *cap.* 11. Verum hoc caſu reſarciendum eſſe damnum & refundendum pretium ab iis, ad quos ea utilitas pervenit: jubet enim æquitas, quæ publicam cauſam ſequitur, ut ne re ſua & pretio careat ille, qui profuit omnibus. Æquiſſimum enim eſt, ut omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt, *l.* 1. *§.* 2. *ff. ad l. Rhod. de jact.* vid. *Comment. in Grot. de jur. bel. & pac. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 7. 8. Effectus itaque & vis dominii, quod cuique privato in civitate competit, conſiſtit quidem in libera adminiſtratione & diſpoſitione rerum ſuarum, qua-

Digitized by Google

rum quemlibet dominum jura liberum arbitrum & moderatorem, cum excluſione alterius, pronunciant; verum ſupereminenti dominio ſubeſt dominium privatum, quatenus publica utilitas deſiderat, ut inquit ſummus Grotius *d. l.* Hoc enim in caſu, ſuadente & exigente neceſſitate & utilitate publica, renunciaſſe quiſque videri debet dominium in res proprias, atque illud detuliſſe ei, cui cura & adminiſtratio Reipub. demandata, uti ſtatim annotavimus. Præterquam quod illa libera facultas ex dominio dimanans, de bonis ſuis pro lubitu & arbitrio diſponendi non tam late patet in ſocietate civili, quam in naturali; adeoque etiam, quamvis non exiſtat ejuſmodi neceſſitas & utilitas publica, attamen illa facultas non eſt infinita, verum eam ſummus imperans limitandi & moderandi vi ſummi imperii poteſtatem habet, ita ut ſemper debeat convenire cum utilitate publica. Quamobrem modum & formam præſcribit atque ſtatuit Princeps, quam in diſponendo, & adminiſtrando quiſque privatus certis in caſibus obſervare debet. Adeoque quamvis dominium tribuat cuique facultatem non ſolum utendi & fruendi re ſua, verum etiam ipſam diſtrahendi, donandi, vendendi; modum tamen & formam, quæ obſervanda dictat lex, & in hiſce negotiis normam agendi præſcribit, ut ejuſmodi actus conveniant cum utilitate publica, & ne quid inde Reſpub. vel cives detrimenti capiant. Hinc facultas diſponendi de bonis ſuis, vel ratione diſponentis vel bonorum vel limitatur, vel extenditur, vel adſtringitur quibuſdam modis & ſolennitatibus, quas adhibendas & obſervandas diſponenti ſive domino jura impoſuerunt: omnes enim actus civium ſubſunt imperio Principis, uti quoque eorum bona, quemadmodum ſtatim annotavimus, qui civium actiones & negotiorum peragendorum rationem ita moderatur ac dirigit, ut ad finem, quamobrem in ſocietatem civilem coiverunt mortales, obtinendum collimemt ac tendant. Dominium itaque, quod cuique privato in ſocietate civili competit, recte poſſumus definire, quod ſit Jus in re, quo res eſt noſtra, ſic ut de ea libere diſponere poſſimus, niſi lex vel conventio obſtet. Adeoque poteſtas in ſocietate civili de rebus ſuis diſponendi non tam late patet, quam

quam in ſtatu naturali, uti annotavimus; quippe ſi quæ res per apprehenſionem vel occupationem a communione in occupantis poteſtatem atque dominium tranſiiſſet, ſtatim plene & perfecte pro lubitu & arbitrio de ea diſponendi nactus erat facultatem, quoniam eo in ſtatu omnes ſibi jure & conditione homines æquales pro regula & norma agendi cuique propria ſtabat voluntas; quæ in ſocietate civili ſubeſt imperio & voluntati ſummi imperantis, ita ut facere cuique non liceat quod lubet; verum quod ſummus imperans, vel leges & jura a Principe ſancita permittunt. Cujuſmodi facultas, quæ ex jure dominii dimanat, circa res ſuas competit omnibus, qui in civitate vel ſocietate juſto titulo dominium earum acquiſiverunt; verum nec jure gentium, nec jure civili eam omnes, qui dominii capaces ſunt, exercere poſſunt. Requiritur enim hic ſubjectum habile, ſcil. quod uſu rationis præditum eſt, quod intelligit naturam actus & negotii, quod peragendum; unde infantes, furioſi, quamvis jure gentium capaces dominii, ut alibi in *Comment. in Grot. de jur. bel. & pac.* demonſtravimus; attamen ob rationis defectum neque adminiſtrandi neque diſponendi de bonis ſuis facultatem habent. Quoniam adminiſtratio & diſpoſitio bonorum ſuorum multos includit actus, qui requirunt rationis uſum, cujus vi perſpicere & percipere poſſumus, quid nobis utile, quid nociturum; & proinde quid in bonis ſuis habere velit nec ne; eam natura, ſive jus gentium, denegavit non duntaxat infantibus, verum & minoribus, qui vel nullum, vel non ſatis firmum habent judicium. *In infantibus circa acceptationem ſufficere judicatur conſenſus eorum præſumptus, quatenus nemo reſpicere cenſetur aliquid, quod ſibi expedit: ob defectum tamen judicii ex ætate reſultantem dominium tacitum quoad κτῆσιν in infantes conferri potuit; non tamen, ut ipſi exercerent; nam mos gentium, infantibus favens, id quidem efficere potuit, ut illi quid habere, non etiam ut eo recte uti per ſe poſſint.* Huc ſpectat illud Apoſtoli *Gal.* 4: 1. Pupillum, quanquam rerum paternarum dominum, dum ejus eſt ætatis, nihil differre a ſervis, exercitio dominii ſcilicet. Quamobrem dominium accipere vel acquirere quidem poſſunt, transferre autem jure

Digitized by Google

gentium nequeunt. Ætas autem, quæ habilem reddit perſonam, ut liberam bonorum ſuorum habeat diſpoſitionem, quamvis jus gentium non definiat, attamen, dictante ratione, eam requirere oportet quæ ſatis matura eſt ad dijudicandum quid ſibi utile, quid nociturum. Verum ne incerto jure uteremur, quod ſæpe parit lites & controverſias, poſtquam gentes diſcretæ, & dominia diſtincta fuerunt, certum annorum numerum ſtatuerunt, ad quem ſi perveniſſent minores, pro majoribus haberentur, & proinde liberam rerum ſuarum adminiſtrationem ac diſpoſitionem nanciſcerentur. Ita apud Romanos minorennes habebantur, qui nondum impleverant annum vigeſimum quintum. Et quamvis hæc de ætate perfecta & minorenni definitio multarum aliarum gentium ac nationum uſu comprobata ſit: attamen non apud omnes recepta, adeoque videtur potius juri poſitivo cujuſque gentis, quam juri gentium, quod a ratione naturali introductum, & proinde quo omnes gentes utuntur atque cuſtodiunt, adſcribendum. Quippe apud alios populos invaluit, ut maturius minores ad perfectam pervenirent ætatem, adeoque videtur hæc ætatis meta ſtatutis ac legibus variorum locorum pro vario hominum genio definita. Sic in Regno Siciliæ & Neapolitano decimus octavus annus, in Saxonia & Bavaria viceſimus primus, alibi alius annus majores facit, uti videre eſt apud Mevium *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 6. *n.* 3. *& ſeqq.* Sim. Van Leeuwen *Cenſ. forenſ. lib.* 1. *cap.* 8. & *cap.* 18. *n.* 5. uti quoque in hac Ultrajectina Provincia ante novellas conſtitutiones a Reipub. noſtræ Ordinibus promulgatas anno MDCLIX. diſpar erat marium & fœminarum conditio. Civico enim jure mares anno duodevigeſimo, fœminæ autem vigeſimo ætatis anno. Contra jure agrario mares anno viceſimo, fœminæ vero biennio maturius majorennes habentur. vid *Rubr.* 28. van Overgiſten *art.* 6. & *Rubr.* 31. *tit.* van Momboirſchap *art.* 1. Placcaat noopende de Manieren van procederen ten platten Lande, *art.* 117. & 118. Hanc autem diſparitatem placuit Provinciæ hujus Ordinibus in unam juris conſonantiam reducere.

Et

Et quoniam præfatam ætatem cum in maſculo, tum fœmina, adhuc nimis lubricam, nec ſatis firmatam, & multis adhuc captionibus ſuppoſitam judicarunt, ſtatuerunt *art.* 13. *conſtitut. novell.* utriſque rerum ſuarum adminiſtrationem non antea indulgendam, quam ubi ad quintum & viceſimum ætatis annum perveniſſent, atque compleviſſent; niſi forte impetrata a Principe ætatis venia facultas res ſuas adminiſtrandi & gubernandi ſine curatoribus ipſis conceſſa; adjecta tamen impetrationi clauſula, ne bona immobilia ſine decreto alienare vel obligare poſſint, vid. *l.* 5. *Cod. de his qui ven. ætat.* Quamvis etiam quandoque ætatis venia pleniſſime concedatur, ut & alienationem bonorum immobilium alienandorum poteſtatem contineat, quod diplomate ſolet exprimi. vid. Hug. Grot. *Iſagog. lib.* 1. *part.* 10. Groenew. *ad. l.* 3. *Cod. d. tit.* Rodenburg. *tract. de jur. conjug. part. alter. tit.* 4. *cap.* 9. Alter modus quo quis minor 25. annis ſui juris efficitur & in ſuam tutelam venit, & pro majori habetur, adeoque non duntaxat liberam rerum ſuarum adminiſtrationem & matrimonium; verum etiam alienandi poteſtatem nanciſcitur; exemplo eorum, quibus pleniſſima per Principem data fuit ætatis venia; niſi forte aliud ex cauſis juſtiſſimis Magiſtratui ac Cameræ pupillaris curatoribus viſum fuerit. vid. Joh. Voet *comment. ad tit. de minor.* & DD. ibidem allegat. Weſel. *ad novel. conſtit. Ultraject. art.* 13. *n.* 15. 16. Eandem vero naturalem rationem (quæ eſt fons & origo juris gentium, atque, uti alibi demonſtravimus, jus gentium nihil aliud eſt quam rationis dictamen, & proinde recte jus naturale dicitur,) quæ dominiorum diſtinctionem inter homines conſtituit, vel conſtituendam gentes edocuit, conſiſtere oportebat, ut agris termini ponerentur, quibus agrorum dominia diſtinguuntur, atque conſtare poſſit, cujuſnam ſit, Sempronii an Titii? Quamobrem ut de parte, quæ cuique in dominiorum diſtinctione obvenerat, conſtare poſſet, poſtea quoque gentes ſollicitæ fuerunt, & proinde Jctus. noſter terminorum poſitionem affirmat fuiſſe quaſi ſequelam diſtinctionis dominiorum. Itaque poſtquam diſtincta fuere dominia,

Agris termini poſiti. Diximus ad hoc agris terminos poſitos,

tos, ut ſciatur, quid cujuſque ſit, *l.* 16. *ff. de acquir. rer. domin.* ut pax & amicitia vicinorum, & concordia inter privatos conſervaretur, quem in finem diſtincta dominia, ut alibi annotavimus. Magna enim inter vicinos, tum etiam ejuſdem ſocietatis membra, jurgia & lites ex occupatione proximorum agrorum oriri poſſe rerum uſus docuit, unde & *litis* nomen Virgil. *lib.* 12. *Æneid.*

Limen agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Et Ovid. *in lib. Faſt.*

Omnis erit ſine te litigioſus ager.

Tradit enim Diodor. Sic. *lib.* 11. limitum privatam contentionem ſæpe in bellum erumpere, ut olim inter Japiges & Tarentinos, inter Corinthios & Megarenſes, & inter Egeſteos & Selinuntios, quamobrem ad concordiam & pacem fovendam, quæ arctiſſimum ſocietatis vinculum, oportuit agris terminos imponere, ne, qui alterius eſſent, agri uſurparentur; unde inſignia quædam apponebantur, quorum memoria poſteros etiam doceret, teſte Julio Frontino *de jure limitum*, atque pacem amicitiamque vicinorum contineret, ut ait Plutarch. *problem.* 14. Quando enim de finibus oriatur controverſia, in ea definienda monumenta antiqua ſequenda ſunt, *l.* 11. *ff. fin. reg.* modo ſi non varietate ſucceſſionum, & arbitrio poſſeſſorum fines, additis vel detractis agris, poſtea permutatos probetur. Ad antiqua monumenta referri poſſunt itinera, aggeres, lapides, ſtrues lapidum, arbores notatæ, ſepulcra, rivi, pro terminis autem & ſtipites, vel lapis humo defoſſus; quia magna religione colebatur ab antiquis & obſervabatur, unde canit Ovidius 2. *Faſt.*

Nox ubi tranſierit ſolito celebretur honore,
Separat judicio qui Deus arva ſuo.
Termine ſive lapis, ſive es defoſſus in agro,
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Ter-

Terminorum rationem aurea ætate ſub Saturni regno ignoratam, atque ſub Jove demum inventam fuiſſe, Tibull. *lib.* 3. *Eleg.* 3. aliique Poëtæ, qui auream depinxerunt ætatem, prodiderunt. A *terendo* autem ſignum illud, quod agrum ab agro diſtinguit ac ſeparat, terminum dictum eſſe volunt; quod ſcil. hæ finium partes maxime terantur, ut cuique notum. Varr. *lib.* 4. *de L. Lat. Termini, quod hæ partes propter limitare iter maxime teruntur.* Terminus autem Dei loco habitus eſt, quod poſt Saturnum exactum cædes ac lites ruſticorum de dividendis agris ſuſtuliſſet. Hinc ſtatua illi erecta & coronata. Huc pertinet illud Arnobii, ſeu Minucii Felicis, cum inquit: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos ſane & unctos & coronatos.* Et Apulejus 1. *Florid. Truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* vid Tibullum *lib.* 1. *Eleg.* 1. Lapides autem hi quadrati & inſcripti uncialibus litteris, atque a Paganis ſumma religione colebantur, & ut ad eorum cultum prætereuntes invitarentur, ungebant. Quamobrem dicti lapides *Divi*; unde Arnobius; *Siquando conſpexeram lubricatum lapidem ex olivi unguine ornatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, effabar.* Et Lampridius; *Lapides qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ ex adyto ſuo, in quo Oreſtes poſuerat, auferre voluit.* Turnebus *lib.* 10. *adverſ. cap.* 16. putat, Lapides Divos eſſe ſimulacra Deorum, vetereſque inde per Jovem lapidem juraſſe. Quod longe a vero eſſe ſtatuit Jac. Guther. *de vet. jure Pontif. lib.* 3. *cap.* 15. atque optime Caſaubonum de famoſo ſimulacro ab Oreſte & Iphigenia e Taurica ablato ex Pauſania interpretari ſtatuir. Termini religionem Romani a Græcis ſumpſiſſe videntur, uti ab iis quoque leges acceperunt. Unde apud Platonem lib. 8. de ll. *Nemo fines, atque Terminos agri moveat, nec cives vicini ac finitimi peregrini, ſi agri extrema poſſideat. Sed putet id eſſe verum quod dici ſolet, hic immobilia movet, malitque unuſquiſque ſaxum ingens movere, quam parvum lapidem jurejurando a Diis firmatum, quo amicitiæ & inimicitiæ terminantur. Alterius enim Jupiter* ὁμόφιλος, *alterius Jupiter* ξένιος *teſtis eſt.* Terminorum autem de-

defigendorum ritum deſcribit Siculus Flaccus. Cum Terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant proxime ea loca, quibus, foſſis factis, defixuri eos erant, & unguento velaminibuſque & coronis eos coronabant. In foſſis autem, quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto hoſtiaque immaculata cæſa, facibus ardentibus in foſſa cooperti ſanguinem inſtillabant, eoque fruges & thura jactabant, favos quoque & vinum, aliaque quibus conſuetudo erat Terminis ſacrum fieri, in foſſas adjiciebant. Conſumptiſque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. In ejus tutela fines agrorum poſiti credebantur, ac proinde ſacra ei fieri ſolita X. Calend. Martii, id eſt 20. Februarii, quæ *Terminalia* dicta ſunt, atque a Numa Romanorum Rege originem habuere, qui, teſte Dionyſio, conſtituit unumquemque circumſcribere fundos ſuos, ſacroſque finibus lapides apponere, lapideſque ipſos ſacravit Jovi Terminali: atque decrevit ſacra quotannis ſupra eoſdem fieri a continentibus. Hæc Romani Terminalia a termonibus vocant, fineſque ipſos unius literæ mutatione a Græca lingua proferentes, Terminos appellant. Feſtus, *Termonem Ennius Græca conſuetudine dixit, quem nunc Terminum hoc modo.* „ Ingenti vadit curſu, qua redditus termo eſt. „ Quod ſi quis ejuſmodi terminos occaluiſſet, vel tranſtuliſſet, ſacrum eum eſſe Dei lege ſtatuit; ita ut cuicunque volenti eum occidere liceret tanquam ſacrilegum. Templum Termini, in quo colebatur, deſuper patens foramen habebat; quia nefas duxerunt Terminum Deum pacis & juſtitiæ cuſtodem ſub tecto conſpici. Fuit autem juxta ædem Jovis Opt. Max. primum a Numa conſtructum, cui ſacrum feſtis Terminalibus in agris, ſexto ab urbe miliario ſub divo fieri ſolebat, in quibus ex lapide ſilice vel molari, nonnunquam ex truncis oleagineis ſacrificalibus Terminus erigebatur. Diximus quotannis menſe Februario ſacra Deo Termino fieri. Nihil vero cruentum illi offerebatur, verum liba cerealia, frugumque offerebant primitias; quod nefas eſſe putabant cruentari hos lapides. Vid. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. Hinc Juvenalis *Sat.* 16.

Aut

Aut ſacrum effodit medio de limine ſaxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo.

Verum procedente tempore agnam aut lactentem porcam intermiſſo more priſco in ſacris Terminalibus cædi ſervatum fuiſſe ex Horatio & Ovidio diſcimus.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,

Et Ovid. *Faſt. lib.* 2:

Spargitur & cæſo communis Terminus agno,
Nec quæritur, lactens cum tibi porca datur.

Ne autem quiſque temere eo procederet audaciæ, ut cum proximi & vicini damno veteres & antiquos limites & terminos removeret vel transferret, apud omnes fere gentes lex excandeſcit in eos, qui violant terminos agrorum, atque in ejuſmodi facinoris reos animadvertendum omnes pene legiſlatores conſentiunt. Nec leve hoc crimen ſtatuendum, cum jure divino inter enormia peccata atque crimina recenſeatur, *Deut.* 27: 17. *Maledictus* enim, *qui movet limitem proximi ſui.* Nec perperam ejuſmodi fraudulenta terminorum translatio dicitur ſpecies furti: proferuntur enim limites tui cum proximi damno; tantum enim proximo furtim aufertur, quantum alteri accreſcit vel accedit. Et quamvis lex divina quidem prohibeat tranſlationem terminorum fraudulenram, pœnas autem in foro humano nullas decernat; attamen ejuſmodi crimen Magiſtratui vindicandum committit, qui pro ratione circumſtantiarum illas vel exaſperandi vel minuendi libertatem habet. Præterquam quòd & graviter vindicandum Deus voluit, cum & ipſe maledictionis hujus criminis reum ſubjicit *d. l.* cujuſmodi maledictiones & temporales & æternas pœnas continere, atque ſtante Repub. Hebræorum lapides terminales transferentes verberibus cæſos fuiſſe Theologi ſtatuunt. Vid. florentiſſimum Theologum Franciſ. Burmannum *in Pentateuch. Deut. cap.* 19. Romulus olim ſtatuit, ut

 qui

qui vicini terminos uſurpaſſet, is, cui voluiſſet eripere, totum agrum uſurpantis in mulctæ locum acciperet, & ad eum juſto titulo pertineret, teſte Plut. *probl.* 4 Numa vero Pompilius graviori in eum pœna, qui ſtatuto ſaxum terminalem dimoviſſet loco, animadvertendum ſtatuit, uti ſtatim notavimus. Extat enim lex ab eo promulgata, qua ſanctum, *Quei Terminon exaraſſit, ipſus & bovis ſacri ſunto.* Huc pertinent, quæ apud Dionyſ. Halicar. legimus, *Terminos ſi quis transferre auſus fuiſſet, aut tollere, lege Terminali caput ejus Diis Terminalibus Numa devovit, interfectori ipſius tanquam ſacrilegi impunitate permiſſa.* Conſtantinus Cæſar Romuli legem retinuit in termino moto pendente controverſia finium, & ante definitum ſententia negotium, uti perſpicimus ex *l.* 2. *Cod. Theodoſ. tit.* 26. *fin. regund.* quam in ſuum Codicem tranſtulit Juſtinian. *l.* 9. *Cod. eod. tit.* *Qui finalem*, inquit, *intulerit quæſtionem, ſi priuſquam aliquid ſententia terminetur, rem ſibi alienam uſurpare voluerit, non ſolum id quod male petebat, ſed lite ſuperatus, tantum agri modum, quantum diripere tentavit, amittat, ut quiſque contentus ſuo, non expetat quod juris eſt alieni.* Theodorus Rex apud Caſſiodorum 3. *var.* 20. *Decernimus ut ſi Fauſtus ea, quæ Caſtorius poſſidebat, vel titulis ingravavit, vel privata uſurpatione detinuit, mox ei prædium, cum alio ejuſdem meriti a pervaſore reddatur.* Nec dubium quin apud omnes fere gentes ſaltem moratiores in terminorum violatores pœna conſtituta fuerit. Forte apud Scythas cum agros non colerent, adeoque nec terminorum poſitio cognita, pœnam quoque in eorum violatores ſtatui neceſſum non fuit, uti nec Tartari, nec extremi Finmarchi agros limite ſignare ſolent. Anton. Mattheus *de crimin. lib.* 47. *tit.* 14 *cap.* 1. Apud Romanos vero a Reipub. fere incunabulis, uti mox annotavimus, haud impune quis vicini terminos & limites uſurpabat. Quamobrem & in Juris corpore titulum habemus *de termino moto*, dictantem pœnam in eum conſtitutam, qui crimen termini moti contraxit; qualis ille, qui terminos finium cauſa poſitos propulit, avulſit, exaravit, aut finium confundendorum cauſa faciem terræ convertit ex arbore arbuſtum, aut ex ſylva novale, vel aliquid ejuſmodi

fa-

Digitized by Google

faciendo, *l.* 2. & 3. *ff. de termino moto.* *Fines intellige*, inquit florentiſſimus Jctus Antonius Mattheus, *quinque pedum ſpatium, quod inter confines agros relinqui liberum lex Manilia voluit ad circumducendum aratrum. l. pen. Cod. fin. reg. l.* 3. 4. & *ult. C. Theodoſ. eod.* In componendis LL. XII. Tabb. Decemviri judicarunt utile eſſe inter confines vicinorum agrorum, ſpatium aliquod medium relinqui, quod ſemper eſſet liberum & commune, ut eo ire, agere, & aratrum etiam circumvertere ſine alterius incommodo uterque Dominus poſſet, atque ſpatium illud intermedium quinque pedum definierunt, quod nec uſucapi poterat. Unde apud Cic. *lib.* 1. *de ll.* in controverſia de finibus uſucapionem XII. intra quinque pedes eſſe noluiſſe; idem lege Manilia poſt Decemviros lata ſancitum. Diximus mox crimen termini moti contrahere qui confundendorum finium gratia faciem terræ convertit, ex arbore arbuſtum, aut ex ſylva novale faciens. Per arbuſtum vero ſtatim allegatus Jctus monet, non intelligendum pumillam arborem, ut Barbari interpretantur; ſed vitem arbuſtivam, ſeu vineam maritatam arboribus. Vid Plinium *lib.* 17. *cap.* 23. Colum. *lib. de arboribus cap:* 16. Novale eſt terra nunc primum præciſa, & uno nomine vervactum dicitur *l.* 30. *ff. de V. S.* Plin. *lib.* 18. *cap.* 19. *Quod vere ſemel aratum eſt, a temporis argumento vervactum vocatur.* Proprie igitur ager novalis, qui nunquam proſciſſus, nunquam cultus, uti Plinius alibi agrum novalem vocat, unde vetus ſylva exciſa eſt. Verum uſu auctorum jam vox traducta ad agrum, qui anno ceſſavit, altero anno iterum ſeritur. Et *eſt*, ut ait Feſtus, *ager novæ relictus ſementi: novale quod alternis annis ſeritur.* Iſidorus, *Novalis ager eſt primum proſciſſus, ſive qui alternis vacat, novandarum ſibi virium cauſa: novalia enim ſemel cum fructu erant, & ſemel vacua.* Pœna, quæ in eos, qui crimen termini moti admittunt, ſtatuitur pro conditione perſonæ & mente facientis, vel aggravatur vel minuitur; ita ut ſplendidiores quidem, ſi juvenes ſint, longius relegentur, ſenes vero reciſius. Si vero alii negotium geſſerunt, & miniſterio functi ſunt, caſtigantur, & ad opus biennio dantur. Quod ſi per ignorantiam aut fortuito lapides finales furati ſunt,

verberibus coerceantur, *l.* 2. *ff. de term. mot.* Porro lege agraria Caji Cæſaris contra terminorum propulſores pœna pecuniaria ſtatuta eſt, & quidem 50. ſolidorum in ſingulos terminos, quos ejecerint locove moverint, fiſco inferenda, ad quam quilibet ex populo agere poteſt, *l.* 3. *ff. eod.* antequam ſcil. Monarchia conſtituta fuit, mitius agendum putavit Cæſar. Panormitanus *in c. ex literis* 13. *de probat.* hanc pœnam exoleviſſe putat, & corporalis pro ratione perſonarum infligi, ſi dolo malo termini transferantur. Verum alii non infimi ſubſellii JCti contrarium verius putant, quorum in numero Tholoſ. *Syntag jur. univerſ. l.* 39. *cap.* 13. *n.* 9. Wiſſenbach. *diſput.* 32. *lib.* 47. *ad tit. de term. mot.* Anton. Matth. *de crim. lib.* 47. *tit.* 14. *cap.* 2. *n.* 2. Qui cum Cujacio ſtatuit, concurrere actionem popularem cum accuſatione, nec per hanc antiquatam eſſe illam. (*Quod autem*, inquit, *Modeſtinus in* l. 1. ff. de term. mot. *terminorum avulſorum non mulctam pecuniariam eſſe, ſed pro conditione admittentium coercitione tranſigendum, id minime movet; particulæ enim* non, ſed, *uſurpatæ ſunt pro iſtis* non tantum, ſed etiam.) Quæ ratio loquendi nec inſolens auctoribus, nec infrequens JCtis eſt, uti ex Livio perſpicimus *lib.* 27. & in *l.* 25. *ff. de hered. petit. l.* 5. *ff. de ſervit. præd. urb.* aliiſque *ll.* ibidem allegatis. Atque eodem modo uſum Modeſtinum in *l.* 1. *ff. d. t.* Et Græci de utraque pœna pecuniaria & extraordinaria loquuntur. Vid. *Eclog. Baſil. lib.* 58. *tit. de term. mot.* Harmenop. *lib.* 6. *tit.* 9. Meyerus in Collegio Argentorat. *ad Pand. de term. mot. n.* 8. quem ad *h. t.* allegat Joh. Voet. *comment. ad Pand.* verbis Modeſtini hunc dans ſenſum, quod quidem permiſſum fuerit ex lege agraria mulctam perſequi; ſed ſi quis extra ordinem agere vellet, judex non potuerit tunc in mulctam arbitrariam eum condemnare, ſed caſtigatione, relegatione, verberibus debuerit punire. Dynus in *c. ex literis*, 3. *de probat.* contra Panormitanum, arbitrio relinqui cenſuit judicis, quas velit nummarias vel corporales pœnas imponere reo, adhibitis circumſtantiis facti & perſonarum. Quam opinionem probat ſtatim allegatus JCtus Tholoſanus *d. l.* Jus Carolinum *art.* 114. doloſe terminos ſive lapides agrarios ad do-

dominiorum diſtinctionem collocatos immutat, loco movet, vel plane evellit, pro qualitate criminis vel delinquentis vel corporali ſupplicio, uti fuſtigatione, vel mitiori pœna, puta relegatione, incarceratione, vel etiam mulcta pro ratione facultatum afficiendus. Quamobrem perperam ſtatuit Sthan. ad Weſemb. dict. articulum quoſdam commentatores interpretari de pœna capitali, quia aliud eſt **leibes-ſtraffe**/ aliud **lebens-ſtraffe**. Capitalis enim pœna infert amiſſionem vitæ; qualis in dicta conſtitutione Carolina *art.* 114. illis, qui hoc crimen admiſerunt non ſtatuitur; verum duntaxat corporis pœna afflictiva imponitur, **peinlich am Leib geſtraft werden**/ quæ tamen a pœna capitali differt. Imo vero nullam rationem video, cur non ad capitale ſupplicium imponendum procedere poſſet judex ob circumſtantias, quæ hoc crimen adeo aggravare poſſent, ut capitis pœna locum habeat. Quid ſi enim dolo malo toti provinciæ ac regioni per ejuſmodi amotiones aut averſiones damnum ſingulare & magnum inferatur? Veluti ſi quis malitioſe fluminis alicujus aggerem ad damnum faciendum rumpat, hoc caſu, quin pœna capitalis locum habeat, nullum eſt dubium, *l. pen. ff. de extraord. crim. l.* 1. *C. de Nil. agger. non rump.* ubi vivicomburio ruptores plectuntur. Vid. Zieritz. *not. ad Carol. V. conſt. crim. cap.* 114. Hachman *de jure aggerum cap.* 18. & *ſeqq.* Quæ pœna haud extendenda ad ruptores aggerum minorum, quia privatis fiunt. Menoch. *de arbitr. caſ.* 386. Jure Saxonico, qui ignorans amovet, 30. ſolidis mulctatur: in ſcientem gravius animadvertitur pro qualitate delicti, Fachſ. *diff. jur. Civ.* & *Saxon.* 65. Reinhard. *diff.* 2. *p.* 5. Moribus hodiernis conſtitutas haſce pœnas de termino moto non obtinere ait Groenew. *de LL. abrog. ad tit. de term. mot.* Bugn. *de LL. abrog. lib.* 2. *ſect.* 146. Ill. hujus Provinciæ Ordines conſtitutione adverſus colonos ſtatuerunt, ut, qui terminos agri conducti obſcuraverint, prima vice damnandi in æſtimationem ejus portionis, quam finibus obſcuratis intercipere anniſi ſunt; iterum convicti, præter æſtimationem in exilium perpetuum mittendi, quandoque & ultimo ſupplicio afficiendi.

Vid.

Digitized by Google

Vid. Anton. Matth. *d. l.* Conſt. Ord. vulgo **Placcaat tegens de Huysluyden art.** 20.

Non ſatis autem conſultum videbatur generi humano pro vitæ tutela ac diſciplina, gentes eſſe diſcretas & per familias ante diſperſas in ſocietatem coaluiſſe, regna eſſe condita, dominia rerum diſtincta, & pro dominii cujuſque diſtinctione in prædiis ruſticis, agrum unius ab alterius terminorum poſitione diſterminari; quæ omnia ex jure gentium dimanant atque deſcendunt. Verum ad majorem ſecuritatem atque tutelam cum univerſæ ſocietatis, tum cujuſque privati, ratione dictante, ædificia collocata; quamobrem JCtus ab eodem jure gentium ædificiorum collocationem originem habere affirmat, cum inquit ex hoc jure quoque

Ædificia collocata. Pulchro & notando ordine poſt terminorum poſitionem Ædificiorum collocationem recenſet vel enumerat inter ea, quæ ex jure gentium deſcendunt; quia prius fuit de agris dicere, quam de ædificiis: *illos enim natura divina, hæc autem hominum vis conſtituit*, ut inquit Forcatulus *comment. de juſt. & jur.* Verum ratio, cur JCtus prius de agris quam de ædificiis ſermonem habet, ea mihi eſſe videtur, quod poſtquam gentes diſperſæ & in diverſas ſocietates coiverunt, ad varias receſſere regiones ſive orbis terrarum plagas, eaſque occuparunt inhabitandas; occupatas vero ſingulis familiis, quæ gentem ſive ſocietatem componebant, terræ, cujus ſibi per occupationem dominium atque poſſeſſionem acquiſiverunt, ſuam aſſignarunt portionem, atque hac ratione dominia diſtincta; & ne confunderentur, terminis quibuslibet agris aſſignatis, terminos poſuerunt; aſſignata autem cuique portione ſua, facultatem quiſque nanciſcebatur fundo ſive agro, cujus dominium per ejuſmodi aſſignationem acquiſiverat, inædificandi. Quamobrem oportuit agrorum diviſionem & diſtinctionem præcedere, antequam ædificia collocata. Utitur JCtus noſter verbo *collocare*, uti quoque Holoander & Gothofredus. Verum vulgata habet *collata*, quam tuetur Coraſ. *comment. ad tit. de juſt. & jure. conferre ædificia*, eſt conjungere, qua conjunctione fit urbs, caſtrum & villa. Quam-

Quemadmodum in una eademque ſocietate conjungi cœperunt, ita quoque conjunctim cohabitarunt, & quiſque ædificium ſuum conjunxit ædificio alterius, ad ſocietatem eo melius colendam, & ſibi, mutua neceſſitate exigente, præſtandum auxilium. In hanc rem convenit elegans Ciceronis auctoritas, in *orat. pro Sextio*, cum inquit: *Quis noſtrum ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali neque civili jure deſcripto, fuſi per agros & diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu & viribus per cædem aut vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent? Qui igitur primi virtute & conſilio præſtanti extiterunt, ii, perſpecto genere humano, docilitate atque ingenio diſſipatos unum in locum congregarunt, eoſque ex feritate illa ad juſtitiam atque manſuetudinem tranſtulerunt; tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ poſtea civitates nominaverunt, tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus, invento & divino & humano jure, mœnibus ſepſerunt.* Haud dubitandum, quin vetuſtiſſimi mortalium ante & poſt diluvium uſque ad diſperſionem gentium, diſſipati ſeorſim habitarint, neque ſub dio vel Jove frigido, verum ſub tectis, non quidem arte constructis, verum ad cœli injuriam quodammodo arcendam idoneis.

- - - - - - - - Domus antra fuere,
Et denſi frutices, & junctæ cortice virgæ.

Verum poſtquam cœtus celebrari cœperunt, & in ſocietatem coaluerunt mortales, domus quoque collatæ, quæ cuique tutiſſimum eſſent refugium atque receptaculum cum adverſus cœli intemperiem, tum contra facinoroſorum hominum inſultus atque pravas machinationes. Quamvis in ſocietatem coiverint mortales, ut ſibi mutuo auxilium præſtare poſſent; attamen cum ejuſmodi ſocietas compoſita ex multitudine hominum, qui non omnes vitæ integri, ſed mali mixti bonis, propria ſecuritas & tutela ſuadebant, ædificia extrui pro corporis humani receptu ac bonorum & rerum cuſtodia & conſervatione. Ab ejuſmodi vero ædificiorum collatione ſive

 con-

conjunctione in uno eodemque loco ſive territorio, quod certus hominum cœtus ſive multitudo in unum corpus vel ſocietatem coalita occupaverat; petenda denominatio urbis vel caſtri ſeu villæ. Ipſa vero hominum congregatio ſive ſocietas ſeu cœtus & cohabitatio proprie civitas nuncupatur. In eo enim differt *civitas* ab *urbe*, quod Civitas denominatur a civibus & dicitur ipſa hominum civilis ſocietas, ut alibi demonſtravimus *Diſſert. de orig. ſociet. civ.* Urbs autem ædificia amplectitur, adeo ut multa collata ædificia urbem efficiant. Alibi in *Comment. in Hiſtor. Pomp. de orig. jur.* annotavimus, Urbem eſſe dictam ab urvo, aratri curvatura; propterea quod antiqui junctis bobus tauro & vacca more Hetruſco, in urbibus excitandis atque condendis interiori aratro circumagebant ſulcum, & muri ei ſulco inædificabantur, qui urbem, ſcil. ædificia complectebantur. Unde *urbis appellationem muris finiri*, inquit Paulus JCtus *l.* 2. *ff. de V. S.* quod tamen de omnibus dici nequit. Quid enim de his, quæ muris haud circumdatæ? Sparta mœnibus carebat, Xenophon *lib.* 6 *rer. Græc.* Quamobrem *immunitam Spartam* dicit Ovidius *lib.* 10. *Metam.* ita quoque Syracuſæ muris non cingebantur; quorum tamen dum Cicero meminit *in Verr.* 8. de extremis ædificiis intelligit appellationem murorum. Atque, ut annotavit Alber. Gentil. *comment. ad tit. de V. S.* id eſt, quod Paulus JCtus in *l.* 4. 53. *ff. de pen. leg.* urbes fere omnes muro tenus finiri dicit, *fere omnes*. Secundum originem quidem vocabuli, quæ ſine muris ſunt, urbes non dicentur; eas tamen uſus urbes appellat. Urbis autem vocabulo proprie ædificia ipſa ſignificantur. Virgil. *Æneid.*

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago.

Civitatis vero nomine intelliguntur ipſi Cives, atque ipſa hominum congregatio & cohabitatio proprie civitas nuncupatur. Quamvis nonnunquam confundantur, ita ut urbs quandoque pro civitate ponatur, uti apud Virgil. 2. *Æneid.*

Iuva-

Invadunt urbem, ſomno vinoque ſepultam.

Et ſic aliquando civitas pro urbe apud Senecam: *Quum pleraſque civitates viderimus terræ motu funditus collapſas.* Attamen hoc intereſt inter civitatem & urbem, quod Civitas a civibus dicitur, & ipſa hominum ſub uno eodemque ſummo imperio civilis congregatio & cœtus. Urbs autem, ut diximus, ædificia complectitur. Quæ differentia convenit Solonis ſententiæ apud Lucianum in Anacharſi, ubi inquit: *Nos Civitatem, non ædificia illa eſſe exiſtimamus, cujuſmodi ſunt muri, delubra & alia, ſed hæc tanquam corpus quoddam firmum eſſe atque immobile ad receptum & ſecuritatem hominum Urbem incolentium.* Hancque differentiam probat Cicero *lib. 1. de Repub.* cum ait: *Quam cum locis manuque ſepſiſſent, ejuſmodi conjunctionem tectorum, oppidum vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiiſque communibus; omnis ergo populus, qui eſt talis cœtus multitudinis, qualem expoſui, civitas eſt.* Ex quibus perſpicimus civilem ipſam hominum ſocietatem & cœtum Civitatem nuncupari, Urbem vero ædificia ipſa collata ſive conjuncta. Verum, uti diximus, aliquando altera pro altera accipitur, & maxime conſtat exemplis ſtatim allegatis. Frequentius tamen apud probatos linguæ Latinæ auctores, Livium nempe, Ciceronem alioſque claſſicos ſæpius Civitas pro Urbe ponitur. Noſter vero J̄ctus, cum de ædificiis collatis ſermonem habet, proculdubio de urbis ædificatione intelligendus. Quippe hominum congregatio, quam prius adſcripſit juri gentium, præceſſit urbis ædificationem. Primum enim diſcretæ fuerunt gentes, uti poſt diluvium occaſione ædificationis turris Babylonicæ a ſe invicem ad diverſas regiones receſſiſſe annotavimus, & in ſocietates coalitæ, antequam fixas habuerunt ſedes, atque ædificia conferre & conjungere potuere. Ex quorum conjunctione fit urbs, caſtrum & villa, uti diximus. Itaque antequam homines cœtus celebrari cœperunt, non urbes, non oppida fuiſſe dicendum, atqui nec ante nec poſt diluvium genus humanum in cœtus & ſocietates, verum in familias diviſum, (ut alibi notavimus, uſque ad confuſionem labii; ſequitur poſt

 di-

diſperſionem gentium homines ædificia demum conjungere, id eſt, urbes & oppida condere cœpiſſe. Forte quis nobis regerit, a mundi primordio civitates atque urbes condidiſſe mortales; ſacræ enim teſtantur paginæ, primam civitatem Cain Henochi filii ſui nomine condidiſſe parricidio fraterno odioſum. *Gen.* 4. nec dubium quin & deinceps plures conditæ civitates. Verum per illam civitatem, quam condidiſſe Cain ſacræ teſtantur paginæ, non intelligo ejuſmodi civitatem, quam condere atque excitare animum induxerant Noæ poſteri, ex pluribus familiis in unum corpus quaſi coaliti, quippe illa conſpiratio atque conſenſus in idem placitum ſcil. ad ejuſmodi turrim civitatemque collatis ædificiis excitandam, argumentum eſt, diverſas familias, quæ hucuſque ſeorſim habitaverant, conveniſſe in unam eandemque ſocietatem, quæ inter ædificandum divina providentia diſtracta atque diſſociata eſt. Atque veriſimile eſt, unanimi conſenſu conveniſſe, quem, peracto opere, ex illa multitudine ſocietati ſive civitati tuendæ præficerent; adeoque cum ſocietate civili ſive ædificatione civitatis politicum regimen introductum innititur ſocietatis fabrica tanquam ſuo fundamento, & ejuſmodi multitudinem, ſub uno eodemque ſummo imperio & ejuſdem ſocietatis arctiſſimo vinculo, congregatam civitatem, etſi velis urbem, quatenus promiſcue hoc utimur vocabulo, uti annotavimus, nuncupamus. Hoc ſenſu autem civitatem vel urbem Cain condidiſſe dici nequit. Quippe poſtquam parricidium admiſiſſet, *egreſſus eſt a facie Domini, & profugus habitavit in terra ad orientalem plagam Edon.* Egreſſus ſcil. cum ſua duntaxat familia, uxore & liberis, quorum numerus proculdubio admodum exiguus. Huc uſque habitaverat in domo patris & paternæ familiæ membrum; verum cum tam atrox crimen patraſſet, exiit ex loco, quem parentes incolebant, & alias ſibi ſedes quæſivit, & habitavit in terra Nod, non longo intervallo diſſita à ſedibus paternis, in qua civitatem condidit ſibi & ſoboli, quæ non admodum numeroſa eo tempore, quo profugus, & è domo patris exiit. Quamobrem nec veriſimile, multa ab eo collata ædificia, forte unum & alterum condidit ædificium pro numero poſteritatis ſuæ,

cujus

cujus operoſior ſtructura, quam quæ huc uſque inter mortales, ſc. Adami poſteros, cognita; utpote qui humiles caſas vel cavatas rupes ſive tuguria mundi primordio inhabitare ſolebant, urbis ſive civitatis nomen ſortitum. Uti, juxta ea, quæ ad hunc locum notavit vir doctiſſimus Joan. Clericus, Hebræis עיר *hir*, *urbs* dicitur vel unum ædificium a cæteris ſejunctum foſſa aut aliquo ſimili munimento; ita Sionis arx paſſim *urbs Davidis* vocatur 2 *Sam.* 5: 7. Nec mirum cuiquam videri debet, quod Cain cum ſua familia alienam terram quaſi in exilium miſſus, & ab hominum ſocietate atque conſortio, quo in patria fruebatur, orbatus, ſeſe aliquo modo munire voluerit, ſi non adverſus facinoroſorum hominum impetus & pravas machinationes, ſaltem ſecuritatis cauſa a feris & beſtiis, quæ in locis incultis & hominibus vacuis admodum multiplicantur, ſibi & familiæ conſuleret; præterquam quod cum in ſemetipſo expertus fuiſſet hominum naturam ad quæcunque patranda facinora pronam, adeoque verendum, ne interjecto tempore, creſcente incolarum numero, & hominum quoque malitia accreſceret, præmunire ſe animum induxit, conſcientia patrati ſceleris convictus, & timidus adverſus facinoroſorum hominum machinationes & deprædandi proclivitatem, quorum manus violentæ & pedes veloces ſunt ad effundendum ſanguinem, in pejus vergente quotidie recte vivendi diſciplina, juxta illud Horatii,

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Ex quibus perſpicimus, nomen civitatis ſive urbis vix convenire civitati, quam condidit Cain ſibi ſuæque familiæ; adeoque eo ſenſu civitatis nomen, quo ſtatim de ædificatione urbis atque cohabitatione & civili hominum congregatione diſputavimus, haud transferri poſſe ad primam illam totius orbis civitatem, quam Henochi filii nomine exſtruxit Cain. Et proinde haud a veritate alienum, immediate ante

vel poſt gentium diſperſionem regna condita, terminos agris poſitos, & ædificia collata fuiſſe. Huc etiam accedit, quod Moſes, vel qui ex veterum monumentis ſacrum Codicem divino ſpiritu ductus in ordinem redegit atque concinnavit, plurium familiarum in unam eandemque ſocietatem coëuntium conſpirationem & conſenſum ad Turrim altiſſimam, & Civitatem cohabitandi cauſa ædificandam tanquam rem inauditam atque nec ante nec poſt diluvium uſque ad labii confuſionem, a nemine ſuſceptam literis conſignavit. Ad nomen enim ſibi faciendum Turrim illam & Civitatem condidiſſe additur, ſcil. ut nunquam antea ejuſmodi civilis ſocietatis ineundæ ſuſcepti operis primi architecti auctores & inventores apud ſeros nepotes reputarentur. Quod ſi de Civitate cum ratione ædificiorum conjungendorum, tum congregationis atque cohabitationis a Caino condita idem prædicari potuiſſet, fruſtra ſane de nomine ſibi faciendo, atque hac ratione memoriam quammaxime longam efficiendo elaboraſſent; utpote qui non primi auctores & inventores, ſed imitatores duntaxat habendi fuiſſent. Diximus autem, Civitatis ædificationem juri gentium adſcribi, cum enim in finem Civitatem condidiſſe mortales annotavimus, ut ſocietatem civilem tuerentur, & ſaluti ac ſecuritati propriæ quiſque conſuleret; quamobrem, dictante ratione, apud omnes fere gentes, paucis exceptis, domicilia conjuncta & collata ædificia, quas urbes dicimus; hinc juri gentium ædificiorum conjungendorum mos & ratio adſcribitur; quod autem jure gentium competit, licitum eſt, & licite cuique competit; nec enim jus gentium quod a naturali ratione proficiſcitur, quicquam iniquum vel illicitum introducere potuit. Atqui populus ille, qui poſt diluvium Civitatem & Babylonicam Turrim excitare animum induxerat, tanquam rem illicitam ſuſcipiens, ab hujus univerſi conditore prohibitus & labii confuſione cœptum opus perficere impeditus fuit. Quamobrem JCtus noſter perperam videtur inter ea, quæ juris gentium ſunt, recenſere Civitatis ædificationem. Verum reſpondemus, ædificare civitates, turres munitas & præaltas, non ſunt per ſe mala, imo licita & omni jure permiſſa.

Quani-

Quamobrem Deus non punivit ædificationem, ſed faſtum: ſuperbia enim elati erectores turris & urbis in re illicitâ verſabantur, & quaſi conſpirantes contra Deum ejuſque decreta, quæ firma atque nullis mutationibus obnoxia, Civitatem & Turrim, cujus culmen ad aſtra pertingeret, ædificare ſibi propoſuerant; unde merito & ſummo jure prohiberi & ab inſtituto opere repelli debuerunt. *Ædificabant ſibi, non Deo, non Dei, ſed ſui nominis gloriam quærebant. Concurrebant Dei contemptus, & oppreſſio veri cultus. Turrim enim Jovis Beli idolo conſecrabant. Denique diſſipationem propter inſolentiam & tyrannidem a Patriarcha ſibi prædictam ridebant. Quæ omnia erant peccata graviſſima; quæ rem alias licitam illicitam faciebant, Deique iram provocabant*, ut inquit Theologus David Pareus *comment. in Geneſ. cap.* 11. Quemadmodum vero jura civilia non poſſunt tollere ea, quæ ſunt juris naturalis, utpote quæ perpetuam obligandi cauſam habent; ita ſocietas civilis, in quam coaluerunt mortales, non tollit ſocietatem humanam, quam natura introduxit, & recta dictat ratio tuendam atque conſervandam; antequam enim mortales, ſive ſingulæ familiæ, in varias gentes diviſæ, & in diverſas ſocietates coalitæ ædificia conjungere atque urbes condere cœperunt, in ſtatu naturali viventes, ſcil. ſocietatis humanæ (quam *cognationem a natura inter nos conſtitutam* vocat Florentinus *l.* 3. *h. t.*) vinculo ſibi conjunctæ; ita quoque gentes ejuſdem ſocietatis, atque ſingulæ ſocietates civiles ſibi invicem devinctæ eandem tueri ac conſervare, & proinde, dictante ratione, ea præſtandi atque adimplendi officia omnibus neceſſitas impoſuit, quæ ad tuendam illam ſocietatem aliquid conferre poſſunt: nihil autem magis conſervandæ ſocietati humanæ inſervit, quam communicatio utilitatum, ſive omnium rerum, quæ ad vitam commode agendam pertinent. Quamobrem recte JCtus juri gentium adſcribit

Commercium; id eſt libera commeandi contrahendique facultas, ab iis, qui merces ultro citroque convehunt, appellata; a *con* enim & *merces* commercium dictum eſt, quaſi mercium commutatio, quæ, uti diximus, ad hominum ſocieta-

tem

tem fovendam maxime neceſſaria fuit, ut pro rerum & temporum neceſſitate utilia inutilibus permutarent. Mutuæ enim ſocietatis conſervatio non duntaxat dependet a mutua hominum inter ſe conſuetudine, & commutatione officiorum; ſed & permutatione rerum humano uſui inſervientium, qua alter alterius inopiam ſublevare, & indigentiæ ſubvenire poteſt, vitamque tranſigendi rationem commodiorem ornatioremque reddere. Huc ſpectat commercium quaſi a natura introductum. Plato *lib.* 15. *in ſophiſta.* Speciem acquiſitionis, quæ fit inter volentes, dixit eſſe *commutationem, quæ fit dominio, emptione, mercede.* Ceterum cum ita ſingulis rerum dominis libera eſſet & ſit voluntas erga res ſuas, & ſæpe pluribus egeant mortales, quæ apud alios ſunt, aliquibus autem ſuperfluis abundant, quæ aliis commodo & uſui ſunt, vel poſſunt eſſe, ſuaſit eadem ſocietas humana communicationem & viciſſitudinem dandi & accipiendi, quam commercium, quod & converſationem ſeu convictum & mercium ſeu rerum commutationem dicimus, quibus eget humana vita. Hinc commercium quaſi ipſa natura introductum, uti ſtatim diximus, quo contingit, ut omnes fere populi diffluant rebus ad vitam commode tranſigendam neceſſariis. Deus enim non omnia omnibus terræ partibus conceſſit; ſed per regiones bona ſua diſtribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope ſocietatem colerent. Itaque mercaturam excitavit, ut, quæ uſquam nata ſunt, iis communiter frui omnes poſſent. Unde Plutarchus alibi de maris uſu diſputans, *Vitam noſtram,* inquit, *feram alioqui & commerciorum exſortem, hoc elementum ſociavit atque perfecit, ſupplens quod deerat, ope mutua & permutatione rerum ſocietatem amicitiamque concilians.* Hoc autem commercium non duntaxat inter gentes obtinet, verum etiam inter privatos & ſingulos homines, in quocunque enim ſtatu vivunt homines, ſive naturali, ſive civili, haud ſinguli ab omnibus ejuſmodi rebus parati eſſe poſſunt, quæ ad commode vivendum neceſſariæ; præterquam quod omnes eadem neceſſitatis lege conſtricti, ut alter alterius ope carere non poſſit omnino; adeoque dictat naturalis ratio, commercium liberum eſſe oportere, & cuique patere. Quod

tamen

tamen non intelligendum abſque ulla limitatione; quippe poſſunt ejuſmodi caſus exiſtere, quibus publica ſalus atque utilitas ſuadet, ne cum quavis gente commercium colamus, nec etiam omnes fere merces permutemus. Vid. Comment. *in Grot. de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 2. §. 13. *& ſeqq.* ubi hanc materiam ſatis late diſcuſſimus. Antiquiſſimus autem, quique quaſi cum ipſo humano genere ortus, commercii introducendi modus fuit permutatio, utpote per quam ante inventam pecuniam commercia exercebantur; adeo ut Trojanis temporibus adhuc obtinuiſſe teſtetur Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. *Utinam*, inquit, *poſſet è vita in totum abdicari auri ſacra fames, ut celeberrimi auctores dixere, eſt proſciſſum convitiis ab optimis quibusdam, & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciore ævo, cum res ipſæ permutabantur inter ſe, ſicut & Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit. Ita enim (ut opinor) commercia victus gratia invecta. Alios coriis boum, alios ferro captiſque rebus mutaſſe tradit. Quamquam & ipſe mirator auri, æſtimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutaſſe Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum. Ex qua conſuetudine multas legum antiquarum peccare conſtat, etiam Romæ.* Quamvis nullus dubitem, quin multis jam ante ſeculis uſus inventus fuerit, licet forte non apud omnes nationes, quibus magis placuit ſimplex & antiquior commercia exercendi ratio, ſeu quod ipſis non cognitus fuerit pecuniæ uſus, non invaluerit mercis cum pretio commutatio. Joſephus Caino tribuit inventionem pecuniæ & ponderum menſurarumque, *lib.* 1. *antiq. cap.* 4. ubi verba Latino ſermone ita ſe habent: *Augens vero rem familiarem copia pecuniarum, per rapinam & vim congeſtarum, ad luxum & latrocinium ſuos aſſeclas invitans, magiſter improborum inſtitutorum eis fuit; & tranquillitatem quidem, qua homines inter ſe vivebant, menſurarum ac ponderum inventione commutavit.* πλήθει χρημάτων, id eſt, *multitudine* ſive *copia pecuniarum.* Quod tamen de nummis ſignatis non temere affirmandum Viri docti putant, cum vox χρήματα ambigua ſit, & tam κτήματα, hoc eſt, res omnes quæ acquiruntur & poſſidentur, tam mobiles quam immobiles, teſte Xenophonte *in Oeconomico*, ſignificat, quam pecu-

nias ipſas. Quamobrem alii potius ad ætatem Tubal-Cain, qui eſt quintus in linea Cain deſcendens, referendum nummorum uſum ſtatuunt; ipſum enim ſacra Scriptura *Geneſ. cap.* 4. teſtatur, fuiſſe patrem eorum, qui æs & ferrum acuunt, ſive politorem omnis opificii æris ac ferri, vel acuentem, id eſt, *erudientem omnem opificem æris ac ferri*, id eſt, omnem fabrum ærarium ac ferrarium. *Qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri*, ut vetus Interpres exponit. σφυροκόπος; *qui malleo aliquid cudit, qui malleo tundit aut percutit.* Hinc Joſephus ſcribit, eum *artem ærariam primum excogitaſſe.* Unde nonnulli inferunt, veriſimile eſſe etiam ante diluvium, cum adhuc homines ab initio ſegreges diſſipati per agros ſolitariam vitam agebant, nummum ſignatum in uſu fuiſſe, & proinde quoque inter ſe celebraſſe contractus cum emptionis tum venditionis. Quod multo certius affirmari poteſt poſt diluvium inter Noachi poſteros obtinuiſſe. Quippe ſi veterum traditionibus habenda fides, Noach in Italia primus æra ſignavit cum ſecundo in Italiam veniſſet circiter annum ducenteſimum ac ſeptuageſimum ab aquarum inundatione & ſalute ſub Nino III. Rege Babylonio, uti annotavit Math. Hoſtus *Hiſtor. rei num. vet. lib.* 1. ubi addit, Noachum Janum Patrem dictum fuiſſe, propterea quod vineam primus plantaſſet, ut eſt *Gen.* 4. Janus enim dictus ab Arameis *vitifer* ſeu *vinifer*, teſte Beroſo *lib.* 3. & 5. ab Hebræa voce *Jain* יין, quæ *vinum* ſignificat, unde & Græca vox οἶνος & Germanica *Wein* depravata eſſe videtur. Inde & Latinum vocabulum *vinum* deflexum eſt. A Græcis idem Janus οἰνώχρος appellatur, à voce οἶνος. Huc etiam pertinet, quod Janus fingitur bifrons; quia priorem viderit mundum, & illum poſt diluvium. *Patrem* vero appellant, quod generis humani ab aquarum diluvio conſervator ac inſtaurator fuit. Cujus rei memoriam ne unquam deleret vetuſtas, nota æris à Jano, qui Noach fuiſſe traditur, ſignati, in una quidem parte Janus geminus ſeu bifrons, ex altera vero roſtrum navis fuit, teſte Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. Aliter Homeri interpres in 5. *Iliad.* de Jano loquens: *Hic primus invenit coronam, & rates & naves: & nummum æreum primus ſignavit.* *Quocirca multæ urbes in Græcia & in Italia*,

lia, & in Sicilia faciem bicipitem nummo inſcribebant; & ex altera parte aut ratem, aut coronam, aut navem. Sic quoque Ovid. 1. *Faſt.*

> *Multa quidem didici; ſed cur navalis in ære*
> *Altera ſignata eſt? altera forma biceps?*

Et mox,

> *At bona poſteritas puppim ſormavit in ære,*
> *Hoſpitis adventum teſtificata Dei.*

Non dubium eſt, inquit ſtatim allegatus auctor Matth. Hoſtus, *quin Noach, cum mandata daret liberis ſuis ac nepotibus de coloniis in omnes terras deducendis, eoſdem cum aliis multis utiliſſimis monitis, tum vero ratione ſignandi pecuniam quoque inſtruxerit.* Nec etiam à vero aberrare ſtatuit Theologus floрentiſſimus Joh. Henr. Heydeggerus, ut credamus, etiam nummi uſum fuiſſe ante diluvium; verum nec ante nec poſt diluvium uſque ad gentium diſperſionem, ſive potius poſteaquam genus humanum in varias gentes, & proinde quoque ſocietates civiles diviſum, nummum ſignatum in uſu fuiſſe, dicendum mihi videtur; ea ratione motus, quod valor iſte, qui nummo imponitur, ſupponit poteſtatem civilem ſive ſummum aliquod imperium, quod ejuſmodi valorem conſtituere & determinare poteſt, cum eo effectu, ut juxta ejuſmodi valorem cæterarum rerum pretia vulgaria menſurarentur, & commercia exercerentur. Cujuſmodi valoris impoſitio in ſtatu naturali, ſive antequam civiles ſocietates, ſive regna condita ſunt, locum habere non potuit; propterea quod in eo ſtatu homines ſibi æquales alter alterum haud cogere poterat, ut juxta ejuſmodi valoris impoſitionem pretium rei ſuæ æſtimaret, & nummum ſive monetam, cui alter certum valorem impoſuerat, ſuo pro arbitrio juxta ejuſmodi æſtimationem acciperet. Uti nec hodie inter gentes abſque mutuo conſenſu & conventione obtinet, unaquæque gens ſuam propriam habet monetam, cui talem, qualem vult, imponit valorem, qui

 extra

extra territorium jus dicentis ſive valorem imponentis, non attenditur; verum ejuſmodi imperii ſubjectos duntaxat obligat in emptionibus, venditionibus, aliiſque negotiis & commerciis exercendis ad valorem à ſummo imperante impoſitum rerum pretia redigere & æſtimare, adeo ut, qui alieno in territorio quid emat aut vendat, juxta illum pecuniæ ſivè monetæ valorem contraxiſſe, præſumi debeat, quem ibidem ſummus imperans monetæ impoſuit, niſi aliter convenerint partes contrahentes, vel ſtipulati fuerint. Quibus rationibus motus in eam ſum adductus opinionem, nummum antequam mortale genus in varias gentes ſive ſocietates diviſum fuerit, haud fuiſſe ſignatum, uti ſtatim dicere incepimus. Quicquid ſit, ex ſacris litteris perſpicimus, æris ſive argenti ſignati mentionem duntaxat fieri ætate Abrahami, poſtquam jam plurima regna condita, & in diverſas gentes, quæ antea ſeparatim cohabitaverant, coalitæ familiæ, unam eandemque ſummo imperio conſtituerunt ſocietatem. De Abrahamo Scriptura dicit, eum *valde divitem fuiſſe in poſſeſſione auri argentique, Gen.* 12. Poſtquam ex Ægypto in terram Canaan rurſus deſcenderat. Eumque habuiſſe *ſervos pecunia emptos*, *Gen.* 17: 12, 13. Præterquam quod legimus, Abimelechum Regem Abrahamo pro conjuge Sara donaſſe mille *Keſeph*, id eſt, *argenteos*. *Gen.* 20: 16. uti quoque Abrahamus Ephroni offert כסף *argentum* pro agro & ſpelunca duplicata, quæ erat in agro. *Cumque Ephron ei pretium indicaret, quadringentorum Siclorum argenti, appendit Abraham ipſi Ephroni argentum quod dixerat in auribus filiorum Heth, quadringentos ſiclos argenteos tranſeuntes per mercatores. Gen.* 23: 13, 15, 18. Verum cum Abrahamus dicitur appendiſſe argentum, quod daret in ſolutionem agri divenditi, videtur dicendum, nondum ætate Abrahami nummum ſignatum in uſu fuiſſe; quoniam nummus ſignatus ſui valorem ſatis indicat per notam ei impreſſam, cur ponderaretur quod numerari potuiſſet? Quamobrem vir doctiſſimus Joh. Clericus in ſuis *ad Pentateuchum commentariis* ad illum locum, inquit: *Non videntur ſignata pecunia tum uſi, ſed habuiſſe duntaxat laminas aureas & argenteas, quas appenderent. Ex* שקל Schakal, appen-

pendit, *factum eſt* שקל Schekel, *quod cum ex vocis ſignificatione quodvis pondus ſignificare queat, uſu tamen ſemiunciali ponderi, quod* ſiclum *vocamus, attributum eſt: quia forte eo pondere in emendo & vendendo, utpote commodiſſimo, ſæpius utebantur.* Similiter Plinium obſervaſſe notat *lib.* 33. *cap.* 3. cum inquit: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem devictum uſus eſt, liberales (unde etiam nunc libella dicitur & dupondius) appendebantur aſſes. Quare æris gravis pœna dicta & adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia & dependere.* Verum vehementer dubito, num ex eo, quod legimus Abrahamum appendiſſe ipſi Ephroni argentum in ſolutionem pretii, quod pro agro, à ſe empto, expendere debuit, omni exceptione majus argumentum peti poſſit, quo probetur, ætate Abrahami nondum nummum ſignatum in uſu fuiſſe, dum conſtat etiam eo tempore, quo apud omnes fere gentes moratiores, pecunia ſignata in uſu fuerit, ſæpius appendere ſolitum fuiſſe quod numerari potuiſſet; uti etiamnum ſæpius inter mercatores in uſu. Huc pertinet quod apud Ciceronem legimus, *Tanti acervi nummorum apud iſtum conſtruuntur, ut jam appendantur non numerentur pecuniæ.* Solebant veteres pecuniam alicui tradentes eam ponderare, non numerare, atque adeo per pecuniam conſtitutam ſeu pactam alicui numerare & perſolvere. *Matth.* 26: 15. ubi τὸ ἱστάναι (ait Beza) reſpondet Hebræo שקל, ut *Geneſ.* 23: 16. *Exod.* 22: 17. *Eſth.* 3: 9. *Jerem.* 32: 9. Forte & eo tempore non minus atque hodie ſceleratus habendi amor mortalium pectora poſſidebat, adeoque inveniebantur, qui non minori dexteritate & aſtutia pecuniam circumcidendi atque radendi callebant artem atque hodierni Abrahami nepotes, adeoque ad damnum evitandum ponderare atque appendere, quam numerare pecuniam veteres maluerunt; quod nec hodie in deſuetudinem abiit. Scriptores vero Ethnici poſt multorum ſeculorum ab eo tempore decurſum nummos percuſſos ſcribunt. Strabo ſignati æris uſum Phidoni Eleo adſcribit. Ephorus autem literis prodidit, argentum a Phidone in Ægina inſula primum percuſſum eſſe. vid. Strabonem *lib.* 9. & Ælianum *lib.* 12. Hujus ætas incidit in annum mundi

circiter 3050. adeoque annis amplius 70. ante Romam conditam, ſub Porca Sylvio 14. Rege Latinorum. Unde Viri docti hunc Phidonem Abrahamo quidem annis amplius 1120. Joſepho vero in Ægypto plus 900. annis poſteriorem fuiſſe colligunt. Herodotus primos hominum Lydos nummo ex auro & argento percuſſo uſos fuiſſe tradit. Athenienſibus & Lyciis Ericthonium nummum ſignaſſe tradit Julius Pollux *lib.* 9. Alii Naxiis, plurimi Phœnicibus tribuunt. Ælianus narrat, Æginenſes primum inter univerſos Græcos numiſma percuſſiſſe, *lib.* 12. *cap.* 10. Apud Romanos, regnante Servio VI. Romanorum Rege, primum ſignatus dicitur nummus, cum ære rudi antea Romæ uterentur, circiter annum mundi 3388. anno U. C. 176. teſte Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. *Servius Rex* (ut inquit Caſſiodorus) *monetam in ære primum impreſſiſſe perhibetur.* Argentum ſignatum eſt anno U. C. 485. vel ut alii voluit, 484. Aureus vero nummus poſt annum 62. percuſſus eſt quam argenteus; ſcil. anno poſt Urbem conditam 547. vid. Plin. *d. l.* & *lib.* 34. *cap.* 1. ubi videtur ſignati æris uſum a tempore Numæ Pompilii II. Romanorum Regis repetendum, ut auctor eſt Suidas in verb ἀσσάρια. Numam alterum a Romulo Regem Romanorum primum ex ære & ferro factam monetam donaſſe Romanis, cum antea omnes, qui eum anteceſſerant, coriis & teſtis ad eam rem uterentur. Antequam itaque itum fuerit in viſcera terræ, & in intimas terræ partes deſcenſum, ad effodienda ejuſmodi metalla, e quibus pecunia ad commercia magis commode exercenda, percuſſa, permutationem in uſu fuiſſe nulla probatione eget. Atque commerciorum omnia initia a permutatione cœpiſſe, & ab ea manaſſe ceteros contractus aut origine aut quidem certa occaſione cum Viro erudito Connano dicendum nobis videtur; ſic origo emendi vendendique a permutationibus cœpit, ut Paulus ſcribit *l.* 1. *ff. de contr. emp. Olim enim*, inquit, *non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, ſed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat; quando plerumque evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit.* JCtus ſermonem habet de permutatione proprie dicta. Quippe obſervandum, permu-

Digitized by Google

mutationis vocem aliquando latiſſime, nonnunquam minus late, aliquando magis ſtricte ſive preſſius ſumi. Annotavimus alibi, aliquando in latiſſima ſignificatione ſumpto vocabulo quamcunque commutationem denotare, ita ut complectatur omnes tam nominatos quam innominatos contractus, non gratuitos, ut emptionem, locationem, mutuum. Minus late ſumitur pro contractu illo innominato, qui dicitur, *do ut des*. Preſſius vero ſumitur pro ea tantum parte ſubjecta, qua res, quæ non eſt pretium, permutatur pro re, quæ etiam non eſt pretium, ut *equus pro bove*. Vid. Molin. *de juſt. & jur.* Vid. & *Comment. in Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 12. §. 3.* Permutatio autem rei pro re primis temporibus, uti dicere incepimus, maxime uſitata fuit. Verum poſt introductum pecuniæ uſum contractus emptionis venditionis cœpit fieri longe frequentiſſimus; qua id agitur, ut pro certa pecunia rei alicujus dominium aut eidem æquipollens jus adquiratur, & permutationis contractui valde affinis. *l. 2. Cod. de rer. permutat.* Attamen ab eo diſtinguitur, quod in permutatione proprie dicta res pro re datur; at in emptione pretium pro re, *l. 1. ff. de rer. permut. l. 1. §. penult. ff. de contrah. empt.* Tum etiam in eo, quod emptio conſenſu fiat, permutatio rei traditione, *l. 1. ff. de contrah. empt. l. 3. Cod. de rer. permutat.* Et in permutatione contrahentium uterque permutator, in emptione vero alius emptor, alius venditor ſit. Verum quemadmodum permutationem commercii exercendi cauſa apud omnes fere gentes, neceſſitate exigente, invaluiſſe annotavimus, quæ & proinde juri gentium adſcribitur; ita quoque emptio & venditio, quæ, latius ſumpto permutationis vocabulo, ad eam referri poteſt, imo ex proprie dicta permutatione originem habet, eidem quoque juri JCtus noſter recte adſcribit, quemadmodum commercium ex hoc jure, uti dominiorum diſtinctio, emptio, locatio, aliique id generis contractus ad commercium exercendum neceſſarii merito juri gentium adſcribuntur. Quamobrem JCtus rectum in diſputando ordinem ſequens, a commercio tranſit ad emptiones & venditiones.

Emptiones venditiones. Statim annotavimus, permutationem eſſe emptioni valde affinem, juxta Principum reſcripta

l. 2. Cod. de rer. permutat. Verum ejus eſſe ſpeciem, nuſquam in jure legimus. Dicendum potius, emptionem eſſe ſpeciem permutationis; quamobrem paulo ante notavimus, in latiori ſignificatione permutationem complecti emptionem: origo enim emendi vendendique cœpit a permutatione, quemadmodum ſcribit Paulus Jctus ſtatim a nobis laudatus, ſecutus hac in re Ariſtotelem; qui *lib. 5. Ethic.* probat, in ſocietate civili non poſſe fieri rerum commutationem, niſi prius redigantur ad æqualem proportionem; eam vero non facile fieri ex rerum ſubſtantiis, niſi æſtimentur aliquo modo comparabili, qui ſit loco rei, facile poſſit augeri & minui, ut eſt pecunia ſive nummus, qui eſt cæterarum rerum menſura. Quamobrem Plato contendit nummum in Republ. eſſe neceſſarium. Commodiore itaque commercii exercendi ratione efflagitante introducta moneta, quæ publica auctoritate certum valorem haberet, eſſetque pretium ac veluti menſura cæterarum rerum; & ut Ariſtoteles *lib. 5. Ethic.* ait, quaſi fidejuſſor pro commutationibus futuris, quibus quiſque indigeret, quatenus videlicet, dum quis in futurum eam pecuniam obtulerit, quam pro re, qua non egebat, accepit; eas res pro illa accipiat, quibus eguerit. Eo ipſo itaque quo nummus in uſu eſſe cœpit apud pleraſque gentes, contractus emptionis venditionis in locum permutationis ſucceſſit, atque frequentius celebrari cœpit. *Etenim*, inquit Molina, *eo ipſo, quo pecunia fuit introducta, & ipſa aliarum rerum pretii comparatione, & res aliæ comparatione illius, mercium habere comparationem cœperunt, ſimul reſultavit contractus coaleſcens ex duabus partibus diverſarum rationum & appellationum, quarum una eſt commutatio ſeu pactio mercis pro pretio, diciturque venditio, & commutans venditor nuncupatur: altera vero eſt commutatio ſeu paratio pretii pro merce, appellaturque emptio, & commutans emptor.* Atque hic contractus ſpecie eſt diſtinctus a permutatione, tametſi quondam de ea re fuerit dubitatum, quod *lib. 1. ff. de rer. permutat.* explicatur. Quamobrem commutatio rei, quæ non eſt pretium, pro re quæ non eſt pretium, ut bovis pro equo, neque commutatio rei, quæ eſt pretium pro re quæ eſt pretium, ut quando pecunia datur

pro

pro pecunia, dici nequit emptio venditio, verum ſunt contractus diſtincti, adeoque primus dicitur permutatio, alter vero cambium. Vide tamen *Comment. in Grot. de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. *§.* 3. Lex XII. Tabularum Emptionis verbum latius ſumptum omnem alienationem complecti videtur, *l.* 29. *§.* 1. *de ſtatu lib. vid. l.* 23. *§.* 1. *de lib. cauſa. l.* 8. *§.* 11. *quib. mod. pig.* Cujus hanc fuiſſe rationem exiſtimat Connanus, quod veteres omnibus alienationibus ſolennia emptionis adhibebant, ut in hæredis inſtitutione, emancipatione, adoptione, quæ per æs & libram fiebant, ut alienatio rerum omnium emptione fieret aut vera aut imaginaria & adumbrata. Sic cum Cajus *inſtitut. lib.* 2. *de teſtamentis*, ait, Per univerſitatem, hoc eſt, omnia ſimul bona acquirimus hæreditate, emptione, adoptione; emptionis vacabulo omnem contractum deſignavit, quo res alterius facimus noſtras. Et ſic quoque Varro *de Re Ruſt. lib.* 2. emptiones dicit omnis generis alienationes. *Emere*, inquit Feſtus, *quod nunc eſt mercari, antiqui accipiebant pro ſumere ſive accipere.* Emo igitur, quotieſcunque aliquid ἐμὸν, id eſt, *meum facio*, ſive rei dominium acquiram, ſive uſum aut aliam quamcunque commoditatem; ita ut *emere* aliquando idem ſit, quod *conducere*, aut *redimere*; Cic. *in Verr.* 5. Emere decumas, vectigalia, *i. e. conducere* & *redimere à populo.* Emere & redimere etiam locare erat, auctore Feſto; unde *redemptores, qui, tametſi conductores ſint alicujus operis faciendi, quia tamen confecto opere pecunias accipiebant, redemtores vocati ſunt, & emtorum nomine deſignati*, ut inquit ſtatim allegatus JCtus Connanus. Notandum vero, veteres emptionum venditionumque appellationibus promiſcue uſos fuiſſe, *l.* 19. *ff. de act. empti.* Quo ſit, ut & ea quæ eſt proprie actio ex empto, dicatur actio ex vendito, *l.* 26. & *l.* 66. *§.* 2. *ff. de evict.* & contra, quæ eſt ex vendito, dicatur actio empti, *l. unica Cod. ſi ſervus exter.* Plene enim actio empti venditi vel contra dicitur *l.* 33. *ff. de act. empt.* Quamvis ſatis conſtet alium emptorem eſſe, alium venditorem, ut expreſſe Paulus JCtus docuit in *l.* 4. *ff. de contr. empt. Emptor* enim eſt, qui pretium dando rem ab alio accipit, *venditor*, qui rem tradendo

Bb pre-

Digitized by Google

pretium conſequitur, quod ex vi verbi ſatis perſpicimus, cum emptor & emptio à verbo *emo* deſcendant; verbum autem *emo* à Græco verbo ἐμὸν tractum eſt, quod, uti ſtatim annotavimus, *meum facere* ſignificat. Et licet niſi ſimul eſſe nequeant, maxime tamen hæc facta differunt, uti patet ex *d. l.* Quippe quod Cajus dicit, *veteres his appellationibus promiſcue uſos fuiſſe*, ſano ſenſu intelligendum, nec in abſurdum, & à mente JCti alienum ſenſum detorquendum, quaſi emptor fuiſſet dictus, qui vendidit, & vice verſa, qui emit venditor, ut quidam parum recte ſentiunt. Verum JCti ſententia eſt uno verbo, ſive *emptionis*, ſive *venditionis* factum, & totum contractum veteres ſæpiſſime ſignificaſſe, quod & ex inſcriptione hujus tituli, plurimiſque aliis locis conſtare poteſt. Solent autem JCti contractum emptionis venditionis definire, quod ſit *juris gentium bonæ fidei ultro citroque obligatorius, qui conſenſu re & pretio perficitur.* Quemadmodum permutatio, ita quoque emptio venditio juris gentium eſſe recte dicitur. Paulo ante notavimus, emptionem & venditionem à permutatione originem cœpiſſe, adeoque eodem modo eſt introducta, à quo permutatio provenit, ſcil. dictante ratione & humana neceſſitate exigente, tacito quodam gentium conſenſu recepta, ut eo magis neceſſitati & indigentiæ ſubveniri poſſet, cui ſublevandæ ſolam permutationem ſufficere non poſſe dictabat ratio. Præterquam quod rerum uſus docebat, uſum rei nummariæ permutatione rerum longe opportuniorem atque commodiorem eſſe. Quippe beneficio monetæ ſive pecuniæ omnium rerum, quæ in mundo ſunt & eſſe poſſunt, omnium rerum inquam, quas ubique fert tellus, conveniens & juſta poteſt fieri æſtimatio ſeu licitatio; quæ alias per rerum mutationem, ut unuſquiſque ſuum conſequatur, impoſſibile eſt, ut fieri poſſet, una re aliqua ponderanda & æſtimanda ſunt omnia, idque revera indigentia eſt, qua omnia continentur. Etenim ſi nullo egerent homines, aut non eodem modo, profecto aut nullum, aut certe non idem inter eos pactum conventumque interċederet. Sed introductus nummus eſt ex inſtituto, quaſi inopiæ ac indigentiæ præſidio futurus. Nam cum à remotioribus quæreretur auxilium importando illa, qui-

quibus indigebant, & exportando illa, quibus abundabant, neceſſario nummi uſus introductus, & ſic contractus emptionis & venditionis in ſocietate humana, adeoque inter gentes invaluit; adeoque merito juri gentium adſcribitur. Quod ſi cui objicere placeat, emptionem ſine pretio celebrari non poſſe, uti conſtat ex *l.* 2. *§. fin. ff. de empt. & l.* 9. *Cod. eod.* pretium vero in pecunia numerata conſiſtere; pecunia autem ſeu nummus ſine Principis auctoritate cudi nequeat; quod jus adeo adhæret Principi, ut ab eo homini privato ſeu familiæ privatæ condendæ monetæ licentia concedi non valeat, ut notat Bart. *ad l.* 1. *Cod.* Cum ergo pecunia non, niſi Principis auctoritate & ſtatuto, fabricari & cudi poſſit, ad jus civile referendum videtur; cujus juris ſunt Principum placita & decreta; atque ita probari videtur, quod emptio & venditio, quæ, uti diximus, ſine pretio, & proinde ſine pecunia, in qua pretium conſiſtit, eſſe nequit, magis ad jus civile quam gentium pertinet contractus emptionis venditionis. Paulo ante notavimus, non veriſimile nobis videri, ante diſperſionem gentium, ſive antequam ſingulæ familiæ in diverſas gentes vel ſocietates civiles coivere, adeoque ante condita regna ſive ſummum aliquod imperium conſtitutum, quo certum nummo valorem poſſent imponere, juxta quem ſubjecti & cives res omnes, quæ in commercio ſunt, æſtimarentur, pecuniam ſive nummum fuiſſe in uſu ob rationes ibidem allegatas. Verum qualis hæc illatio ſive conſequentia, nummi uſus ſummo imperio civili introductus, ergo contractus emptionis, qui abſque pretio adeoque pecuniæ uſu celebrari nequit, juri civili potius quam juri gentium adſcribitur. Imo vero ejuſdem naturæ & originis eſt, cujus eſt Imperium civile ſive Regna & Principatus, id eſt, juris gentium: nulla enim gens adeo barbara, quin ſuum regimen habeat politicum. Quemadmodum à coalitione diverſarum gentium ſub uno eodemque imperio Regnorum incunabula petenda, eaque quaſi communi conſenſu introducta, dictante ratione, nullam hominum ſocietatem abſque imperio diu poſſe conſiſtere, ita quoque eadem dictabat ratio, ſocietatis conſervationi admodum neceſſarium eſſe commercium, commer-

 cium

cium vero haud commode exerceri poſſe abſque nummi uſu, quo, uti diximus, omnia ponderantur & menſurantur, & proinde eo facilius poſſent comparari res omnes, quas ubique fert tellus, non duntaxat quæ ad vitam tuendam, verum etiam commode & beate tranſigendam neceſſariæ ſunt. Hoc enim ut aliquid juris gentium eſſe dicatur, communis gentium conſenſus & approbatio, ratione naturali ad id impellente, ſpectari debet, atque hujuſmodi eſt emptio. Non inficior, antequam homines in diverſas gentes, & proinde quoque ſocietates civiles coaluerunt, adeoque ante civilem conſtitutam ſupremam poteſtatem, nummi uſum invaluiſſe, adeoque nec emptionis & venditionis contractum celebrari inter homines veriſſimum eſſe; quippe valorem nummo imponere ſupremæ Majeſtatis, ſive ſummi imperii eſt, & proinde quatenus ejuſmodi valoris imponendi facultas nemini competit, niſi qui ſummum ſua in Repub. ſive ſocietate civili imperium tenet, quamobrem ejuſmodi impoſitio eatenus poſſet eſſe juris civilis; attamen quatenus dictante ratione apud omnes fere gentes nummi uſus invaluit & approbatus, & deinceps quoque emptio & venditio interveniente pretio ſive nummo ab omnibus gentibus communi ratione & utilitate probata fuit, recte juris gentium eſſe dicitur. Jus gentium nuncupamus, uti ſtatim diximus, quod ratione naturali dictante cum unanimi cunctarum gentium conſenſu introductum, adeoque quod præſens futurumque ſeculum intulerit, quod communis hominum conſenſus recipiat naturali ratione inter omnes ſic conſtituente, id utique juri gentium cum Pinello aliiſque juris gentium peritis adſcribendum ſtatuo. Quod tamen hac cum limitatione alii accipiendum eſſe non abſque ratione accipiunt, videlicet, dummodo prius aliqua juris civilis conſtitutio ſeu lex ſuper illud non emanaſſet: quod enim, ajunt, juris civilis conſtitutione prius conditum & ſtabilitum fuit, licet id poſtea ratione naturali impellente communis hominum conſenſus recipiat, ad jus civile nihilominus referetur, à quo originem traxit, quam hac in re, ut alias ſæpe ſpectamus; ſicut & contra, quod jus gentium prius introduxit, & ſi poſtea ſuper illud civiles Principum conſtitutiones

tiones aliquot ferantur, non ideo magis juris gentium, cujus eſt origine, eſſe deſinit. Quemadmodum contractus emptionis venditionis unicus fons & origo juris gentium, ita quoque dictat eadem ratio, ut in ejuſmodi contractu celebrando bona fides elucere debeat; nec aliter civilia jura *l.* 3. *Cod. pro ſoc. l.* 5. *de reſcind. vendit.* quamobrem nullus poteſt eſſe locus dolo aut malitiæ vel fraudi, uti Tullius id oſtendit 3. *offic. Quid ergo aut in eo quod æquius melius eſt, poteſt ulla pars ineſſe fraudis; aut cum dicitur, inter bonos bene agier, quicquam agi doloſe aut malitioſe poteſt. Naturali itaque rationi, tum etiam juri civili conveniens ſit, ut in omnibus contractibus & negotiis, quæ inter homines peraguntur, bona fides locum habeat, adeoque ex rebus contrahendis omnis dolus, omne mendacium tollatur,* ut inquit Cicero 3. *offic.* Quamvis jus civile aliquam differentiam conſtituiſſe videatur inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris; hæc differentia magis pertinet ad ordinem judicii, ſive ad judicis in judicando, ſi qua inter contrahentes ex contractu orta controverſia, poteſtatem, quam contrahendi actum, ut ita dicam, ſive ad contractum juri gentium & æquitati convenienter celebrandum. Quippe abſque differentia & exceptione bonam fidem in omnibus contractibus conſiderari æquum eſt, *l.* 4. *Cod. de oblig. & action.* Poſſumus quidem juri communi ſive naturali vel gentium, quod hac appellatione venit, aliquid addere vel detrahere, verum tollere haud poſſumus, imo vero jus civile innititur tanquam baſi ac fundamento ſuo juris naturæ principiis. Quamobrem Imperator Juſtinianus ſuis Inſtitutionibus hæc tria juris præcepta inſeri voluit, ſcil. *honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*, tanquam finem; ad quem omnes leges civiles & univerſum jus Romanum referendum & applicandum ſtatuit; ita ut jus naturale ſive rectæ rationis dictamen ſit quaſi anima juris civilis, cujus ad exemplar componi & conſtitui debet. Qui ſocium dolo circumvenit quocunque in negotio vel contractu, nec honeſte vivit, nec ſuum cuique tribuit, verum eum maxime lædit, adeoque non duntaxat jus naturale, ſed etiam jus civile violat, quatenus hæc tria juris præcepta jure civili tolli ne-

nequeunt; verum in omnibus negotiis, quæ inter homines peraguntur, & in omnibus contractibus, qui celebrantur, locum ſibi vindicant, & regula & norma ſunt agendorum. Ex quo perſpicimus, omnem dolum, fallaciam, deceptionem, quia ſocius, quocum nobis res eſt, inde detrimentum ac damnum patitur, prohiberi & vetari. Quamobrem diſcrimen illud, quod in foro civili inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris vulgo ſtatuitur, ſcil. quod dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, eum ipſo jure nullum reddit, quod in contractu ſtricti juris ſecus eſſe dicunt leges civiles, non eo ſenſu interpretari oportet, quaſi virtutem illam *integræ fidei*, ut dicitur in *l. 1. Cod. de ſuffrag. ſynceræ fidei. l. 2. Cod. ſi propter publ. neceſſ.* in contractibus ſtricti juris magis abeſſe poſſet, quam in bonæ fidei contractibus; quippe, uti paulo ante notavimus, hoc requiſitum cunctis tribuitur contractibus, *l. 59. §. 1. ff. mandati.* Habetur equidem in ſtrictis actionibus ratio juſti atque honeſti, *§. 23. inſtit. de inutil. ſtipul.* at non adeo largiter ac in bonæ fidei judiciis, ubi effectus ejus ſunt largiores. vid. clariſſimum Huberum *Inſt. de action.* Contractus enim ſtricti juris non opponuntur bonæ fidei contractibus, quaſi illi malæ fidei eſſent, quoniam, ut diximus, mala fides ſeu dolus malus non jure gentium ſive naturali duntaxat, verum etiam jure civili ab omnibus contractibus & conventionibus abeſſe debet, adeo ut etiam in contractibus ſtricti juris bona fides, id eſt, bona mens inſpiciatur. Adeoque non videtur hujus differentiæ rationem Ameſius intellexiſſe, dum putat hanc contractuum diviſionem accuratam non eſſe, eamque tanquam à dictamine rectæ rationis alienam nigro calculo notavit in ſuo *de Conſciemtia* libello *lib. 5. cap. 42. n. 22. Quoniam*, inquit, *in bona fide præcipua pars contractuum natura conſiſtit, adeo ut ſit interna & eſſentialis forma omnis contractus.* Quod eatenus veriſſimum, quatenus omnis contractus, dictante ratione, bona fide, tanquam ſuo fundamento niti debeat, adeoque ut nec jus civile dolum in cujuſvis generis contractu unquam probet nec admittat. Verum, uti paulo ante notavimus, eatenus a bonæ fidei contractibus diſtinguuntur ſtricti juris contractus, quatenus beni-

nignam ex æquo & bono interpretationem non admittunt; ſed figuram verborum ſequuntur, & juris ſubtilitatem amplectuntur. Quamobrem Wiſſembach. *diſput.* 45. *n.* 54. *ignoſcendum*, ait, *Theologo ſtatim allegato*, *qui*, *quod non didicerat*, *obelo confodere properavit. Norunt vel tyrones*, *bonam fidem hic non opponi dolo malo*, *ſed adſtrictæ judicis poteſtati*, *qui intra ſepta conventionis ſe continet*. Si qua igitur inter contrahentes ſive ex contractu bonæ fidei ſive ſtricti juris oriebatur controverſia ac lis movebatur, Prætor, olim ſtante Romana Repub. judicium dabat, judicibus a ſe datis qui de controverſia cognoſcerent, jus dicebat, quod ſequerentur in judicando, & veluti formulam deſcribebat, a qua recedere non poſſent. Quod ſi forte talis erat cauſa, in qua magis ex ipſius rei circumſtantiis judicandum eſſet, quam certi aliquid præſcribi poſſet; multo laxiorem liberioremque poteſtatem formulæ Prætoris judicibus tribuebant; atque ita judicium concipere ſolebat Prætor: SI PATET TITIUM EX VENDITO CENTUM SEJO DARE OPORTERE, CAJUS JUDEX EX BONA FIDE CONDEMNATO. Adeoque judicia bonæ fidei dicta videntur, in quibus Prætor illud adderet, EX FIDE BONA. Huc referendum, quod Scævola Pontifex Max. uti teſtatur Cic. 3. *offic.* ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur *ex fide bona*; fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis; quibus vitæ ſocietas continetur: in his magni eſſe judicis ſtatuere, (præſertim, cum in plerique eſſent judicia contraria) quid quemque cuique præſtare oporteret. Contra vero in ſtricti juris judiciis judex conſtringebatur intra cancellos formulæ Prætoriæ, adeo ut ne latum quidem unguem ab ea recedere fas eſſet, quantumvis æquum alioquin videretur. Diſcrimen itaque inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris potiſſimum in eo conſiſtit, quod in illis poſſit judex plus extendere judicium ſuum ad id, quod æquitas inter contrahentes poſtulat; in ſtricti juris contractu longe minus, ſed verbis ac diſpoſitioni contrahentium adhærere debet, quantum juſtitia patitur. Cur ve-

vero in illis potius, quam in hiſce judici largior interpretatio conceſſa? Reſpondendum cum DD. videtur, quod illi frequentiores ſint, *atque vitæ ſocietas ejuſmodi contractibus contineatur*, ut ait Cicero. Maxime vero in hoc contractu pro ſubſtantia requiritur contrahentium conſenſus, eoque interveniente, contractus perfectus cenſetur, cujus rationem, tradit JCtus *in l.* 1. *§.* 2. *ff. de contrahend. empt.* ſcil. quia eſt juris gentium. Qua item ratione locationem & conductionem conſenſu contrahi, ſicut emptionem & venditionem tradit idem JCtus in *l.* 1. *ff. locat.* Nec obſtare videtur, quod in *l.* 7. *ff. de pact.* etiam innominati contractus dicantur eſſe juris gentium, & tamen illi non ita conſenſu peraguntur, ut aliqua ex eis ante rei implementum obligatio naſcatur, *d. l.* Quod etiam in permutatione, quæ juris gentium eſt, & emptione longe antiquior; præterquam quod & nominatorum juris gentium nonnulli contractus ſunt, in quibus obligationes re contrahi dicuntur, adeoque ſolo conſenſu haud perfici videantur, ut in mutuo, commodato, depoſito & pignore contingit, qui ſpecialem titulum ſortiti, *lib.* 3. *Inſtit. quibus modis re contrahit. obligat.* Dicendum enim, Paulum JCtum, dum ait, propterea quod juris gentium ſit emptio, conſenſu peragi voluiſſe docere, ſcripturæ aut verborum ſolennia ad hunc contractum celebrandum atque perficiendum neceſſaria haud eſſe; quia juris gentium contractus eſt, quo ejuſmodi ſolennitates nec introductæ ſunt nec notæ; ſimplex enim juris gentium contrahendi modus, ſolennitates ad actum aliquem peragendum juris potius civilis inventum eſt; juris civilis multi ac varii caſus, in quibus ſcriptura neceſſaria antequam perfectum, quod actum eſt, ut eos recenſent paſſim DD. Quemadmodum ſtipulatio ſine verbo confici nequit, conſenſu quidem perficitur vero non ſimplici ac nudo, uti contractus emptionis, verum verborum ſolennitate veſtito. Hæc autem ſive ſcripturæ ſive verborum ſolennia jure gentium haud nota, verum ſimplex ac nudus duntaxat conſenſus requiritur, quamobrem emptio, quia juris gentium eſt, conſenſu peragitur, & inter abſentes contrahi poteſt, & per nuntium & per litteras; adeoque ſufficit conſenſum quomodocunque ſigni-

ſignificaſſe, *d. l.* 1. *§. ult. ff. de contrahend. empt.* adeoque ſcripturæ aut verborum ſolennitates alias neceſſarias non eſſe affirmat Jctus. Quod autem hoc docere intendit Jctus, patet ex *l.* 1. *ff. locat.* ubi inquit: *Locatio conductio cum naturalis ſit & omnium gentium, non verbis ſed conſenſu contrahitur, ſicut emptio & venditio;* innuens in jure gentium contractibus ſolennitatem verborum neceſſariam non eſſe, quemadmodum in ſtipulatione, quæ juris civilis conventio eſt. Quaſi diceret vellet, ſolennitatem verborum in contractibus juris gentium non neceſſariam eſſe, quemadmodum in ſtipulatione, quæ juris civilis conventio eſt. Neque hanc interpretationem alienam eſſe à mente & ſenſu Jcti, probari poſſe videtur ex *l.* 2. *ff. de oblig. & act.* ubi Jctus Julianus ſermonem habens de obligationibus, quæ conſenſu fiunt, ait; *Ideo autem iſtis modis conſenſu dicimus obligationem contrahi, quia neque verborum, neque ſcripturæ ulla proprietas deſideratur, ſed ſufficit, quia negotia gerunt, conſentire.* Ex quibus perſpicimus, conſenſum apud Jctos, ibi neceſſarium, alias verborum & ſcripturæ ſolennitates excludere in ejuſmodi obligationibus, quæ ſua natura conſenſu perficiuntur. Atque non à vero aberramus, ſi ſtatuamus, ita vere ac proprie intelligendum eſſe Paulum, dum conſenſus meminit, in locis à nobis adductis, ſcil. ut illius meminerit ad excluſionem ſolennitatis alterius in emptionis & locationis contractibus. Atque id ipſum non tantum locum habet in emptione & locatione, verum cum omnibus conventionibus juris gentium nominatis & innominatis commune eſt, tam earum, quarum obligationes fiunt conſenſu, quam quarum obligationes re contrahuntur; omnes enim conventiones & contractus, qui ex jure gentium deſcendunt atque proficiſcuntur, conſenſu fiunt & celebrantur abſque ſolennitate verborum atque ſcripturæ, etiamſi in omnibus non æque ex ipſo conſenſu naſcatur obligatio; eaque vera eſt ratio, quam Jctus ſcripſit in *d. l.* 1. *ff. de contrah. empt.* & emptioni ac locationi, de quibus diſputat, convenit. Itaque uti DD. ajunt, quod ex ea ad cæteros ex jure gentium proficiſcentes contractus infertur, verum quidem eſt; infertur autem, omnes fieri conſenſu, abſque aliqua ſcri-

pturæ vel verborum ſolennitate; quippe, uti dictum, in juris gentium contractibus ejuſmodi ſolennitates requiruntur. Atque hoc eſt quod Jctus ex locis adductis intendit probare, conſequentia legitime deducta: verum non probat, nec etiam ex ratione, quam allegavit, infertur, quod in omnibus conventionibus juris gentium, nudus conſenſus, qui ſufficit ad contractum celebrandum, ſufficiat quoque ad pariendam ſive producendam ex eo obligationem & actionem; quippe in dictis Jcti reſponſionibus de obligatione & actione conſenſu oriunda altum ſilentium: verum verba duntaxat reſpiciunt ipſum contractus celebrandi & perficiendi actum, (qui facti eſt) non vero obligationem & actionem inde ortam. Diſtinguendum enim inter ipſam contractus celebrationem, & ex facto & celebrato contractu obligationem & actionem provenientem, quod juris eſt, ſive jus, quod ex contractu naſcitur & deſcendit; uti aliud eſt contractus, aliud effectus, qui ex contractu naſcuntur. Quod ad celebrationem, omnes juris gentium contractus conveniunt, quatenus omnes fiunt conſenſu & perficiuntur; verum in eo differunt, quod non æque omnes ſimul atque factæ & celebratæ ſunt, effectus ſuos producunt, ſcil. obligationes & actiones pariunt. Contractus vero emptionis ejus naturæ eſt, qui conſenſu nudo atque ſimplici, ut dicere incepimus, perficitur jure gentium: eo quippe jure ſimplex ac purus conſenſus pro ſubſtantia requiritur in contractu emptionis venditionis. Relicta tamen contrahentibus facultate aliter conveniendi, ſcil. ut non alias quam in ſcriptura valeat contractus emptionis, quo facto ante ſcripturam de illo confectam licet contrahentibus pœnitere & à contractu reſilire. Nec obſtat, quod partium conventione vel ſtipulatione effici non poſſit, ut emptio abſque ſcriptura non valeret; quippe ea, quæ ſunt ſubſtantialia contractus, privatorum pactis haud tolli poſſunt. Pacta enim ipſa contra ſubſtantiam contractus appoſita non valent, uti in jure manifeſtum. Quamvis enim ſcriptura ſive publica ſive privata, non ſit de ſubſtantia contractus emptionis & venditionis, nec pro ſolennitate illius requiratur, uti notavimus, attamen non repugnat naturæ ſive ſubſtantiæ contractus emptio-

ptio-

ptionis & venditionis, ut conſenſus contrahentium, qui de illius ſubſtantia eſt, ſcriptis declaretur, quamobrem etiam per literas contrahi poſſe ſcribit JCtus in *d. l.* 1. *ff. de contrah. empt.* & *l.* 2. *ff. de obligat. & action.* Quamobrem quoties contrahentes conveniunt, ut conſenſus ad emptionem & venditionem, quam celebrare animum induxerunt, in ſcripturam redigatur, contra contractus ſubſtantiam non paciſcuntur, verum ejuſmodi pactum nihil aliud operatur, quam ut eorum conſenſus ad contractum perficiendum requiſitus, non alio modo præſtitus intelligatur, quam ſi ſcriptis declaretur. Nec ejuſmodi conventio repugnat ſubſtantiæ contractus, verum illi potius convenit; quippe ea nihil aliud operatur, quam ut ex ſcriptura pateat, conſenſum, qui ad contractum celebrandum requiritur, eo modo interveniſſe, quo partes contrahentes convenerunt, & proinde ejuſmodi pactum adjectum non repugnat ſubſtantiæ contractus. Verſatur autem conſenſus circa rem & pretium tanquam ſubjectum, de quo inter partes contrahentes agitur; quippe abſque re & pretio nulla poteſt fingi vel excogitari: ſine re enim, quæ veneat, nec emptio nec venditio contrahitur, *l.* 8. *ff. de contrah. empt.* Quamobrem in emptionibus tria ſubſtantiam conſtituunt, quæ neceſſario requiruntur, ſcil. *res*, *pretium* & *conſenſus*, *l.* 2 §. 1. *l.* 8. *l.* 72. *ff. de contrah. empt.* Res in materia *merx* dicitur, *l.* 1. *ff. de contrah empt.* ſcil. res vendibilis, quamobrem meretrices *mercatæ* dici ſolent, quæ pretio ſe proſtituunt, & pudicitiam vendunt, *l.* 5. *Codic. de condict. ob turp. cauſ.* Merx itaque id, quod venale eſt, ſive res ſeu ſpecies ipſa, quæ emitur, venditurque. Eo ſenſu Germanis *merx* eſt **wahre**; quo nomine apud nos quoque venit res ſive ſpecies venalis. Et quidem res omnis, quæ alienari non prohibita, quam in patrimonio noſtro habere quamque poſſidere poſſumus, adeo à commercio non eximatur, vel à naturali vel gentium vel jure civili, *l.* 34. §. 1. *ff. de contrah. empt.* nulla habita ratione, an ſint mobiles vel immobiles, ſive corporales ſive jura ſint, uti videre eſt *Cod. tot. tit. de hæred. vel vend.* Non me fugit, quoties in jure vel alia diſpoſitione fit mentio *mercium*, intelligi diſpoſitionem

Cc 2 de

Digitized by Google

de rebus mobilibus, ut vino, oleo, frumento, & id genus aliis rebus mobilibus, arg. *l. ult. ff. de condict. tritic.* atque Ulpianum JCtum *mercis* appellationem ad res mobiles tantum pertinere *l.* 66. *ff. de verb. ſignific.* reſpondiſſe. Quippe, etſi generaliter id verum eſſe videatur, quoties mercium mentio fit; cur non ex nominis extenſione etiam res immobiles mercis appellatione venirent, cum, uti ſtatim annotavimus, merx denotet omne id, quod venale eſt, quod in commercio eſt, quod emi ac vendi poteſt, quatenus merx ſignificat in contractu emptionis & venditionis rem vendibilem; rei enim nomen generale eſt, ita ut, per latam & generalem verbi appellationem omnes res, cujuſque naturæ ſint, modo commercio hominum non exemptæ, omniaque bona, quæ tenere & poſſidere poſſumus, intelligamus; atque hoc ſenſu venit in *l.* 8. *ff. de contrah. empt.* adeo ut merx, quoties in contractu emptionis ſumitur, pro re vendibili tam ad res mobiles quam immobiles pertineat; quamvis mercis appellatione non contineri ſervos Africano placuerit ex Melæ ſententia. Quamobrem non mercatores, ſed venalitii dicuntur illi, qui vendunt, *l.* 207. *ff. de V. S.* & *l.* 1. *Cod. de tribut. act.* verum tamen ex nominis extenſione venalitiariam vitam exercentes etiam mercatores dici poſſe receptum eſt, & ſervos venales ex latiori interpretatione in merce eſſe, perſpicimus ex *l.* 73. §. 4. *ff. de legat.* 3. *l.* 1. §. 1. *ff. de tribut. act.* Item licet pecunia mercis appellatione non contineatur, quod aliud ſit merx, aliud ſit pretium; attamen ſi merces, quæ ſunt in navi, fiſco addicantur, propterea quod non ſint profeſſæ, vel debitum & impoſitum vectigal non ſit ſolutum, cadit in commiſſum quoque pecunia, quæ una cum mercibus reperitur, uti Baldus commentatur in *l.* 3. *Cod. de naut. fœnor.* utique ſi domini navis fuerit pecunia, aut alterius qui delicti conſcius eſt; ita ut pro variis circumſtantiis mercis nomen vel ſtrictiorem vel latiorem recipiat interpretationem atque extenſionem. Tertium ſubſtantiale, ut ita dicam, requiſitum eſt pretium: quemadmodum enim nulla ſine re emptio & venditio; ita quoque ſine pretii conventione conſiſtere non poteſt, ut ait Ulpianus *l.* 2. §. 1. & *l.* 9. *ff. de contrah. empt.*

empt.

empt. ita proprie emptionem pretium arguit. *l.* 3. *Cod. de prædiis decurion. non alienand.* Eſt autem pretium *certa pecunia numerata*, *qua res æſtimatur & emitur*, *l.* 1. *ff. de permutat.* oportet vero pretium conſiſtere in pecunia numerata, adeo ut ſine nummis facta proprie emptio dici nequeat, *l.* 1. *§.* 1. *ff. de contrah. empt.* Atque hac potiſſimum nota a contractu innominato permutationis, cui valde affinis emptio, differt; cum in permutatione res pro re detur, ut alibi annotavimus, at in emptione pretium pro re, *l.* 1. *ff. de rer. permut. l.* 1. *§. penult. de contrah. empt.* Quod ſi partim pecunia, partim res alia pro re detur, videndum utrum contrahentes habuerint animum emptionem venditionem contrahendi, an permutationem, arg. *l.* 7. *§.* 11. *ff. de pact.* de quo ſi non conſtet, videndum quid prævaleat. Si res permutatio erit, ſi pretium erit emptio venditio, *l.* 6. *Cod. de pact. int. empt. & vend.* Quid ſi neutrum prævaleat, ſed utrumque æquale ſit? Volunt nonnulli, in dubio potius permutationem, quam emptionem venditionem contractam, præſumendum eſſe, arg. *l.* 1. *ff. de Æſtimat. act.* quia permutatio antiquior eſt emptione. Verum mihi potius in dubio præſumendum videtur contrahentes animum habuiſſe celebrandi contractum emptionis, utpote qui hodie non duntaxat longe frequentior, ſed etiam firmior eſt. Inſuper pretium in emptione certum conſtitui debet, idque vel per ſe, vel per relationem ad aliud, velut *quanti empta eſt res*. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de contrah. empt.* vel in liberum arbitrium tertii conferri poteſt, & valet contractus venditionis ut conditionalis, uti ajunt DD. ita ut, ſi æſtimaverit, juxta æſtimationem illius pretium perſolvatur, eo autem non æſtimante, vel quia noluerit vel non potuerit, irrita fit emptio, ut pretio deſtituta, *l. ult. Cod. de contrah. empt. §.* 1. *Inſt. eod. l.* 25. *ff. locati.* debet ille tertius, cujus in arbitrium confertur pretium, certus eſſe; quippe ſi incertus, pariter non valet venditio, *d. l. fin.* excepto caſu *l.* 16. *§. ult. ff. de pign. & hypoth.* ſtandum vero omnino ejus æſtimationi, *§.* 1. *Inſt. de empt. vend.* modo non fuerit admodum & evidenter iniqua, quæ alias ad arbitrium boni viri, i. e. judicis, *l.* 18. *ff. judicat. ſol.* reduci-

 tur

Digitized by Google

tur atque corrigitur *l. 77. ff. pro ſoc.* Haud enim præſumendum, contrahentes conſentiendo in arbitrium tertii immodice ſe voluiſſe obligare, verum tertium juxta id, quod æquitas & juſtitia dictat, arbitraturum, ſibi perſuadentes quaſi ea ſub conditione ejus in arbitrium conſenſerunt. vid. *l. 30. ff. de oper. libert.* Nec obſt. verbum *omni modo* in *d. §. Inſt. de empt. vend.* *Quippe*, ut inquit Frantzius, *verbum* omni modo *in eo §. civiliter exaudiendum eſt, ut ſcil. caſus nimiæ inæqualitatis, quo dolus aliquando*, *pretium vero certum juſtum quoque eſſe debet, æquum & legitimum, id eſt, non omnino excedens rei valorem, l. 66. ff. de legat. 1. Pretium enim ad æquandum valorem mercis adjectum eſt emptioni l. 1. ff. de contrah. empt. quoniam pretium nihil aliud eſt, quam rei emptæ æqua æſtimatio & penſatio, adeoque oportet rei eſſe proportionatum.* Tantum autem res valet, quantum abſque fraude, dolo atque fallacia & injuria emptor conditionem ejus ſcienti vendere poteſt. Quod ſi autem pretium conventum, dimidia valoris rei emptæ minus ſit; venditor ultra dimidiam læditur, & ſi res empta valeat minus dimidia pretii conventi emptoris læſio dimidiam excedit, cujuſmodi pretium haud juſtum dici poteſt, & proinde læſionem, quam, ſive venditor ſive emtor hac ratione patitur, leges vindicant. *l. 2. Cod. de reſcind. vend.* Quamvis naturaliter liceat contrahentibus ſe naturaliter circumvenire *l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. ff. loc. cond. l. 8. Cod. de reſcind. vend.* De ejuſmodi enim circumventione JCtus Pomponius ſermonem habet, quæ non enormem & ultra dimidium pretii læſionem importat, quæ non conſiſtit in nimia inæqualitate. Per verbum *circumvenire* intelligimus quod pluris ſit minus emere, & quod minoris ſit pluris vendere; talis circumventio ſive circumſcriptio naturaliter licita & conceſſa: nulla enim conventio ſecuritatem præſtaret, nunquam litium eſſet finis, ſi ob aliqualem læſionem in pretio, conventa revocarentur. Huc facit *l. 6. ff. de except. re. judicat.* Tendit ergo hæc læſio, & ad quærendum victum ſeu domus cujuſque ſuſtentationem & ad quietem Reipub. naturaliter igitur licita, cum & honeſta & juſta ſit. *Nec pretii inæqualitas, quæ ex hac circumventione naſcitur, juſtitiæ com-*

commutativæ adverſatur: licet enim ex illius juſtitiæ præcepto circa commercia arithmetica ſit ſervanda proportio, ea tamen non excluditur lucrum modicum & honeſtum. Nam ſi rem emptam majori pretio vendere non liceret, nulla eſſet compenſatio periculi, quod venditor emendo in ſe ſuſcepit, uti diſſerit D. Andreas van der Muelen, dum viveret, D. de Niecop. &c. Curiæ Brabantiæ Senator, *Tract. de For. Conſcient.* *P*. 3. *Q*. 1. Interpoſito autem, uti annotavimus, conſenſu ſuper merce & pretio, ſtatim perfecta eſt venditio, ita ut ab ea recedi nequeat, ne arrharum quidem diſpendio, *§*. 1. *Inſt. de empt.* niſi convenerit ut in ſcripturam redigatur, & aliquid adhuc agendum ſuperſit. *l*. 7. *Cod. de inſtrum.* vel alia quædam conditio emptioni adjecta, quæ pœnitentiæ locum dare poſſet. Verum quamvis conſenſu interpoſito citra aliquam conditionem contractus emptionis perficiatur, attamen nondum conſummatus: oportet enim, ut ad conſummandum contractum accedat ex parte venditoris rei traditio, ex parte vero emtoris pretii ſolutio. *Simpliciſſimum eſt*, ut inquit Pufendorfius, *ut, contractu perfecto, ſtatim ſequatur ejus exſecutio*, ſive ſtatim conſummetur, ſcil. ubi de pretio convenit, emtor hoc tradito mercem accipiat. Quod olim dicebatur *Græca fide mercari*, unde apud Plaut. *Aſinar. act.* 1. *ſcen.* 3. *verſ.* 47. cum inquit:

Cætera quæque volumus uti, Græcâ mercamur fide.
Quum a piſtore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem. Eadem nos diſciplina utimur.

Ad quem locum Taubmannus, *Græca fide dicitur ſolvi, quod præſenti pecunia ſolvitur; Græca itaque fide mercari, eſt repræſentata pecunia mercari.* Unde idem Auctor:

Semper oculatæ manus ſunt noſtræ, credunt quod vident.

Sicuti Plato *de LL. lib.* 11. ſua in civitate conſtituit, *Quæcunque emendo & vendendo commutantur, in ſtatuto fori loco permutentur dando accipiendoque ultro citroque rem, & pretium*

Digitized by Google

tium illico nec alicubi alibi. Nulla vero emptio venditioque ad terminum fiat. Atque ex natura hujus contractus profluit obligatio, ut res emptori tradatur, pretium venditori; quamobrem hac ratione naturaliter contractui emptionis ineſſe dicuntur *l.* 11. *§.* 1. & 2. *ff. de act. empt.* id eſt, jus gentium, ſive recta ratio dictat, contrahentes ſibi invicem devinctos eſſe ad præſtandum, quod natura contractus exigit, adeoque ut venditor rem tradat, emptor pretium ſolvat. Naturalis itaque hæc obligatio parit actionem jure gentium cum emptori ad traditionem rei emptæ offerendo pretium a venditore petendam & exigendam, tum venditori ad ſolvendum pretium offerendo emptori traditionem rei emptæ. Sic quoque in foro civili ex emptione & venditione perfecta ſtatim agi poteſt ad præſtandum id, de quo conventum; verum haud cum effectu, niſi etiam ex parte agentis traditione rei vel ſolutione pretii emtio venditio ſit conſummata: antea enim agenti obſtat exceptio implementi non ſecuti ab ipſius parte, *l.* 13. §. 8. *ff. de act. empt.* idque in omni contractu ultro citroque obligatorio locum habet, ut actor teneatur a ſua parte ſatisfacere contractui; *quippe qui differt facere quod debet, non poteſt petere quod ei debetur*, ut inquit Carpzov. *deciſ.* 9 *n.* 16. Hæc de contractu emptionis venditionis delibaſſe ſufficiunt, quoniam hanc materiam ex profeſſo tractare hujus non eſt loci, verum ſi quis plura de hoc contractu dicenda ſcire cupiat, evolvere oportet eum aliorum DD. in hunc titulum commentarios, qui hanc materiam ſatis prolixe tractarunt. Nos proinde juxta JCti diſputandi ordinem tranſgredimur ad alium juris gentium contractum, quem hic Hermogenianus ex jure gentium quoque originem ſuam habere affirmat, uti

Locatio, conductio. Locationes & Conductiones ex eodem juris fonte, ex quo emptiones & venditiones profluunt, dimanare, non ambigendum, eaſque non minorem in communi hominum ſocietate pro humanæ vitæ uſibus quam emptionem & venditionem locum habere, dictat ratio & rerum uſus docet. Cum enim proprias res ſolo præſertim cohærentes, non ſemper vendere dominis expediret, nec quoque eorum ſemper emptores invenirent, intereſſat ſocietatis ci-

civilis, imo neceſſitas exigebat, ut quiſque facultatem haberet res ſuas aliis ad certum & definitum tempus locare, qui illarum uſum & fructum caperet, certa pro eo mercede dominis conſtituta. Quod ſingulari Dei hujus univerſi conditoris providentiæ merito tribuendum nonnulli ſtatuunt, qua omnia, quæ ad mundi gubernationem accommodata ſunt, ſuaviter & liberaliter diſponit. Id namque in locationibus & conductionibus videmus, in quibus una & eadem res in vitæ ſubſidium domino prodeſt & conductori illius: eadem de re vivit uterque, ſæpeque evenit, ut majorem hic ex re aliena percipiat utilitatem, quam ipſe dominus. Cui etiam accedit, quod hic contractus cognationem illam, quam natura inter nos conſtituit, maxime tuetur atque conſervat; quoniam charitatis præ ſe fert ſpeciem, dum in illo locatori conductor pacta mercede ſubvenit, contra locator rei ſuæ fructus & commodum percipere conductori permittit, atque adeo alter alterius onera portat. Unde hunc contractum emtione venditione excellentiorem & humanæ ſocietati conſervandæ atque tuendæ commutatione officiorum magis inſervire judicant juris gentium periti In multis aliter inter ſe conveniunt hæ conventiones, quamobrem locationem conductionem emptioni & venditioni proximam eſſe, iiſdemque regulis conſiſtere ſcripſit Cajus JCtus in *l.* 2. *ff. locat.* adeo autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio venditio, item locatio & conductio, ut in quibuſdam quæri ſoleat, utrum emptio venditio ſit, an locatio conductio? Rectum itaque hic ſervat JCtus iterum ordinem, quod ob horum contractuum vicinitatem alteri alterum ſubjicit, quemadmodum enim emptio & venditio juris gentium eſt, ita quoque locatio conductio. Et uti emptio perfecta eſt quando de pretio convenerit; ſic & locatio ubi de mercede, *l.* 2. *ff. locat.* Et uti ſi res in venditoris gratiam ematur, vilius, ſin in alterius gratiam vendatur, carius emi ſolet; ita & in locatione conductione, qui velut ſupervacuus conductor, modica mercede contentus eſſe cogitur. Qui ultro ambitur, magni ſuam operam imputare poteſt. Denique ſicut in emptione pretium indicare regulariter eſt penes venditorem, ultimumque de eo

ſtatuit emptor, ita & in locatione contingit. Pufend. *lib.* 5. *cap.* 6. Uti quoque in eo conveniunt, quod in utraque arrha intervenire poſſit. Veteres emptionis venditionis & locationis & conductionis vocabulis promiſcue uſi videntur, quod & Feſtus opinatur in verbo *venditionis*, *Quando venditiones*, inquit, *olim dicebantur cenſorum locationes*; *mancipibus ementibus*, *id eſt*, *conducentibus in annos ſingulos*. Ideoque præſertim in locatione fundi ſeu fruendi pater, per quam jus quoddam percipiendi fructus in conductorem transfertur, unde conductor quidam veluti emptor vel redemptor fructuum dicitur *l.* 29. *ff. locat.* *l.* 21. *ff. de ann. legat.* Locationem & conlocationem a loco fieri tradit Varro *lib.* 4. *de ling. Latin.* *Ubi quidquam conſiſtit locus*, ait, *ab eo præco dicitur locare*, *quoad uſque id emitur*, *quoad in aliquo loco conſiſtit pretium. Inde locarium, quod datur in ſtabulo & taberna, ubi conſiſtunt. Sic loci muliebres, ubi naſcendi initia conſiſtunt.* Scaliger vult legendum: *Quod uſque idem it*, *quoad in aliquo conſiſtit pretium. Idem uſque it*, inquit, *dictum vel de præcone, qui ſemper vagatur*, *donec invenerit*, *in quo conſiſtat pretium*; *vel de merce*, *quæ* ἀπεράσι *aut incerta eſt*, *donec in eo mancupe conſiſtit*; *qui auctionem evicerit.* Quo ſenſu Plautus dixit, *It ad me lucrum*, ſcil. ut in eo conſiſtat & quieſcat. *Locare*, ut inquit Weſſembecius, *proprie eſt in aliquo loco ponere.* Quamobrem locare dicuntur, qui in agro fundove conſtituunt aliquem, ad utendum vel habitandum; atque generaliter uſu obtinuit, ut locare dicerentur, qui rem alteri fruendam non gratis, ſed ob aliquid concedunt, & proinde locator in locatione rei dicitur, qui interventu pretii dat rem utendam fruendam; qui accipit, pretio dato conductor. In locatione facti, quæ vel operarum vel operis, idem quidem obtinet; verum hic unus & idem, at diverſo reſpectu, locator dicitur & conductor, quia ſub facto continetur & opus & opera: nam qui locat, præſtat operam, & mercedem accipit, conducit opus faciendum, & vice verſa *l.* 22. §. 2. *ff. locat.* Qui conducit operas, ſive cui illæ præſtantur, quique dat mercedem, is dicitur opus locare, uti annotavimus in *Comment.*

Digitized by Google

ment. ad Grot. de jur. bel. & pac. lib. 2. *cap.* 12. §. 28. ubi hanc materiam latius diſcuſſimus; quatenus jus gentium in hoc contractu ſibi locum vindicat. Ibique deſcripſimus definitionem locationis, atque notavimus, quod ſit *Uſus rerum vel operum, interveniente mercede certa ex conſenſu conceſſio.* Vel ut definiunt Moraliſtæ, *Eſt contractus, quo res vel perſona ad uſum vel ad fructum pretio conceditur.* Nulla mentione facta bonæ fidei; quoniam hæc diſtinctio inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris in foro conſcientiæ non obtinet, in quo omnes omnino contractus bona fide conſtare oportet. Additur, *ad uſum* vel *fructum*, eum ſcil. in finem, quia quædam elocantur ſolum ad uſum, ut ſervus & equus, quorum fructus tantum conſiſtit in uſu; quædam ad fructum percipiendum, uti agri, paſcua, item jura, reditus & vectigalia. Finis locationis ut communicatione uſus ſocietas hominum conſervetur, & facilius volentibus dominis homines res inter ſe communicent; quamobrem, dictante ratione & neceſſitate exigente, apud omnes fere gentes, ſaltem moratiores uſu invaluit, & proinde merito juri gentium adſcribitur. Eam ob cauſam in eo contractu omnia juſte & ſine damno contrahentium conſervari debent tanquam *contractu neceſſitate urgente inducto*, ut inquit Tholoſ. *Syntag. jur. lib.* 27. *cap.* 3. Vid. quæ notavimus in noſtris *in Grotium commentariis d. l.* Quemadmodum vero emptio venditio, locatio conductio juris gentium ſunt, uti juxta mentem JCti demonſtravimus, ita quoque ab eadem origine obligationes natæ, atque apud omnes fere gentes moratiores invaluerunt, dictante ratione ex conventionibus fide firmatis, ſeu ex contractu oportere naſci obligationem, & vinculum quod fidem conſervat, ne effluat; quamobrem JCtus rectum diſputandi ordinem ſequens, poſtquam habuit ſermonem de contractu, tranſit ad obligationes, utpote quæ ex contractu naſcuntur, adeoque jure gentium quoque

Obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam, quæ a jure civili introductæ ſunt. Quo ſenſu JCtus obligationes jure gentium inſtitutas dicit, non ſatis mihi conſtare videtur. Quippe cum obligatio immediate ſive ipſo jure nullo intervenien-

te arbitrio, vel accedente placito & voluntate humana, verum ex neceſſitate morali ſive rectæ rationis dictamine proficiſcitur, quod contrahentibus imponit neceſſitatem præſtandi, quod pactum ſive conventum, non tam inſtitutæ jure gentium videntur obligationes, (cujuſmodi inſtituendæ obligationis ratio ſive modus ſupponit placitum & arbitrium humanum, ut ita dicam) quam ipſo jure introductæ; in ea enim præſtandi neceſſitate conſiſtit obligatio, ex contractu ſive conventione nata, adeo omnibus contractibus & conventionibus naturaliter ineſt vis obligandi, qua contrahentes ſibi mutuo devinciuntur præſtare & adimplere quod actum; pendet quidem ab humano arbitrio & voluntate hominis contrahendi actus, verum obligatio adimplendi, quod pactum atque conventum eſt, non inducitur a voluntate hominis, ſed ex jure morali ſive naturali proficiſcitur; adeoque obligationes non tam ex jure gentium, uti emptio venditio, locatio conductio, & id genus alia negotia, quæ inter homines peraguntur, non tam jure gentium accedente ſive tacito ſive expreſſo gentium conſenſu deſcendunt, inſtitutæ, quam jure morali ſive naturali immediate (uti diximus) introductæ videntur. Quamobrem nonnulli Jcti perperam per obligationes hoc loco intelligunt contractus & conventiones, quæ ab hominis pendent arbitrio & voluntate, veluti emptio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum & id genus alia, quos homines judicarunt ad fomentum humani convictus neceſſarios, adeoque omnes gentes ad uſum commerciorum comprobarunt, tantaque donarunt auctoritate, ut ſatis ex ſe virium & obligationis haberent ad cogendum eos, qui fidem ſervare nollent, ut inquit Coraſius *comment. ad h. t.*. Quemadmodum quoque nec eos ſenſum Jcti recte conſecutos fuiſſe exiſtimo, qui inter obligationem naturalem & civilem diſtinguentes ſtatuunt, hic de civilibus obligationibus duntaxat ſermonem habere Hermogenianum; quaſi haſce Jctus dixerit jure gentium fuiſſe introductas; id eſt, poſtquam homines ex ſtatu naturali in varias gentes, & proinde quoque ſocietates civiles coaluerunt, obligationes quoque inſtitutæ & a gentibus approbatæ, tanquam ad com-

commercii vim exercendi maxime neceſſariæ. Quamobrem JCtus utitur verbo *inſtitutæ*, quod proprie ad hominum aliquod placitum & inſtitutum ſive privatum ſive commune refertur, quod naturali obligationi non ita adaptatur, quæ magis natura ipſa dictante, a qua & originem & nomen ſumpſit, quam hominum placito & inſtituto procedit. Unde, ſi de obligationibus naturalibus ſenſiſſet JCtus, potius eas ex jure gentium natas, quam inſtitutas diceret; verum quando per obligationes intelligimus juris vinculum, quo adſtringimur ad fidem implendam, id eſt, ad præſtandum, ad faciendum, ad implendum, quod conventum, ad pacta licita ſervanda, ejuſmodi obligatio immediate, ut ita dicam, profluit ex jure naturali ſive morali ab illo placito vel humano arbitrio, atque ſibi locum vindicat in omnibus contractibus, conventionibus, nulla habita ratione an ſint juris gentium vel juris civilis. Atque ejuſmodi obligatio unumquemque in foro poli adſtringit, qui cum altero contrahit vel paciſcitur, vel aliud quid agit, unde vel mutua dimanat, vel ab una tantum parte obligatio ad aliquid præſtandum vel faciendum ſive agendum & adimplendum, adeoque etiam antequam genus humanum in diverſas gentes diſperſum atque ſocietates diviſum, in ſtatu ſcil. naturali, in quo quiſque Paterfam. ſui juris, & proinde auctoritate judicis ad ſervanda pacta atque promiſſa adimplenda cogi poterat, obtinebat, adeoque obligationes, quæ ex contractibus & conventionibus oriebantur, conſcientiam & pudorem adſtringere, quam ad fidem datam ſervandam in foro ſoli conſtringere poterat. Et videtur priſcis illis temporibus, quamdiu in majori ſimplicitate & morum ſanctitate vitam agebant, adeoque fidem ſponte rectumque colentes, fidem ſolam ſufficiens viſum juris vinculum, quo quiſque ſemet ipſe devinctum ſentiens ultro præſtabat id, ad quod præſtandum vi obligationis ex contractu proficiſcentis, obſtrictus erat. Verum ſuccedente & indies creſcente hominum malitia, & aliquorum perfidia in id impellente, nimia fide cœpit innocentia periclitari, & perfidia, promiſſiones, & conventiones facile eludebantur; quamobrem cum omnia in pejus vergere

 cœ-

cœpiſſent, eadem cauſa, quæ homines ſegreges in ſtatu naturali nullius imperio ſubjectos, verum rerum ſuarum liberos arbitros & moderatores impulit in libertatis naturalis jacturam facientes in diverſas gentes, & proinde quoque ſocietates ſub uno eodemque ſummo imperio coaleſcere, impulit quoque gentes in ſocietatem coeuntes obviam ire machinis & fraudibus atque malitiis hominum, & injicere vinculum contrahentibus, quo accedente & interveniente publica auctoritate contrahentes ſe invicem cogere poſſent ad implendum contractum & ſervanda promiſſa, adeoque non contractus duntaxat infirmos, ſed & firmitatem eorum, id eſt, vinculum illud, quo alter alteri fidem implere cogeretur, juri gentium acceptam referre debemus; atque hoc ſenſu non ſolum contractus, ſed & obligationes eorum, quibus alter alterum compellere poteſt ad fidem ſervandam, jus gentium inveniſſe, adeoque eo jure inſtitutas obligationes dixiſſe Hermogenianum dicendum nobis videtur; id eſt, eo jure cuique facultas conceſſa jus ſuum perſequendi, quod ex contractu ſive ex conventione, vel pacto & promiſſione alterius, quicum contrahit ſive paciſcitur, ſibi debetur, unde effectus obligationis potius, quam ipſa obligatio juri gentium adſcribendus. Effectus enim ſive vis obligationis conſiſtit in actione, quam jus gentium in foro ſoli tribuit cuique ad perſequendum per legitimos juris tramites illud, quod ſibi debetur. Quod non ita intelligendum, quaſi in ſtatu naturali, antequam in diverſas gentes genus mortale diviſum, jus illud perſequendi, quod alter alteri debebat, non obtinuiſſet; quippe in eo ſtatu abſque mutuo commercio, adeoque ſine conventionibus, pactis ineundis, haud vitam commode tranſigere potuiſſent vetuſtiſſimi mortalium; prætterquam quod ex ipſis legibus naturalibus, quæ in eo ſtatu agendi & vivendi norma erant, variæ proficiſcebantur obligationes, quæ vel mutuæ vel non mutuæ homines inter ſe adſtringunt ad ſibi invicem præſtanda, quæ jus naturæ dictat ad ſocietatem & cognationem, quæ homini cum homine intercedit, tuendam præſtari oportere. Verum cum in eo ſtatu homines jure & conditione ſibi æquales, ita ut alter in alterum

nul-

nullum imperium haberet, quod debita officia, & jus quæſitum præſtandi & adimplendi neceſſitatem ſocio imponere poſſet, niſi vi adhibita, ſæpius eveniebat, ut inanis & ſine effectu ejuſmodi obligationes, quæ & ex facto hominum, vel ex jure naturæ proficiſcebantur, cum non omnibus placeat illa per vim certatio ad jus ſuum obtinendum, & propterea juri ſuo potius renunciare velit, quam cum vitæ periculo perſequi. Verum poſtquam homines ex ſtatu naturali ſive libertatis, in quo ſegreges, uti alibi annotavimus, in gentes & ſocietatem civilem coiverunt, adeoque jus ſuum ac omnem poteſtatem in ſummum imperantem transtulerunt, alia ratio perſequendi jus ſuum introducta fuit, & apud omnes gentes ſaltem moratiores, dictante ratione, invaluit, adeo ut ſi alteri ab altero quid præſtari debeat ex contractu, conventione, pacto & alio id genus negotio, detrectantem adimplere contractum, fidemque ſervare, & hac ratione obligationi ſatisfacere recuſantem auctoritate ſummi imperantis, vel judicis, cui à Principe, vel ſummo Magiſtratu jus dicendi poteſtas data, cogi poteſt; adeoque ejus poteſt actor implorare auxilium, coram eo actionem, quæ ex obligatione ſibi competit, inſtituere, qui de cauſa cognoſcens litigantibus jus dicit, & ſuum cuique tribuit. Quoniam vero obligationes, quæ ex contractibus & conventionibus oriuntur, nullius eſſent efficaciæ abſque ejuſmodi facultate jus ſuum quæſitum perſequendi, illa autem facultas per legitimos juris tramites juri gentium adſcribenda, recte JCtus obligationes eodem jure inſtitutas docet, quatenus abſque ejuſmodi effectu obligatio irrita videtur. Effectus autem conſiſtit in actione, id eſt, in jure perſequendi quod ſibi debetur, dictante ratione, nihil magis æquitati conveniens, quam ut ille, qui ſe alteri obligavit ad aliquid præſtandum, agendum vel faciendum, fidem datam ſervet, pacta & promiſſa impleat, atque ſolvat quod debet; adeoque gentes rationis dictamini obtemperantes cuique facultatem jus ſuum perſequendi concedere voluerunt, uti alibi annotavimus *in noſtris in Hiſtor. de orig. juris exercitationibus* §. 6. Sed conjunctiorem eſſe eorum opinionem, qui ex jure gentium potius, quam civili actiones

dima-

dimanaſſe ſtatuunt, eodemque jure proveniſſe, quo obligationes inſtitutæ, ſcil. quoad vim & effectum, vel quatenus in foro ſoli actionem pariunt; fruſtra enim eſſet hominum inter ſe obligatio, ſublata facultate perſequend jus, quod ſibi obligatione ex conventione orta acquiſiverat; ejuſmodi autem perſecutionem *actionem* appellari conſtat. Quamobrem Imp. definit actionem *Jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.* *§.* 1. *Inſt. de action.* Apparet autem contractibus juris gentium obligationem ex obligatione jus perſequendi, quod ſi vi obligationis debitum, etſi forte hoc ipſum actionis nomen tunc temporis, in quo ſimplicior negotiorum gerendorum ratio obtinebat, non eſſet in uſu, nec adhuc hominibus notum, uti interjecto tempore magis ſolennis juris ſui perſequendi modus invaluerit. Siquidem olim regnis conditis, & in ſocietatem coalitis hominibus, coram Rege jus perſequendi oriebatur, tanquam coram judice, quod alter alteri ex contractu præſtare tenebatur. Hoc autem jus perſequendi, quod *actionem* vocamus, nulla certa forma aut ſolennitate conſtabat, ſed unuſquiſque ſui juris cauſam coram Rege proponebat, prout volebat, donec, uti dicere incepimus, poſtea actiones, quibus homines inter ſe diſceptarent, compoſitæ fuerunt & ad certas ſolennitates & formas redactæ. Ideo vero in initio omnia manu Regis gubernabantur, & executioni mandabantur; quoniam Rex ipſe omnium judex erat, ipſe de civium contentionibus & controverſiis cognoſcebat & diſcernebat, utpote cujus in hoc potiſſimum munus verſaretur. Quamobrem teſtatur Dionyſ. Halicar. *lib.* 10. *Quamdiu regnatum eſt in urbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, quod tunc erat pro legibus.* Interjecto vero tempore hoc munus judicandi ſubditorum cauſa Reges per ſe non exercuerunt, procul dubio, quod magnis aliis & arduis negotiis ad Reipub. Regnique adminiſtrationem pertinentibus intenti aliis hanc jus dicendi poteſtatem demandarunt, qui ſummi Principis nomine hoc munere fungebantur, atque ſententiam à ſe latam, Regis nomine executioni mandabant. Verum notant quidam JCti, quod antiquitus manus Regia longior erat, & longius ſe extendebat, quando populis

Digitized by Google

pulus ſine certa lege, ſine certo jure agebat, *omniaque manu à Regibus gubernabantur*, ut inquit Pomponius *de orig. jur. l. 2. §. 1. manus* appellatione arbitrium intelligens, quaſi ante leges & jus certum conditum, arbitrio Regis omnia gubernata fuerint. Quod de bono ac recto dictamini rectæ rationis adæquato & conſentaneo intelligendum, quale illud eſſe oportebat, quo alii æquarentur ac regerentur. Sola itaque naturali ratione inſpecta, quæ, uti alibi notavimus, jus gentium conſtituit, manu Regia jus ſuum cuique decernebatur, & decretum illico reddebatur. Ex quo inferendum ſtatuunt DD. quod manus Regia de jure gentium etiam pro nudi pacti complemento miniſtrabatur; eamque ſententiam tanquam communem amplectendam ſentiunt; idque hoc fundamento, quod nudis pactis atque promiſſionibus jure naturali quoque ineſt vis obligandi, etiamſi inter terminos ſimplicis conventionis ſtent, nullum in ſe negotium aut συνάλλαγμα continentia. Quoniam vero hanc quæſtionem in noſtris *in Grot. de jur. bel. ac pac. commentariis* examinavimus, ibidem florentiſſimi Connani JCti contrariam ſententiam confutavimus. Atque cum Pufendorfio pro fundamento ſtatuo, nihil magis juri naturali conveniens eſſe, quam fidem verbis datam ſervare, atque poſſe aliquem, qui ſui juris & liber arbiter & moderator eſt rerum ſuarum, ſolis ac nudis verbis ſibi imponere neceſſitatem aliquid præſtandi vel faciendi, ſi vel maxime nondum aliqua res interceſſerit. Præſertim, uti in noſtris annotavimus commentariis, ſi ea mente promiſſio facta ſit, idque ex omnibus indiciis & ſignis conſtet, ut aliquid emolumenti vel commodi, vel à rebus noſtris vel induſtria noſtra ſocius ſentiret. Quippe, uti recte ſtatuit Pufendorfius, ſi forte talia contrahuntur vel promittuntur, quæ, ubi non præſtentur, nihil detrimenti & incommodi afferunt ei, cui promiſſa ſunt, & quæ illi, qui præſtiterit, damnum aut moleſtiam ſunt allatura, admitti poteſt, promiſſa nulla de cauſa factam obligationem non producere. Cur enim quis velit ſuo jure poſtulare, ut ego fatiger aut incommodum & damnum ſentiam ex præſtatione promiſſorum, quæ ipſi non ſint profutura? Præterea, inquit ſtatim allegatus Auctor, cum

 pro-

Digitized by Google

promiſſa ſint gratuita, adeoque unam tantum partem onerent, regulariter cenſenda eſt illis ineſſe hæc limitatio, quantum citra magnum meum incommodum poteſt fieri; adeoque ſi forte maximum incommodum, quod promiſſor ſentiret adimplendo promiſſa, contra vero eorundem præſtatio non adeo magnum commodum adferret ei, cui promiſſio facta, dicendum videtur, humanitatis rationem poſtulare, ne alter exigat à me implementum, quod mihi valde damnoſum, & proinde cum meo inſigni detrimento locupletaretur, quod juri naturæ repugnat, adeoque removere eum, qui à me poſtulat promiſſum mihi magis damnoſum, quam ipſi utile, auctoritate juris naturæ, quod dictat, neminem cum alterius detrimento & injuria locupletiorem fieri oportere. *l. 207. ff. de reg. jur.* Præterquam quod, juxta rationis rectæ dictamen, iniquum neminem oportet alteri facere, quod ſibi nollet fieri, itaque cum ejuſmodi promiſſorum adimplendorum petitionem rationis dictamen repugnaret, utique promiſſorem ſolutum neceſſitate præſtandi quod promiſit eadem juris ratione dicendum videtur. Præterquam quod nemo ſana mente præditus præſumitur eo animo alterius commodum ac utilitatem promovere voluiſſe, ut ſibi noceat; quod ſi eventu apparet, præſumendum, vel nimis incautum ac præcipitem abſque mentis diſcurſu & prævia animi deliberatione, vel non ſatis mentis compotem, promiſiſſe, quod ſibi valde damnoſum & maxime nociturum ſentit; quo caſu nec naturæ jus ejuſmodi promiſſa tanquam amori proprio, qui de ſe ipſo debet incipere, dictante ratione contraria ſervanda præcipit. Unde Cic. 1. *offic. Nec igitur promiſſa ea ſervanda ſunt, quæ ſunt his, quibus promiſeris, inutilia, nec plus ſibi noceant, quam illi proſunt, cui promiſeris.* Huc pertinere mihi videntur, quæ apud Senecam legimus *lib. 4. cap. 35. de Beneſic. Eſt aliquid in eo, quod promiſeris perſeverare, eſt rurſus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen, quantum ſit, attendendum eſt, ſi leve conniveamus: ſi vero magno mihi aut detrimento aut rubori futurum, malo ſemel excuſare, quare negaverim, quam ſemper quare dederim. Totum, inquam, in eo eſt, quanti promiſſi mea verba taxentur. Non tantum*

quod

quod temere promiſi, retinebo; ſed quod non recte dedi, repetam. Demens eſt, qui fidem præſtat errori. Ejuſmodi vero caſibus exceptis ex nudis promiſſionibus & pactis jus alteri, cui promiſſio facta, ſive quocum paciſcimur, exigendi implementum promiſſorum & fidei interpoſitæ ſive datæ præſtationem defertur, vi naturalis obligationis, quæ ineſt ejuſmodi actui. *Priuſquam promittas delibera, & cum promiſeris facies*; ut inquit Seneca. Is enim natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus, *l.* 84. *§.* 1. *ff. de R. J.* adeoque ex interpoſita ſive data fide, uti fit in pactis & nudis promiſſionibus, oritur naturale debitum, cui jus naturæ vel gentium adſiſtit ſive opitulatur eatenus, quatenus illum, cujus fidem ſequimur, ad eam ſervandam compellere poteſt, cui fides data. Quippe, *qui jure gentium dare debet*, ut inquit Jctus, *jure gentium compelli poterat*; & proinde eo jure compellendus erat, quod debitores jure gentium compellebantur; qui non alius quam Regia manus erat, ut ſtatim annotavimus, id eſt, ſummus imperans, adeoque ſupremus judex. Atque hoc in initio, cum primo in diverſas gentes mortale genus diviſum fuerat, obtinuiſſe, omni caret dubio; quippe cum eo tempore ſimplex veritas & vera ſimplicitas florebat, nulla ſuboriebatur fallaciæ vel pravæ machinationis ſuſpicio, cur, quicquid nudo pacto promittebatur ex animo veraciter conſentiente, non firmum ac validum eſſet, & proinde in foro ſoli obligatio ex ejuſmodi pacto proficiſcens actionem pareret, qua invitum debitorem manu Regia compelli poterat ad præſtandum & faciendum, quod pacto continebatur; ex animi enim conſenſu naturalis æquitas & ratio pullulabat; quæ pacti nudi obſervantiam proque ea manum Regiam ſive judicis auctoritatem poſtulabat. At vero poſtquam hominum animos fallaciæ, machinationes & doloſæ circumventiones invaſerunt, pacti nudi ſimplicitas legiſlatoribus in ſuſpicionem venit, qui ei propter uſitatam hominum malitiam non crediderunt, ut quaſi libero animi conſenſu promiſſionem factam actione donarent; ſed propter nativam ſuam & originariam æquitatem nonnullis juris effectibus receperunt, ut exceptionis ope, actionem vero de-

 ne-

negarunt, non illam, quam nonnulli tradunt, rationem, quaſi in pacto nudo deliberatio conſenſus deficeret, & proinde hujus defectus cauſſa civilem in eo deficere actionem. Quippe ejuſmodi pactum nec jure gentium firmum eſſet ac validum, nec ex eodem jure gentium naturalis obligatio naſceretur; uti nec ſecundum civilem ac Prætoriam æquitatem, exceptionem pareret pactum, ubi deficeret perfectus paciſcentis conſenſus, quam eo jure parere conſtat *l* 7. §. 4. *ff. de pact.* Quamobrem dicendum videtur, non propter defectum deliberati conſenſus in paciſcente, verum magis ob calliditatem ſuſpectam Juriſprudentibus in illo, cui pactum ſit, actionem ex eo non prodiderunt, uti ſupra notavimus; nec rationi adverſatur, ut indies creſcente hominum malitia adeoque fraudes & machinationes ad alterum decipiendum & circumveniendum ad proprium commodum cum alterius jactura promovendi cauſa ejuſmodi pacta in locum veteris ſimplicitatis & integritatis ſubire perſpicerent legiſlatores, quibus nulla ſubeſt cauſa efficax intra ſimplicis conventionis terminos conſiſtentia, tanquam ſuſpecta, in foro ſoli nullam actionem parere ſtatuerunt, arbitrantes eum, qui nudo pacto fidem ſuam alteri adſtrinxiſſet, captione & dolo illius in id perſuaſum inductumve eſſe: manente tamen conſcientia adſtricta per naturalem, quæ ex ejuſmodi pacto proficiſcitur, obligationem ad præſtandum vel ſolvendum, ad quod ſemet ipſum obligavit: naturalem enim ſervandæ fidei æquitatem, quæ pacto nudo ſecundum naturam ſuam ineſt, tollere non poteſt, quamvis ſuprema poteſtate ornatus Princeps; ea enim, quæ ſunt juris naturalis ſive moralis & divini neceſſarii, diſpoſitioni hominum non ſubſunt, adeo ut vel ea mutare, vel abrogare, vel de iis diſpenſare poſſit ſummus Imperans. Potuerunt utique legumlatores exiſtimare ſive ſuſpicari fidem in illa machinatione alterius fuiſſe interpoſitam, propter frequentem hominum malitiam, & ſuum augendi commodum cum jactura alterius vitiis inquinatam pronam naturam, verum pro certo habere non potuerunt; quippe, uti Moraliſtæ diſputant, unius malitiam & circumventionem probo alterius judicio ſæpius repelli atque eludi poſſe, rerum uſus docet.

Et

Digitized by Google

Et ſi hominum malitia cum ipſo genere humano ad aliorum circumventionem ex una parte crevit, ex altera iterum crevit prudentia & intelligentia, longo rerum uſu magis magiſque confirmata, qua cognitis & perſpectis malitiis obviaretur. Quamobrem in ambiguitate & ancipiti de pacto nudo judicio, Veteres illi, quod ſuum erat, civilem ſcil. actionem illi denegarunt; quod vero ipſius nudi pacti juxta naturam ſuam proprium erat, naturalem ſcil. ſervandæ fidei æquitatem, nec illi denegaverunt, nec denegare, ob rationem ſtatim allegatam, potuerunt; quoniam quæ naturalia, ſunt immutabilia; atque hanc veram & genuinam juris naturalis & gentium periti rationem putant, ob quam nudo pacto civilis actio denegata ſit, naturali obligatione in illo permanente. Nec dubitandum quin ſumma poteſtas ſive legiſlator, qui civium actiones dirigit, & quemadmodum in bona noſtra, ita quoque in actiones noſtras habet eminens dominium, determinare poſſit, qualem effectum actus noſtri in foro ſoli producere debeant: non poteſt quidem libertatem naturalem adeo anguſtis circumſcribere cancellis, ut ille, qui ſui juris eſt, & compos mentis, adeoque liber arbiter & moderator rerum ſuarum, pro lubitu cum æquitatis norma & rationis dictamine conveniente diſponere de bonis ſuis poſſit, atque jus illud, quod in eadem ſibi competit, in alium transferre, adeoque ſemet ipſum obligare alteri ad aliquid præſtandum, faciendum vel agendum, neque impedire, ne ejuſmodi actus ſi non in foro humano, ſaltem in foro conſcientiæ effectum ſuum producat, id eſt, obligationem naturalem. Verum efficere poteſt, ut jam annotavimus, ut ejuſmodi actus deſtituatur effectu in foro ſoli, quatenus actio denegatur ei, qui ex alterius promiſſione jure naturali nanciſcitur facultatem conveniendi promiſſorem ad præſtandum vel ſolvendum quod promiſit. Recte Mævius *de jur. nat. & gent.* *De fide ſervanda lex naturæ perpetua & univerſalis, at quia exinde oritur, quod ex promiſſis vel pactis alteri jus naſcitur, in jura autem ſingulorum civili imperio poteſtas competit, uti per hanc illi fas conſtituere, ut aliquibus fides non ſervetur, non tollendo iſtam legem, ſed non applicando materiam legi, cum jus ali-*

quod acquiri per rationem probabilem non ſivit, quomodo ex civitatum conſtitutionibus oritur, ut aliquibus fides impune non præſtetur. Verum moribus iterum ad ſimplicitatem juris gentium deventum eſt, convenienter jure Canonico, adeo ut hodie ex omni pacto ſerio prolato actio valida, æque ac ex ſtipulatu naſcatur, ſic ut hac tempeſtate nulla conventio, ſi ad jus Romanum reſpiciamus, amplius ſit nuda; quia moribus omnium gentium ex pacto ſerio, ſponte & bona fide inito naſcatur actio, vid. Gudelin. *lib.* 3. *de jur. noviſſ. cap.* 5. Groenew. *de LL. abrogat. ad l.* 10. *Cod. de pact.* Carpzov. *p.* 2 *deciſ.* 129. *n.* 9. idque reſponſo prudentum firmat Hahn. *ad Weſemb. parat. de pact.* Quod non inde arceſſendum ſtatuit Gerard. Feltman *comment. ad tit. de pact.* quaſi omnia nunc in ſtipulatum deducantur, ſed ex inſtitutis noſtræ gentis, quæ fidem juſtitiæ naturalis optimam filiam maxime ſemper coluit, nec inter pacta & ſtipulationem diſtinxit. Nihil enim eſt, quod magis obliget, quam hominis voluntas: nam qui volens & ſciens animo ſe obligandi promittit, nolens volens hoc ſervare cogitur. Huc facit locus, quem ſtatim allegatus auctor notavit ex R. Obad Barthenorii §. 2. *ad Miſna & Gemara tit. Babametzia*, quem Seldenus *de ſucceſſione ad LL. Ebræor. in prolegom. vertit: Qui vindictam ſumpſit ex ſeculo diluvii, & ex ſeculo diviſionis linguarum, & ex hominibus Sodomæ & Gomorræ, & ex Ægyptiis, qui immerſi ſunt in mari, ſumet olim vindictam ab iis, qui conventis non ſtant.* Omnis itaque obligatio quacunque juſta ex cauſa, ſive ex contractu ultro citroque obligatoria, ſive ex promiſſione, ſive ex pacto nudo oriatur, continet neceſſitatem moralem præſtandi id, ad quod quis ſemet ipſum obligavit; & proinde annotavimus, omnes omnino obligationes origine eſſe juris gentium ſive juris naturalis (quippe jus gentium, ut alibi annotavimus, & naturale, quando naturale jus ad homines refertur, unum & idem jus eſt, nunc jus gentium, nunc naturale nuncupatum) quomodo itaque poſſunt quædam obligationes excipi, quaſi à jure civili introductæ? Non inficior ejuſmodi exceptionem quidem locum habere in contractibus aliis, conventionibus, quæ juxta certam verborum for-

Digitized by Google

formulam & ſolennitatem a jure civili præſcriptam perficiuntur, & quoad ejuſmodi conveniendi & contrahendi rationem ac modum a jure civili introductæ dici poſſunt; obligationes vero ex ejuſmodi conventionibus & contractibus vel pactis dimanantes non juri poſitivo, ſive humano aut civili adſcribendæ, verum juri naturali, quæ dictat conventionibus & pactis ſtandum, fidemque ſervandam. Verum quidem omnes obligationes per ſe & ſua natura, quatenus continent neceſſitatem præſtandi id quod conventum pactumve, atqui omnes obligationes deſcendunt ex præcedenti aliqua conventione vel contractu, utpote cujus effectus conſiſtit in obligatione, immediate ſive ipſo jure ex omni contractu naſcitur, cur non ſano ſenſu ejuſdem naturæ obligationem pronuntiaremus, cujus eſt contractus jure civili introducti, pariter quoque cum ipſo contractu obligatio nata, id eſt, eodem jure introducta; non quoad neceſſitatem illam moralem, quæ dictat ſervandam fidem, vinculum juris naturæ, quod omnibus obligationibus ineſt: verum quatenus jus civile certam formam certumque modum præſcripſit, quam in conveniendi & contrahendi actu, ut ita dicam, obſervari & adhiberi legiſlatori placuit, ut firmus & validus ſit contractus; adeoque ex eo naſcitur obligatio uti ex ſtipulatione, quæ jure civili inventa, quæ certa verborum formula & ſolennitate contrahitur, quæ a nuda juris gentium ſimplicitate multum diſtat. Nec eo jure cognita hujuſmodi verba: *Dare ſpondes? dare ſpondeo. Dabis? dabo. Cujuſmodi ſtipulatio a lege inducta eſt, nulla neceſſitate adacta*, ut inquit Marianus Socinus: *poſtquam autem creata fuit, eam permultis actibus & negotiis lex ita cooptaret, ut ſine ea noluerit actus conſiſtere.* Altera obligatio, quæ juris civilis eſt, & nomine & inventione dicitur literarum obligatio. Verum notandum, aliter olim ex ſcriptura, aliter poſtmodum inductam fuiſſe obligationem, adeoque diligenter diſtinguenda vetus & hodie obſoleta literarum obligatio a nova; uti hanc diſtinctionem notavit ipſe Imperator §. 1. & 2. *Inſt. de litt. obligat.* Jure antiquiſſimo nominum obligationes, quæ ſcriptura quoque & literis conſtabant, in uſu fuiſſe ex veterum conſtat monumentis, quæ tamen tempore

Jcto-

Digitized by Google

J&orum jam in deſuetudinem abiiſſe videntur, quamobrem in *l.* 1. *l.* 52. *§.* 1. *ff. de obligat. l.* 1. *§.* 2. *ff. de nov. l.* 8. *§.* 1. *ff. de fidei.* & *mand.* hujus obligationis, quæ literis contrahitur, nulla fit mentio. Unde notat Muretus ad *tit. Inſtit. de liter. oblig.* de hoc genere obligationis, quæ fiebat nominibus, neque in Pandectis, neque Codice aliquid inveniri notatum. Quod cum Marcilio & Antonio Matheo J&tis florentiſſimis de ejuſmodi obligationem literis perficiendi ratione, de qua Theophilus ſermonem habet *Inſt. de liter. obligat.* quam definit *veteris nominis in novum creditum per ſolennia verba* & *ſolennes literas transformatio.* Ait enim hoc modo apud veteres nominibus fieri obſoletam obligationem, ut is, qui aliquam rem emptionis, locationis, ſtipulationis aut ſimili quodam titulo ſibi habebat obligatam majoris ſecuritatis cauſa tabulas proferret, quibus debitorem ad perſcribendam debiti ſive nominis quantitatem & cauſam veterem hac intentione urgebat, ut omiſſa veteris obligationis cauſa commodior ſuccederet ex literarum ſubſignatione civilis debiti perſecutio, uti annotavit Rævardus *varior. lib.* 3. *cap.* 1. Atque ſolebat ejuſmodi obligatio Romæ præſentibus quidem Equitibus, qui jus annulorum habebant, aliquot, vel aliis viris ornatis, in provinciis vero ipſis Duumviris aut Decurionibus aliiſque non ignobilibus tractari, qui hujuſmodi literas ſignabant. vid. *l.* 22. *ff. de teſtib.* Hinc enim Seneca *de benefic. lib.* 2. *cap.* 23. *Quidam nolunt omnia ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari, nec chirographum dari.* Idem Seneca *de benefic. lib.* 3. *cap.* 15. *Utinam*, inquit, *quidem perſuadere poſſemus, ut pecunias creditas tantum a volentibus acciperent! Utinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur; fides potius illa ſervaret* & *æquum colens animus; ſed neceſſaria optimis prætulerunt,* & *cogere fidem, quam ſpectare malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes. Ille per tabulas plurimum nomina, interpoſitis parariis, facit: ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem! Annulis noſtris plus quam animis creditur: in quid iſti viri ornati adhibiti ſunt,* in

in quid imprimunt ſigna? Nempe ut ille neget accepiſſe ſe, quod accepit. Non dubitandum, Rævardus aliique viri docti putant, quin Seneca hic habeat ſermonem de ejuſmodi obligatione, quæ olim nominibus fieri dicebatur; & nomina tunc fieri interpretatur, cum interpoſitis parariis plurium fiunt nomina. In veteri quodam Lexico occurrit vox Græca μεσίτης, id eſt, *interventor*, *proxeneta*, uti notavit Lipſius *ad d. l. Senec.* ubi quoque nomen non a *variando*, ſed *parando* deducendum putat, quia parant utrimque animos & conjungunt. Alii vero, quorum in numero Rævardus *d. l.* explicant *tabelliones*, *actuarios*; quibus aſſentiri ſe non poſſe inquit Lipſius, propterea, quod Seneca *Epiſt.* 120. *Nolo per interceſſorem mutueris.* Sane eſt hic ipſe pararius. Potius Scaliger ad Varron. derivat a *pares*, id eſt, duo, quod inter duos ſtipulantes intervenit μεσεγγυητὴς. Putat Rævardus, cum plurium, dicto modo, nomina fierent, non duntaxat ornatorum virorum, qui adhibiti erant, annulos chirographo imprimere moris fuiſſe, verum etiam teſtium ſignatorumque nomina in ipſis chirographi tabulis exprimere ſolitum fuiſſe: *Et ſic quidem*, inquit, *ea forma fieri apud veteres plurium nomina dicebantur, qua iidem verba fieri dixerunt; quemadmodum enim verba fieri ab eo dicuntur, qui loquitur, qui verba profert; ſic plurium quoque tunc fieri dicebantur nomina, cum plurium, qui adhibebantur, teſtium nominibus chirographum ſignabatur. Plurium igitur nomina per tabulas fieri non ſolebant, niſi nominibus obligatio contraheretur, nullamque nominibus unquam obligationem fuiſſe contractam, eſt veriſimile, in qua per tabulas plurima nomina non fierent.* Per plurium nomina intelligit Gothofredus plurium præſentiam: *Nam qui nomine obligatur*, inquit, *unum tantum nomen facit, non plura.* Rævardus explicat, *quia plurium, qui adhibebantur, teſtium nominibus chirographum ſignabatur.* Lipſius vero accipit, quaſi eſſent *plura nomina*, id eſt, cum pluribus contrahit, & nomina facit. Facit autem nomina plurium, quos vel principales habet, vel ſponſores. Quæ Lipſii interpretatio magis convenire videtur cum illa diffidentia, quam dolet Seneca alterum de altero habere, & proinde creditorem non eſſe contentum interrogatione,

 tione,

tione, ſed rem tenere manu voluit, & in poteſtate habere pignus; quamobrem quoque ad majorem ſecuritatem, præter debitorem alios quoque principales, & ſponſores eodem juris vinculo ſibi obligatos eſſe voluit. *Teſtes* autem utrimque adhibebant, uti diximus; & *pararios*. His vero præſentibus creditor debitorem ſuum interrogabat, *Centum illos aureos, quos mihi ex cauſa mutui debes, tu mihi ex promiſſione & conventione literarum tuarum debes.* Tum debitor reſpondebat: *Ex conventione dabo mearum literarum.* Falſitatis autem arguit Gothofredus Theophilum *d. loco*, atque a vero alienum eſſe, quod ſcribit, *debitorem ad creditorem literas miſiſſe.* Quoniam præſens interrogabatur debitor. Creditor autem tabulas tenens, parariis dabat tranſcribendam eam formulam adjecto loco, die & Conſule, *l.* 1. *§.* 2. *ff. de edend.* Huc ſpectat illud Plauti in *Aulularia act.* 5. *ſcen.* 3.

Heus tu, noſtra ætas non multum fidei gerit:
Tabulæ notantur; adſunt teſtes duodecim:
Tempus locumque ſcribit actuarius;
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.

Teſtes deinde ſubſignabant & nomen eo amplius ſuum ſubſcribebant. *l.* 39. *ff. de V. S. l.* 22. *§.* 4. *ff. qui teſtam. fac. l.* 4. *ff. de auct. tutor.* Feſtus, *ſubſignare pro ſubſcribere utimur.* Hinc Plinius. *Epiſt.* 1. *lib.* 3. *Eundem mihi curſum, eundem terminum ſtatuo, idque jam nunc apud te ſubſigno, ut ſi me longius evehi videris, in jus voces*, id eſt, ſubſcribo, ſigillo, obligo, affirmo. Quomodo autem ejuſmodi tabulas ſubſignari oportet, docet Paulus *ſent. lib.* 5. *tit.* 15. *Ampliſſimus ordo*, inquit, *decrevit, eas tabulas, quæ publici vel privati juris contractus continent, adhibitis teſtibus, ita ſignari, ut in ſumma margines ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur, atque impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent, aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Qui autem tabulas ſignabant, *ſignatores* dicebantur. Suetonius teſtatur, Nerone imperante, SC. factum, cum inquit, *Adverſus falſarios tunc primum re-*

Digitized by Google

repertum, ne tabulæ niſi perfuſæ ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur. Atque hæc cautio ad contractus & tabulas omnes adhibere apud Romanos in uſu erat. Utrumque vero requirebatur, ſcil. ut ſubſignarent atque ſubſcriberent; adeo ut, ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, quamvis ſignaverit, pro eo eſſe ac ſi adhibitus non eſſet, & vice verſa. Hujuſmodi nomina potius appellata *Chirographa* quam *Syngraphæ.* Quippe in Chirographis geſta tantum, in Syngraphis citra fidem veritatis etiam pactio veniebat; & non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata pro temporaria hominum voluntate ſcribi ſoleant, teſte Aſconio Pædiano. Huic & alia accedit differentia, quam & ipſæ voces indicant, ab Aſconio Pædiano quoque notata, ſcil. *Chirographa ab una parte ſervari, Syngraphas ſignatas utriuſque manu utrique parti ſervandas tradi.* Huc pertinet illud Senecæ: *Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit*; id eſt, niſi obſignatas tabulas manu ſua tenuit, argumentum, in uſu tunc temporis fuiſſe, ut ſignatæ & ſubſcriptæ tabulæ ab ipſo creditore ſervarentur. His ita ſolenniter peractis, prior obligatio extinguebatur, non autem naſcebatur, quæ literarum obligatio dicebatur; quia literis fiebat, teſte Theophilo *d. loco*; atque de ejuſmodi obligatione, quæ apud veteres nominibus fiebat, & ſcriptura ſive literis conſtabat, ſermonem habet Imperator, eamque obſoletam nec hodie in uſu eſſe pronunciat, & tempore Jctorum in deſuetudinem abiiſſe dicendum. Verum inde tamen non inferendum, nullam omnino literarum obligationem temporibus juris Auctorum in uſu fuiſſe. Nec obſtant leges ſupra allegatæ, quæ diviſionem tantum trimembrem faciunt, omiſſa literarum obligatione: ratio, ut nonnulli volunt, ea eſt, quod olim exceptio non numeratæ pecuniæ perpetua erat, ideoque nulla erat literarum obligatio. Impp. poſtea exceptionem non numeratæ pecuniæ temporariam fecerunt, atque ita literarum obligationem introduxerunt. Cujuſmodi reſponſio non omnem difficultatem tollit, nec probat, Jctos nuſquam obligationis literarum meminiſſe, quippe in *l.* 38. *ff. de obligat.* commemoratur literarum obligatio; nec dubitandum cum gloſſa,

 quin

quin de obligatione literarum JCtus ſermonem habeat, quam contrahi dicit non figura, ſcil. ſola; nam & figura & oratio, quam exprimit figura literarum, inducere hanc obligationem. Imo magis, inquit, operatur figura, cum ex ea dicatur literarum obligatio. De illa vero obligatione literarum agere interpretatus eſt Cujacius, quæ ex argentariorum ſive menſæ ſcriptura eſt, non autem illa, quæ ex cauſa & non numerata pecunia naſcitur. Quamobrem libenter amplectimur Marcilii opinionem in *Comment. Inſt. ad h. tit.* ſcil. quod antedictæ leges, quæ nullam de obligatione literarum mentionem faciunt, a Triboniano ſint interpolatæ; adeoque Tribonianum deleviſſe literarum ſive nominum obligationem; quia ſive perſuaſit juris Auctores agere de illa nominum obligatione, quæ obſoleta tunc erat, de qua Theophilus, & Seneca *d. l.* tum etiam Gajus 2. *Inſt.* 9. *§. literis.* Atqui agebant de literarum obligatione ex cauſa & non numerata pecunia, quæ tunc vigebat quam maxime. Et ſi quis forte dixerit, illam literarum obligationem novam eſſe ab Impp. introductam, ut videre eſt *tit. de literar. oblig.* & proinde juris Auctoribus incognitam fuiſſe, huic reponit idem auctor, non ipſam quidem obligationem eſſe novam, ſed tempus ejus, ſive præſcriptio biennii nova eſt, quippe exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ olim, uti diximus, perpetua erat, poſtea conſtitutionibus Impp. primo ad quinquennium erat reſtricta, deinde ex Juſtiniani conſtitutione ad biennium eſt redacta, adeoque ejuſmodi temporis, intra quod exceptio non numeratæ pecuniæ opponenda eſt, reſtrictio aut definitio non novam inducit obligationem, verum circumſcribit exceptionem objiciendi facultatem certo & definito tempore. Obligationem vero non eſſe novam, conſtat ex *tit. Inſt. de liter. obligat.* ubi ait Imp. *hoc ſæpiſſime eſſe conſtitutum.* Vid. *l.* 8. *Cod. de non num. pecun.* Quamobrem ob rationes jam allegatas obligationem, quæ fiebat per ſcripturam, & quam juris Auctoribus incognitam exoleviſſe dicit Imp. *d. loco*, intelligimus de novatione prioris obligationis in literarum obligationem certis verbis certaque ſolennitate adhibita fieri ſolita, adeoque de ejuſmodi obligatione, cujus meminit Gajus & Theophilus *d. l.* Quippe tempo-

temporibus JCtorum literarum ſive nominum obligationem non fuiſſe incognitam nec obſoletam, ſatis mihi conſtare videtur ex *d. l.* 38. *ff. de obligat.* tum etiam aliis *ll.* quæ in *ff.* occurrunt. Atque ejuſmodi literarum ſive nominum obligatio duplici fiebat modo; vel ita, ut debitor ipſe in rationes ſeu tabulas domeſticas ac privatas ſeſe inſcriberet, eaſve obſignaret; vel ita, ut contrahentes mutuam creditamque pecuniam cum accipiente ad argentarium, qui in foro habebat menſam (quamobrem *Menſularius* & *Trapezita* pro *Argentario* dicitur) adiret ab eoque in ſuas rationes ac tabulas referri poterat tot vel tot illi ab illo eſſe credita. In uſu enim fuit apud Romanos, ut unuſquiſque Paterfamilias domi haberet tabulas, in quibus quotidie ſolebat notare quicquid per ſingulos dies aut acciperet, aut expenderet. Huc pertinet illud, quod legimus apud Ciceronem, in oratione pro Cluentio; *Confecit tabulas diligentiſſime; hæc autem res habet hoc certe, ut nihil poſſit neque additum neque detractum de re familiari latere.* Tradit Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 4. Cenſores ſolitos fuiſſe quinto quoque anno de earum tabularum fide a civibus jusjurandum exigere. Hinc fidem in judiciis facere ſolebant. Ulpianus in *l.* 4. *ff. de pecul. Si vero;* ait, *nomina ita fecerit dominus, ut quaſi debitorem ſe ſervo faceret, cum revera debitor non eſſet, non obligatur.* Et Pomponius *l.* 1. *ff. de ann. legat. Cum in annos,* inquit, *ſingulos quid legatum ſit, neque adſcriptum quo loco detur, quocunque loco petetur, dari debet, ſicuti ſi ex ſtipulatu, aut nomine facto petatur.* Et Scævola in *l.* 41. *ff. de fideicommiſſ. libertatib. Stichus arcarius domino probante nomina fecit, & rationes a domino ſcriptas exhibuit, nec poſtea nomen ullum fecit.* Nomina itaque facit creditor, qui pecuniam mutuam dat, & in tabulas accepti & expenſi refert nomen illius, cui tantum pecuniæ credidit, vel commodavit; quod noſtris negotiatoribus eſt **te boek zetten**/ uti in ſuis *commentariis in off. Cic.* notat vir clariſſ. Joh. Georgius Grævius, dum viveret, Reipub. literariæ ſummum decus & ornamentum. Huc pertinent, quæ omni eruditionis genere florentiſſimus notavit Salmaſius *de uſuris cap. 6.*

 ex

ex loco Ciceronis in oratione pro Roſcio Comœdo, cum inquit; *Quod ſi ille ſuas proferet tabulas, proferet ſuas quoque Roſcius. Erat in illius tabulis hoc nomen, at in hujus non erit. Cur potius illius, quam hujus creditur? Scripſiſſet ille, ſi non juſſu hujus expenſum tuliſſet? Nam quemadmodum turpe eſt ſcribere, quod non debeatur, ſic improbum eſt non referre quod debeas. Æque enim tabulæ commendantur, hujus, qui verum non retulit, & ejus, qui falſum perſcripſit.* Ex hiſce perſpici clare poteſt, inquit Auctor, creditorem, cum nomen faceret, id eſt, pecuniam mutuam alicui daret, nomen debitoris in tabulas ſuas retuliſſe, & ſummam debiti, quam expenſam ferre dicebatur, quia expendebat. Expenſum ſibi ferri jubebat creditor debitorem, qui in tabulas ſuas referebat, quod acceperat, & debebat. Hinc tabulæ *expenſi* & *accepti* ab utraque parte conficiebantur. Ab illo more referendi nomina debitorum, quibus aliquid credidiſſent, in tabulis *nomen facere*, & *nomen locare dicebatur*, creditor, qui pecuniam credebat. Contra debitor cum creditum ſolveret, *nomen diſſolvere*, *expedire*, *expungere*; quia expungebatur nomen ejus e tabulis, ubi ſolviſſet. Nominibus itaque contrahebatur obligatio, cum expenſum quid in tabulas referebatur; atque id obtinebat, quoties pecunia, quam mutuo dabant, domi numerabant, & ex arca ſua, nomenque illius, cui eam dederant, in tabulis ſuis, uti diximus, perſcribebant & ſummam debiti. Atque tabulæ illæ etſi domeſticæ privataque ſcriptura in judicio prolatæ fidem tum faciebant ad debitum probandum. Verum & alia quoque nomina faciendi magis ſolennis obtinebat ratio, ſcil. cum illi, qui pecuniam ibant creditum ex arca ſua, non numerabant, ſed per argentarium ſive trapezitam, apud quos veteres fœneratores ſoliti erant pecunias ſuas depoſitas habere, ex menſa eam dare dicebantur, ſive ex menſæ ſcriptura. Trapezita, qui eorum nomine numerabat pecuniam, in rationes ſuas referebat, ſe nomine ejus tantum pecuniæ numeraſſe. Hinc Senec. *lib.* 3. *epiſt.* 28: *Putas, me non dicere, unde ſumpturus ſum mutuum: ſcis, cujus arca utar. Exſpecta me puſillum & de domo fiet numeratio.* Qui autem ex menſa argentarii pecuniam crediderat, ſi debitor

tor eam inficiaretur, ſibi datam numeratamve rationibus menſæ id factum docebatur. Hæ enim erant ſcripturæ, adverſus quas nihil poterat objici. Argentariorum publicum erat officium, per quos ſolebant, uti ſtatim dicere incepimus, veteres fœnus exercere, *l.* 10. *ff. de edendo.* coram ipſis nomina, ut diximus, conficiebantur & contractus celebrabantur; ipſi etenim argentarii pro iis, qui pecunias acciperent, fidejubebant, pro iis ſe debitores conſtituebant, pro quo facto adverſus iſtos introducta eſt actio receptitia, qua ſoli tenentur argentarii, *l. ult. Cod. de conſtituta pecunia.* Sic autem fere apud illos nomina fiebant, quomodo privatim facta annotavimus, verum, uti diximus, codicum ac rationum illorum multo certior fides. Quamobrem apud omnes ordines gratioſi erant, ut inquit Tullius 3. *off.* 13. Dicuntur alias *argenti diſtractores, venditores argenti, collectarii, nummularii, menſarii, collybiſtæ*, apud Græcos quoque ἀργυρονόμοι & ἀργυροαμοιβοί, apud Julium Polluc. *lib.* 3. *Onomaſtic. cap.* 9. Verum id genus obligationes & nominum conficiendorum ſolennitas imminuta per ipſos argentarios ſua fide, cujus exemplum invenimus apud Ciceronem *de offic. lib.* 3. *cap.* 13. & 14. tum etiam ſublato fœnoris exercendi jure in deſuetudinem abiere. Juſtiniani vero ætate nomina haud erant in uſu. Quippe Roma everſa & tranſlato Conſtantinopolim imperio, adeo ſimul quoque evaneſcentibus antiquis Romanorum moribus, Græcorum conſuetudo recepta, qui ſyngraphis utebantur, id eſt, cautionibus utriuſque contrahentis manu ſubſcriptis atque conſignatis. Poſterior tamen ætas, uti notant JCti, non συγγραφὴν, ſed συμβολαῖον, appellavit: Latini *inſtrumenta & cautiones*, voce generali ad chirographa quoque producta. vid. hac de re Salmaſium *de uſuris cap.* 10. *pag.* 427. Nova itaque literarum obligatio eſt, ut cum quis ſcripſerit ſe accepiſſe & debere alteri, tanquam ſibi ab eo numeratam pecuniam, quod tamen re vera non accepit, hac ſcriptura quodammodo obligetur: cum pro inſtrumento præſumatur, & actione a creditore, qui chirographum tenet & producit, conveniri poteſt; neceſſarium autem hujus obligationis requiſitum, ut literæ interveniant. Quippe ſi debitor confiteatur, ſine

Digitized by Google

ſine ſcriptura, non eſt obligatio literarum, uti annotavit Mynſingerus ad *Inſt. de liter. obligat.* ubi etiam notat, debitorem ex hac confeſſione literaria obligari quidem civiliter, verum non naturaliter, utcunque pecunia non ſit numerata, ut reddat creditori mutuum. Obligatio autem naturalis hic non oritur, quia conſenſus deficit, adeoque voluntas ſeſe obligandi, quæ fundamentum eſt quo nititur, tum etiam cauſa & origo, ex qua obligatio naturalis naſcitur; dictat enim æquitas & recta ratio ſuum cuique tribuendum, adeoque quoties conſenſu interveniente alteri quid dare facere vel præſtare promiſerim, ratio ſive jus naturæ a me exigit, ut promiſſa atque pacta conventa adimpleam, adeoque naturæ vinculo alteri ſum obligatus ex facto ſive meo conſenſu; verum cum quis ſui juris eſt, nec alter in alterum habeat imperium, ſequitur alterum in alterum jus nullum habere aliquid vel exigendi vel præſtandi, niſi ejuſmodi officia, quæ jure naturæ alter alteri præſtare tenetur. De ejuſmodi obligatione naturali non diſputamus, verum de obligatione, quæ ex facto noſtro ſive voluntate & conſenſu proficiſcitur, atque ejuſmodi obligationem naturalem parit factum noſtrum ſive conſenſus, quatenus cum altero ſponte contractum celebramus, vel ultro citroque obligatorium, vel ab una duntaxat parte obligantem. Quoniam ex ejuſmodi contractu vel unus contrahentium vel ambo alteri quid viciſſim præſtare ſponte & conſenſu interveniente, promiſerit vel adſtrinxerit, ex eo profluit naturalis obligatio, quæ conſcientiam hominis ſtringit, & ipſi neceſſitatem imponit, qua tenetur promiſſa præſtare, & adimplere quod pactum & conventum; fundata in dictamine rationis, quæ ſuum cuique tribuendum dictat, adeoque præſtare & adimplere, quod alter a nobis exigere atque petere poteſt, ex obligatione, quam contractus conſenſu initus parit atque producit. Unde ex literarum obligatione ſtatuunt DD. non oriri obligationem naturalem, quia deficit conſenſus; præſumi enim oportet, debitorem non voluiſſe validam eſſe ſuam literarum obligationem, ſi eam realis numeratio non ſequatur. Præterquam quod hic quoque deeſt, ut inquiunt DD. naturalis æquitas, cum pecu-

cunia non ſit numerata, imo vero numeratio eſt cauſa debendi; ceſſante vero cauſa, ceſſat effectus; quatenus in foro poli nullam obligationem parit ejuſmodi literaria confeſſio; quia conſcientiam non conſtringit. Oritur itaque hic duntaxat obligatio civilis; quoniam legiſlator ſive jus civile falſo ſubſcribit huic conventioni ſive confeſſioni literariæ: *fallitur enim*, ut inquit ſtatim allegatus Auctor, *colligendo a pleriſque accidentibus, pecuniam eſſe numeratam, cum id teſtetur chirographum.* Dat itaque ex ſola civili creditori actionem adverſus debitorem, qui ſe ita literis obligavit. Quoniam autem urgens telum ſit neceſſitas, qua plerumque in quodvis rapiuntur, qui æs alienum diſſolvere aut verſuram etiam facere compelluntur. *Facile improbus creditor*, ut inquit Balduinus, *egentem hiantemque debitorem vel ſola & inani oſtentatione pecuniæ ineſcabit, ab eoque manum imprudentem ſive confeſſionem extorquebit, ſi qua ſpes doloſi affulſerit nummi.* Remedium itaque jure civili quoque inventum, quo ſe debitor adverſus creditorem ex ejuſmodi literaria confeſſione actionem moventem poſſit tueri, ſcil. exceptione non numeratæ pecuniæ, qua intra biennium elidere poteſt actionem debitor, & onus probandi transferre in creditorem, cui incumbit probare pecuniam revera numeratam eſſe, utcumque chirographum hoc teſtetur. Verum ne creditores etiam veri, nummis ſuis ſerio ac bona fide numeratis, defraudentur, ad biennii continui metas, tempus illud, intra quod hanc exceptionem debitori objiciendi conceſſa facultas, coarctatum eſt, adeoque ſi biennium jam effluxerit, lex onus probandi in debitorem rejicit; cum non ſit veriſimile, debitorem adeo negligentem fuiſſe, ut intra biennium perpetuum nec ſolutionem pecuniæ urgeret, nec chirographum datum repeteret. Hinc ipſi incumbit probare, pecuniam non eſſe numeratam. Tempus enim ei præfixum primo fuit quinquennium, ut apparet ex *fragm. Cod. Hermog. tit. de cauta & non numerata pecun.* Verum ne creditores veri ac bonæ fidei ſuis pecuniis diutius defraudarentur, æquitati magis conſentaneum Imper. judicavit, ut tempus ad biennium coarctaretur, *l. 14. Cod. de non numerata pecun.* adeoque ſi intra biennium hance exce-

ptionem non opponat, poſtea non audiendus, verum condemnandus, tanquam acceperit, & verus ſit debitor, & ne quidem jusjurandum adverſario deferre poteſt, *d. l.* 14. *§.* 3. *Cod. h. t.* Hanc autem exceptionem tanta æquitate juvari ait Cagnolus *Paraphraſ. in Inſt. ad tit. de literar. obligat.* ut intra biennium nihil actori proſit oſtendere, debitorem confeſſum eſſe receptam a ſe pecuniam; non ſpe futuræ numerationis, aut denique ejus exceptionis beneficio, cum confiteretur renunciaſſe, addito etiam corporali jurejurando. Quippe, uti inquit, eadem facultate is qui pecuniam mutuam a menſariis aut alio futuro creditore exſpectat gratum ſe videri ſtudet, ac illius voluntati ſubſerviens, ſcribit ſe, quod non accepit, accepiſſe, eadem vel imprudentia vel penuria ſibi perſuaderi ſinet, ut huic exceptioni vel cum juramento renunciet; nam regulare eſt, ut in juramento eadem tacita conditio ſubintelligatur, quæ obligationi principali ineſſe videtur. Aliud autem dicendum, ſi ex intervallo & poſt editam confeſſionem huic exceptioni debitor ſciens ſibi numeratum non eſſe renunciaverit: quippe hoc caſu ceſſat ratio, quæ induxiſſe videbatur ad inanem confeſſionem. Datur quoque hæc exceptio non duntaxat reo principali, ſive ei, qui dedit chirographum; verum etiam fidejuſſoribus, mandatoribus & reliquis pro eo intervenientibus. Imo vero tanta æquitate juvatur hæc exceptio, ut ſi ſupremum forte principalis debitor diem obierit, antequam biennium elapſum eſt, quicquid ex eo ſupereſt, hæres defuncti habiturus ad hujus exceptionis objectionem, tam adverſus creditorem, quam ejus hæredem. Verum ſunt tamen caſus, quibus prorſus denegatur hæc exceptio, etiam intra biennium, vel breviori tempore circumſcribitur. Tres caſus enumerantur in *l.* 14. *§.* 1. *Cod. de non numer. pecun.* in quibus hæc exceptio non habet locum, ſive denegatur, id eſt, in inſtrumento depoſitionis; cum haud veriſimile videatur, eum, qui nullum ex eo contractu lucrum ad ſe perventurum providet, falſo aliquid ſpe depoſiti confeſſurum. Et proinde quando depoſitarius fatetur apud ſe rem eſſe depoſitam, non gaudet hac exceptione. Quod tamen ita limitandum DD. ſentiunt, niſi fraus

fraus fiat legi, ut ſi quis acceperit pecuniam quaſi ex depoſito, & revera ſit ex mutuo. Alter caſus verſatur in ſecuritatibus (apochis) publicarum functionum ſeu tributorum. Tertius caſus habet locum in apochis poſt confectionem inſtrumentorum dotalium de dote vel pro parte vel in ſolidum ſoluta datis. Quod ſi autem maritus in ipſo inſtrumento dotali fateatur ſe accepiſſe dotem, hoc caſu hac exceptione gaudebit intra biennium continuum; ſi nondum per biennium ſteterit matrimonium, intra tamen decennium habet hæc exceptio ſpatium trium menſium, poſtea plane excluſa eſt, *Auth. quod locum. Cod. de dote cauta non numer.* Quippe, uti diſputant DD. cum maritus ob dotem obligatam habeat uxorem, neceſſe non habet fateri ſolutionem ſpe numerationis. Unde inquit Brunnemannus, notabiliter colligitur, mariti confeſſionem factam poſt dotale inſtrumentum ex intervallo, non poſſe retractari per hanc exceptionem. Quod ſecus eſt, ſi ſponſus a ſponſa percepiſſe dotem fateatur. Denegatur quoque hæc exceptio ei, qui fidem cautionis agnoſcens partem ſortis vel uſurarum jam ſolverit. Is enim nimium tarde querelam de non numerata pecunia defert, juxta *l.* 4. *Cod. de non numer. pecun.* Ratio eſt, quia ſolvendo approbat cautionem, & facto ipſo ex intervallo renunciat, niſi ſit hæres, qui juſtam erroris poteſt cauſam allegare. Idem obtinet in tranſactione, ut ſi quid promiſſum tranſactionis cauſa ſtipulanti, *l.* 11. *Cod. de non numer. pecun.* Rationem tradunt DD. Quia debitor non cenſetur promittere ſpe futuræ numerationis, ſed quia a lite receſſit, & ſic ob cauſam de præterito; *eo ipſo enim ſubeſt cauſa, quod a lite diſceditur*, ut inquit Brunnemannus *Comment. ad Cod. h. t.* Hiſce caſibus addunt adhuc alium, in quo confitenti & ejus hæredi exceptionem non numeratæ pecuniæ etiam nondum elapſo biennio a tempore confeſſionis in ſcripturam redactæ, denegandum ſtatuunt DD. ſcil. quando teſtator aliquis in ſuo teſtamento confitetur, ſe recepiſſe mutuam pecuniam a Titio: quamvis enim confeſſio in teſtamento facta non omnem excludat errorem, excludit tamen metum & ſimulationem, nimirum quod cum aliud ob oculos obverſetur, vid. DD. ad

 l.

l. 1. *Cod. de fal. cauſ. adject. leg.* Diximus, hanc exceptionem vel omnino denegari, vel breviori tempore circumſcribi. Breviori autem tempore concluditur ſcil. 30. diebus, ſive ſpatio unius menſis in apochis privatorum debitorum; uti in *l.* 14. *§.* 2. *Cod. de non numer. pecun.* Hæc de literarum obligationibus delibaſſe ſufficiunt.

Plerique fere omnes his conventionibus, quæ jure civili conſtitutæ, emphyteuſim quoque annumerant, ejuſque originem a Zenoniana lege deducendam. vid. §. 3. *Inſt. de locat. & conduct.* atque ita a Zenone hunc contractum primum excogitatum fuiſſe; adeoque juri civili adſcribendum ſtatuunt. Verum Hotomannus aliique non infimi ſubſellii JCti ridiculum eſſe ajunt, hujus contractus auctorem & inventorem Zenonem nuncupare; quoniam multis ante Zenonem ſeculis agros quoſdam fuiſſe vectigales, ſive in emphyteuſim datos, uti ex plurimis locis in *ff.* conſtat: hinc *tit. ſi ager vectig. l.* 61. *§. pen. & ult. ff. de leg.* 1. *l.* 31. *ff. de pign. l.* 15. *ff. de damn. inf. l.* 12. *ff. de publ. in rem act.* Verum etiam non abſimile populi Romani inſtitutum ab eo tempore, ex quo Romanorum imperio Italia adjecta, introductum fuiſſe veteres teſtantur annales. Apud Plutarchum *in vita Gracchorum* legimus, Romanos finitimorum agrum bello captum partim vendidiſſe, partim publicaſſe, cumque tenuibus civibus fruendum diſtribuiſſe, qui tributum modicum in ærarium referrent. Atque uti teſtatur Appianus *l.* 1. *de bellis civilibus. Agros autem bello captos ſibique in perpetuum reſervatos, eos quidem, qui culti erant, colonis continuo dividebant, vendebant, elocabant. Hos vero, qui propter bellum inculti ac deſerti erant, quorum magna erat copia, quia nondum illis vacabat in ſortem mittere, auctionabantur, iiſque addicebant, qui colere vellent, vectigali impoſito, minutarum quidem frugum decuma, reliquorum fructuum quinta.* Huc quoque pertinent, quæ tradit Hyginus: *Vectigales agri ſunt obligati, quidam Reipub. populi Romani, quidam coloniarum aut municipiorum, aut civitatum aliquarum, qui & ipſi plerique ad Populum Romanum pertinentes ex hoſte capti partitique ac diviſi ſunt per centurias, ut aſſignarentur militibus, quorum virtute capti erant, amplius quam*

Digitized by Google

quam deſtinatio modi, quam vero militum exigebat numerus, qui ſuperfuerant agri, vectigalibus ſubjecti ſunt, alii per annos, alii vero mancipiis ementibus, id eſt, conducentibus in annos centenos. Origo hujus contractus derivanda potiſſimum a ſterilitate agrorum, qui ob ſterilitatem concedebantur in perpetuum, ea lege, ut illi, quibus elocabantur, excolerent, & in meliorem ſtatum plantationibus aliiſve modis redderent, certa conſtituta penſione annua vel vectigali. Hinc emphyteuſis ἐμφύτευσις Latine *inſitionem* ſignificat ſeu *plantationem*, verbo Græco ἐμφυτεύω quod eſt *inſero* vel *conſero*; unde *emphyteutes* ſive *emphyteuta*, qui fundum agrumve ea lege a domino accipit, ut eum conſerat, melioremque efficiat, vid. Cæl. Rhod. *l. 7. cap. ult.* Quod etiam Byzantinos, cum pecuniis egerent, nec aliunde poſſent ad nummos pervenire, feciſſe, & fundos ſuos publicos certa mercede, & fertiles quidem ad tempus, ſteriles vero in perpetuum locaſſe, tradit Ariſtoteles *lib. 2. Oecon.* Quippe non veriſimile erat, aliquem in excolendum & in meliorem ſtatum redigendum agrum natura ſterilem tantum laboris atque curæ & culturæ impenſurum, cujus certam & in perpetuum non habuiſſet poſſeſſionem. Ex hiſce patet, hunc contractum non jure civili, ſed jure gentium introductum eſſe. Adeoque dicendum, Zenonem primum hujus contractus inventorem non fuiſſe. Quippe, uti notavimus, ante conſtitutionem Zenonianam hic contractus inductus & efficax erat, licet non plane ab aliis diſtinctus. Verum Zenoniana lex propriam contractus ſpeciem facit a locatione & venditione ſeparatam; quamobrem eſt origine juris gentium, licet Zeno formam illi addiderit. Nec obſtat, quod ad hunc contractum ſcriptura requiratur; quippe licet hoc concederemus, tamen ſcriptura hic non eſt ſolennis, neque fit conceptis verbis, ſed qualibuſcunque, ſicut emptio, quam placuit fieri in ſcriptis, eam ob id nemo dixerit juris civilis. *Non pertinet ſcriptura ad hujus contractus ſubſtantiam, ſed evidentiorem tantum geſtorum ac in perpetuum ac immemoriale aut ſaltem longum tempus vim habiturorum memoriam tanquam fideliſſimam memoriæ cuſtodem, & adjutricem, ne alias lapſu temporis geſta excidant, & vacillare incipiat*

cipiat contractus fides, dum labilis hominum memoria eſt, atque etiam deficit teſtium mortalitate, ut optime differit Vir Clar. Joh. Voet *Comment. ad. h. t.* Poteſt itaque deſcribi Emphyteuſis; quod ſit *contractus, quo res ſoli ſive immobilis ſub annua penſione in perpetuum, plerumque colenda fruenda traditur, cum retentione tantum directi dominii, alterius cujuſvis in recipientem tranſlatione facta*. Vel definiri poteſt, quod ſit *contractus, quo prædium perpetuo alteri fruendum ea lege & conditione traditur, ut id melius & cultius reddat, & domino ſingulis annis certam penſionem pro eo præſtet*. Ceterum quid in ſolutione canonis, ut in alienatione boni emphyteutici, in ejus duratione, aut ſingulari conventione obtineat, ac jure communi receptum, interpretes juris Romani paſſim tradunt ſponſalitiam largitatem, ſive donationem propter nuptias conventionibus juris civilis quoque annumerandam vid. Novel. 119. ubi inquit Imperator, *ſponſalitiam largitatem contractum ſpecialem eſſe & judicari, & non aliis donationibus eam connumerari, præſentem legem ſancimus*. Ubi ſponſalitiam largitatem intelligit donationem propter vel ante nuptias, eamque proprium & ſpecialem juri civili adſcribendum contractum eſſe Jcti affirmant, vid. *l.* 20. *Cod. de donat. ante nupt. §.* 3. *Inſt. de donat.* ubi manifeſte probatur, donationem hanc juris civilis recentioris, dum Imp. ibi hoc genus donationis, veteribus penitus incognitum, & a junioribus Principibus introductum fuiſſe, atteſtatur. Adeoque differunt arrhæ ſponſalitiæ a ſponſalitia largitate in eo, quod arrha non ſit donatio ut largitas ſponſalitia, ſed velut pignus. Accedit enim arrha ſponſalibus, quaſi in ſymbolum futuri matrimonii & ad fidei datæ probationem, & quod ſponſalia facta ſint. Cujuſmodi arrha plerumque conſiſtebat in annulo. Quamvis etiam & alia arrharum nomine nonnunquam darentur, uti conſtat ex Capitolino de Maximino Juniore: *Deſponſa illi erat Junia Fadilla, proneptis Antonini, quam poſtea accepit Toroſius ejuſdem familiæ Senator: manſerunt autem apud eam arrhæ regiæ, quæ tales fuerunt: monilium de albis novem, reticulum de praſinis decem, dextrocherium cum caſtula de hyacinthis quatuor, præ-*

ter

ter veſtes auratas & omnes regias, ceteraque inſignia ſponſaliorum. Verum ſemper fere annulus dabatur. De quo more ita ſcribit Tertull. *Aurum nullum, præterquam unico digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo.* Huc quoque reſpexiſſe videtur Juvenalis *Satyr.* 6. *verſ.* 25. & *ſeqq.*

Conventum tamen & pactum & ſponſalia noſtra,
Tempeſtate paras, jamque a tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

Eſt enim vinculum, non geſtamen, ut Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. Sic quoque Iſidorus Hiſpalenſis *Etymolog. Fœminæ*, ait, *non uſæ ſunt annulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat, neque amplius quam binos aureos in digitis habere ſolebat.* Et idem *lib.* 2. *de divin. offic. cap.* 15. *Quod imprimis*, ait, *nuptiis annulus ſponſæ a ſponſo datur, fit, nimirum, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto annulus digito inſeritur? Ideo, quia in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat.* Tradit vero Plinius *d. l.* ſua ætate ferreum annulum, eumque ſine gemma ſponſæ mitti conſueviſſe. Improprie vero, ſponſalitiam largitatem eam nominat Juſtinianus, quæ eſt donatio propter vel ante nuptias, & *proprius* in ſtatim allegata *Novel.* dicitur *contractus*, atque a vera ſponſalitia largitate in eo differt, quod donatio ante vel propter nuptias fiat propter æqualitatem dotis acceptæ a marito uxori, *dict. Novel.* ſponſalitia autem largitas, non propter dotem, ſed affectionem ſponſi vel ſponſæ, *l.* 15. *Cod. de donat. ante nupt.* Proprie enim ſumpta ſponſalitia largitas eſt *gratuita donatio* ſponſæ facta a ſponſo, vel contra; quamquam raro fieri ſoleat a ſponſa. Mulieres enim ſolent admodum tenaces eſſe, atque avaræ, ut quidam inquit; propterea magis amant accipere quam donare. Notandum, ſponſalitiæ largitatis nomine etiam venire munera, quæ ſponſæ donantur & mittuntur triduo antequam ea in publicum prodire ſolebat ab ejus amicis. *l.* 1. *Cod. ſi nupt. ex reſcript. petant. Munera*, inquit Julius Pollux *lib.* 3. *cap.* 3. *a ſponſo data ſponſalia dicun-*

Digitized by Google

cuntur ὀπτήρια & ἀνακαλυπτήρια; quæ & diem, qua ſponſa detegitur & prodit, ſignificant; & *munera*, quæ a ſponſo huic collata; quæ etiam προσφθεγκτήρια. Sponſalitia largitas, de qua nobis ſermo, nihil aliud eſt, quam. *donatio propter nuptias quæ a viro dabatur ad remunerationem dotis illatæ, l.* 19. *Cod. de donat. ante nupt.* indeque ἀντιφέρνη dicta eſt; & notante Hotomanno, a Latinis prius antenuptialis donatio (quod ante efficiebatur & nunquam poſt nuptias) ſed poſtea, quia conſtitutum eſt, ut etiam fierent tales donationes, voluit Imp. Juſtinianus, eas donationes propter nuptias appellari, quoniam & augeri & fieri etiam poſt nuptias permiſſum ſit; *l. ult. Cod. de donat. ante nupt. l.* 20. *Cod. d. t.* Adeo ut facile appareat, inquit, hanc donationem propter nuptias, præter illam hypothecam, quæ jam Juſtiniani conſtitutione in omnibus mariti bonis tacite ineſt, nihil aliud eſſe, quam cautionem diuturni conjugii, vel donationem ſub conditione, ſi dos a marito conſumpta ſit, vel ſine cauſa diremtum. Adeoque eum in finem introducta hæc donatio, ut dos mulieris ſit tutior; & ut quemadmodum mulier ſine cauſa divertens dote, ſic etiam maritus rebus donatis multetur. Rectum de juſtitia & jure diſputandi ordinem dum legiſlator ſervare voluerit, poſtquam definivit ac recenſuit ea, quæ ſunt juris naturalis vel gentium, pergit nunc definitionibus civile jus explicare. Quamobrem in ſequenti lege deſcribit, ſive definitionem tradit juris civilis.

Lex VI.

Lex VI.

Jus civile eſt, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt civile, efficimus. Hoc igitur jus noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto, ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, i. e. legum aliæ, quidem ſcriptæ, aliæ vero non ſcriptæ.

Jus civile eſt, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Jus civile non tam origine a jure naturali vel gentium recedit, ſive diverſum eſt, quam quidem appellatione & applicatione ab eo diſtinguitur. Quippe, ut alibi annotavimus, juris nomen generale eſt, & comprehendit omnes juris ſpecies, ſive omne id, quod juſtum eſt & æquum, cum applicatione ad objectum circa quod verſatur. Illa autem applicatio conſiſtit in mentis diſcurſu, quæ dictat & difinit quid faciendum, quid omittendum, ut id, quod juſtum & æquum eſt, aſſequamur in applicatione ejus, quod in actum deducere, cum relatione ad objectum cui applicandum, animum induximus. Cujuſmodi applicatio pro variis temporum & caſuum rationibus varia ſtatus ac conditionis mutatione, in qua vivimus, diverſam quoque appellationem nanciſcitur jus illud, quod nobis vivendi agendique norma eſſe debet, abſque ulla mutatione originis, ex qua omnia jura dimanant, ſive naturæ, ſive gentium, ſive civilia, utpote quæ ex eodem rationis dictamine, & eadem juſtitia & æquitate profluunt, eaque nituntur. Adeoque jus civile nec in totum a jure naturali vel gentium recedere, neque per omnia ei ſervire, inquit Ulpianus; ſcil. quatenus generis humani ſtatu & conditione ea, quæ juris natu-

ræ vel gentium eſſe dicuntur, ſive quæ ratio dictabat in illo ſtatu ſcil. primævo ſeu naturali cum juſtitia & æquitate convenientiam habere; adeoque juſta & recta eſſent in ſocietate civili, & a juſtitiæ tramite aliquando deflecteremur, ſi eadem in actum deducerentur rationis dictamina, & applicarentur ad præſentem hominis ſtatum & conditionem, quæ apud eum tanquam ſocietatis civilis membrum pervenit. Itaque jus civile idem cum jure naturæ & gentium, quatenus juris nomine intelligimus omne id, quod juſtum & æquum eſt, verum jus civile ab eodem recedit, quatenus mutato ſtatu, & conditione juris applicatio ad præſentem ſtatum aliud quoque juris nomen induit jus naturale & gentium. Natum itaque jus civile cum, uti alibi notavimus, homines ſtatus naturalis ob multa, quibus in eo expoſiti erant, incommoda, pertæſi, naturali libertati, exigente neceſſitate, renunciantes, in civilem ſocietatem, ſub uno eodem ſummo imperio coaluerunt; fabrica enim civitatis, quæ longe diverſa eſt a ſtatu naturali ſive libertatis, longe quoque aliam quandoque juris deſiderat conſtitutionem & applicationem, quam quæ obtinuit in ſtatu primævo, ſeu naturali; adeoque in eo quidem aliquando recedit quibuſdam in caſibus; verum civilis tamen ratio, quatenus conſiſtit cum conſervatione ſocietatis civilis, cum juſtitia & æquitate, adeoque jure naturali & dictamine rationis convenit, eamque ſibi habet comitem. *Jus civile eſt æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem ſunt civitatis, ad res ſuas obtinendas*, ut ait Cicero *in Topicis cap.* 2. Ratio enim vix dici poteſt, quæ naturalis non ſit, ſive cum rationis dictamine convenit, quamvis non ſemper, quod naturæ communi congruit, omnium ſive univerſi generis humani, conſideret, ſed aliquando duntaxat ſocietatis, aliquando civilis cauſam, & neceſſitatem, utque commodius alicujus vita inſtruatur, habita ratione morum, præſentis loci & conditionis, & ejus quod ibi ſæpius quam alibi communiter inter homines contingit; hinc quot Reſpub. ſive civitates, tot fere diverſa jura, quæ omnia per applicationem & præſentem ſocietatis ſtatum ac fabricam eamdem æquitatem & juſtitiam participant. Quamobrem jus civile, quod proprium eſt cujuſque civi-

Digitized by Google

civitatis, id eſt, quod maxime conformatum eſt ritibus & moribus receptis, tum etiam genio & indoli civium vel ſubjectorum, cum jure naturæ conſentit, teſte Ulpiano in *h. l.* Neceſſitas enim ſocietatum quandoque efflagitat ob peculiarem rationem ab univerſali æquitate naturali deflectere: ſic ob nefandorum criminum quarundam apud nonnullos populos frequentiam augeri & exaſperari pœnas, aut propter mores ſeveriores & barbaros durius ſtatui, quam quidem univerſalis dictaret æquitas oportet interdum, & interdum contraria cauſſa minui, & aliter hic expedit, aliter alibi temperare leges. Quæ omnia tamen, ut inquit Tholoſanus *lib. XI. cap.* 1. etſi diverſa in locis diverſis & contraria, juſta nihilominus ſunt & æqua; ſed diverſa ratione & ſecundum quid, non ſecundum generalem conſiderationem juris naturæ in abſtracto, ſed ſecundum jus naturæ in concreto, hoc eſt, pro convenientia ſubjecti, cui nomotheca juſtum præſcribit: ut non dubitem jus naturale in jure civili eſſe, verum in illo concreto civibus dominari. Et tamen ſi ſanctiones civiles non ſint conſonæ rationi, jus non faciunt, quantumvis ita nominentur, ſed corruptelam; ſi autem conſentiant cum ratione, cum ea naturalis ſit, jus quoque civile & naturale hoc modo erit, & in concreto dici poterit, & ratione contractionis ad illam vel illam civitatem jus naturale & civile quoque. Jus itaque civile eadem nititur ratione, & ex eodem fonte profluit, verum per applicationem, tum etiam modum conſtituendi, ſcil. additionem & detractionem, aliam applicationem nanciſcitur. Quamobrem dicitur jus civile a naturali non recedere, quia ab eo rectitudinem mutuatur; quippe, ut inquit Coraſius *comment. ad. h. t.* ſi penitus a naturali ratione recederet, vel cum ea non haberet convenientiam, jam non jus, non lex eſſet; ſed belluina quædam traditio. Addendo itaque vel detrahendo naturali vel gentium juri, quatenus id deſiderat civitatis fabrica, & civium ſalus atque communis utilitas, jus civile naſcitur, unde JCtus,

Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt, civile efficimus. Quamdiu mortales in ſtatu naturali, in quo quiſque paterfamilias, ut alibi annotavimus,

mus, ſui juris, adeoque alieno non ſubjectus imperio, cui obtemperare neceſſum habebat, ſibi ac familiæ ſuæ membris, pro ſuo arbitrio normam & regulam vivendi & agendi præſcribebat, nulla jura, nullæ leges vigebant, quam quæ recta dictabat ratio, adeoque jus naturale in ſtatu naturali regula & norma agendorum erat, cui obtemperare ſinguli quidem naturæ jure devincti, verum obſequendi neceſſitatem alteri alter imponendi non habebat facultatem, quoniam omnes ſibi jure & conditione æquales erant, alter in alterum nullo jure poterat vindicare imperium, quo nititur neceſſitas parendi. Quamobrem addendi vel detrahendi aliquid juri communi eo in ſtatu nemo facultatem habebat, quoniam ejuſmodi additio vel detractio non duntaxat eſt juris quædam innovatio, & quaſi novi juris conſtitutio, quatenus recedit a priſtini juris regula & norma agendorum in ſtatu naturæ locum habente & obligandi vim producente, quæ ceſſat per conſtitutionem juris poſitivi, adeoque ſupponit poteſtatem ferendi leges, ſummum imperium, cui ejuſmodi poteſtas ipſo jure cohæret atque ineſt; atqui in ſtatu primævo ſive naturali quiſque ſui juris, uti ſtatim diximus, ſequitur juris immutandi, vel jus novum conſtituendi facultatem ſibi neminem vindicare potuiſſe cum eo effectu, ut ceteri inviti obligarentur ad ejus obſervantiam. Verum poſtquam mortales in ſocietatem civilem coaluerunt ſub uno eodemque ſummo imperio, renuntiantes libertati naturali, & imperium poteſtatemque, quam quiſque paterfamilias habebat in familiam ſuam, in eum contulerunt, quem ſocietati gubernandæ atque tuendæ præfecerunt, ſimul quoque ipſi detulerunt poteſtatem novum jus condendi, atque ferendi leges, quas ſummus imperans arbitraretur ad ſocietatis commodum utilitatemque promovendam, ejuſque ſalutem tuendam neceſſarias atque utiles fore. Haud enim Reipub. adminiſtratio recte gereretur, niſi juxta jura imperii legum condendarum & tollendarum quoque poteſtas in Principem tranſlata fuiſſet, obſequii gloria relicta ſubjectis, ut alibi notavimus, cum addendo vel detrahendo juri communi, ut inquit JCtus, id eſt, juri naturali ſive gentium, jus proprium efficimus, adeoque jus no-

novum, vel aliam juris ſpeciem, & eatenus novum jus; tamen non omnino diverſum a jure communi, multo minus i oppoſitum, quatenus cum æquitate, adeoque cum ratione naturali convenire debet, conſtituimus, facile perſpicimus ejuſmodi juris communis innovationem ſive mutationem in jus proprium, alicujus civitatis locum non habuiſſe, antequam hominum cœtus celebrari, & ſocietates civiles excitari cœperunt. Quatenus itaque addendo vel detrahendo jus commune aliam recipit formam, per applicationem ad ſocietatis civilis ſtatum atque fabricam, eatenus jus proprium ejuſdem civitatis dicitur, & aliam denuntiationem ſortitur, atque efficitur jus civile iſtius civitatis, vel iſtius populi, qui ipſe, vel qui vice populi, ſcil. Princeps vel ſummus Magiſtratus, addendo vel detrahendo juri communi ad communem civitatis ſive Reipub. utilitatem promovendam, in jus civile reformat. Ideoque eatenus recedit a jure communi ſive naturali, quatenus aliam induit formam, uti diximus, per applicationem ad civitatis ſtatum, adeoque jus civile, ſive addendo ſive detrahendo, non abrogat, neque tollit jus commune ſive naturale, quatenus in recta ratione & æquitate fundatum eſt; quippe eadem quoque ratione niti debet jus civile. Quamobrem Cicero *in Topicis cap.* 2. jus civile definit *eſſe æquitatem conſtitutam iis, qui ejuſdem civitatis ſunt ad res ſuas obtinendas*. Quia ab ea recedens jus non eſſet, verum dum jus commune ei vel detrahendo vel addendo accommodat ad conſtitutionem civitatis legiſlator, loci, temporum, perſonarumque naturæ habita ratione fit jus proprium iſtius civitatis ac cœtus, cui præeſt, & etymologia quadam jus civile vocatur quaſi proprium ipſius civitatis. Nec obſtat, quod jus naturale ſit immutabile, adeoque ab auctoritate civili nec immutari nec abrogari poſſit. Concedimus libenter, jus naturale per ſe & ſua natura immutabile eſſe, adeoque diſpoſitioni legiſlatoris in civili ſocietate non ſubeſſe; quippe cum jus naturæ ex divina ſanctitate proficiſci alibi notavimus, non magis mutari poteſt quam ipſa natura divina; eam vero omnis mutationis expertem eſſe cuivis notum, quamobrem nulla probatione indiget. Quemadmodum

 enim

enim Deus eſſentiam non mutat, ita nec ſententiam. Quamobrem jus naturale ratione originis, ſive quatenus refertur ad ſeipſum tanquam objectum neceſſarium omnis mutationis vel extrinſecæ, vel intrinſecæ expers; verum quatenus extra divinam eſſentiam applicatur ad ſingulares atque varios actus, quæ ab hominibus proficiſcuntur, aliaque objecta externa refertur, quæ innumeris mutationibus expoſita atque viciſſitudinibus obnoxia ſunt, variatur atque aliquando mutatur, non intrinſece quoad eſſentiam & naturam, adeo ut quod per ſe & natura ſua malum, & proinde lege naturæ prohibitum, non permittatur vel præcipiatur quia bonum; verum, uti alibi annotavimus, actionum circumſtantiis, ut ita dicam, & objectis mutatis, legis ſive juris applicatio quoque mutatur. *Apud Deos id quod natura conſtat, ſive jus naturale immobile eſt, atque immutabile; apud homines vero aliquid naturale etiam mutabile eſt, ſed non omne*, ut inquit Philoſophus *lib. 5. cap. 5. Eudem.* Quamobrem quidam ejuſdem juris periti diſtinguunt inter ea quæ jus naturæ imperat vel vetat, & quæ permittit. Quæ vetat vel imperat, hominum diſpoſitioni non ſubſunt, adeoque adverſus hæc nihil valet civilis auctoritas, tantum ad ejus executionem comparata, ut inquit Vir ſingulari eruditione florentiſſimus Gerard. Noodt *comment. in pand. lib. 1. tit. 1.* At quæ permittit natura, ea quia in medio relicta, proprie non ſunt juris naturæ, licet per abuſionem eſſe dicantur, eo quod ei non repugnant, & ab initio ſic obtinuere, donec magis expedirent contraria. Quamobrem quæ antea erant indifferentia, cum pro publica omnium vel plurium utilitate imperantur vel vetantur, in civitate bona aut mala eſſe incipiunt, atque hoc jus civile in ſpecie dicitur: nam generaliter ſumptum, quia, quin etiam jus naturale ſeu gentium complectatur, non dubitat JCtus Gajus *l. 9. ff. h. t.* Eſſe igitur alterum æternum conſtans & immutabile; alterum pro tempore varium & multiplex, ex Ariſtotele notavit Vir clariſſ. ut etiam Paulus *l. 11. ff. h. t.* & optime Imp. Juſtinianus §. 11. *inſt. de jure natur.* Verum nulla habita ratione ejuſmodi diſtinctionis inter ea, quæ jus naturæ præcipit vel vetat, & ea,

ea, quæ permittit, adeoque earundem hominum, ſive potius legiſlatoris in quavis Republica vel ſocietate civili arbitrio relinquit diſpoſitionem, mihi dicendum videtur, detractionem vel additionem, de qua Jĉtus, tam habere locum in iis, quæ præcipit vel vetat jus naturæ, quam quæ permittit. Facile concedo, eſſe quædam jure naturæ præcepta vel vetita antecedenter, ſive citra voluntatem humanam, ſcil. quæ per ſe & ſua natura, dictante ratione, bona vel mala, juſta & honeſta vel turpia ſunt, adeoque dicuntur eſſe juris naturalis abſolute, quibus nihil addere vel detrahere poteſt humana voluntas; cujus generis omnia rectæ rationis dictata, cum primis illis nobis honeſti & juſti, ob divinæ imaginis communicationem, innatis principiis habent convenientiam, adeoque continent, ſive nobis imponunt moralem neceſſitatem faciendi, quæ ratio dictat cum illis convenire, abſtinendi vero ab iis, quæ hiſce principiis contraria. Quemadmodum enim ejuſmodi principia, quatenus immediate ex divinæ imaginis communicatione dimanant, nullam mutationem admittunt, quia omnis mutationis expers divina eſſentia, neceſſariam proinde atque indiſſolubilem producunt obligationem, quæ humana voluntate nec immutari nec tolli poteſt. Quamobrem ejuſmodi præcepta dicuntur eſſe juris naturalis abſoluti; verum quod attinet jus naturale *hypotheticum*, quod verſatur circa ejuſmodi objecta, quæ pro variis circumſtantiis diverſam quoque juris applicationem admittunt, legiſlatoris diſpoſitioni ſubjecit, ut ita dicam, ita ut detrahendo vel addendo diſponat prout exigit natura objecti, ad quod applicatur. Cujuſmodi diſpoſitio legiſlatoris quidem videtur quodammodo immutare jus naturæ, quatenus quæ generaliter ſancita ſpecialiter addendo vel detrahendo ad uſum & mores ac præſentem humani generis ſtatum & conditionem ſocietatis civilis, in qua nunc vivimus, fabricam accommodat atque applicat, qui ſummæ rerum in ejuſmodi ſocietate præeſt; attamen hac ratione præceptis naturalibus nihil decedit; quippe ejuſmodi applicatio, quæ fit addendo vel detrahendo, profluit ex dictamine rationis, quatenus ſocietatem civilem tuendam atque conſervandam dictat ratio; & proinde legiſlatori, cui incumbit

bit providere ne quid detrimenti capiat ſocietas, ejuſmodi leges & jura condendi facultatem, quæ tuendæ & conſervandæ ſocietati plurimum inſervire poſſunt, & proinde leges naturales, quæ cum publici tum privati juris fontem atque originem eſſe annotavimus; quo ſenſu jus civile dicitur collectum ex naturalibus præceptis, per detractionem vel additionem accommodare & applicare, ad præſentem Reipub. ſive ſocietatis civilis ſtatum, & fabricam ſummo legiſlatori incumbit; cujuſmodi acceſſus ſive detractio vel additio potius ſpecialis ex dictamine rationis ſive jure naturæ deductio eſt, ut ita dicam, quam ejuſdem intrinſeca mutatio, quod variis exemplis illuſtravimus in *comment. ad Hug. Grot. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 10. *de jur. bell. & pac.* quæ fruſtra hic repeteremus. Adeoque ut ibidem notavimus, ejuſmodi detractio vel additio a voluntate humana procedens legi naturæ adjecta non quidem revera intrinſece mutat, ſed potius adjuvat, & efficit legiſlator, quod ipſum jus naturæ videtur ſuadere, & recta ratio dictare; quamobrem eatenus ipſa legiſlatoris diſpoſitio potius legis rationem & intentionem declarat, quam eam immutat; per ſanctionem tamen aliam accipit appellationem, & quatenus illa provenit a poteſtate civili, civile quoque jus appellatur; id eſt, jus proprium iſtius civitatis, ab eo conditum, cui in civitate poteſtas juris condendi & legis ferendæ, delata: jus enim civile ex unaquaque civitate appellatur, ſic jus civile Athenienſium, ſic jus civile Romanum, quo Romanus populus utitur *§.* 2. *inſt. de jur. natur. gent. & civ.* & proinde JCtus noſter *jus noſtrum* appellat. Illud autem conſtare ait, aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto.

Hoc jus noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto; ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγγραφοι. Jus illud, quo populus Romanus utitur, & propterea jus civile Romanorum recte appellatur, quoniam ipſius civitatis proprium eſt, & hoc ſenſu *jus noſtrum* nuncupatur ab Ulpiano, conſtat ſive conflatum & compoſitum eſt ex ſcripto & non ſcripto, & proinde dividitur in ſcriptum & non ſcriptum. Jus ſcriptum vocatur quod in ſcripturam relatum eſt, non ſcriptum quod ſine ſcriptura obſervatur, ſcil. quod moribus & longa con-

Digitized by Google

conſuetudine invaluit, & pro jure obſervari cœpit. Hæc ratione initii accipienda ſunt: quippe fieri poteſt, ut conſuetudo quoque ſive mores literis mandentur, ac deſcribantur, (ut in conſuetudinibus Feudorum factum, cuivis notum) neque idcirco conſuetudines Feudorum deſierunt eſſe jus, quod ſine ſcripto venit. Quamobrem merito ineptam Gratiani diviſionem *cap. 5. diſt. 1.* ſtatim allegatus auctor prædicat, cum inquit: *Apparet quod conſuetudo eſt, partim redacta in ſcriptis, partim moribus utentium reſervata: quæ in ſcriptis redacta eſt, conſtitutio ſive jus vocatur, quæ vero in ſcriptis redacta non eſt, generali nomine conſuetudo, videl. appellatur.* Hujus diviſionis ratio in eo fundata, quod populus Romanus, penes quem juris condendi ſive legis ferendæ poteſtas reſidebat, ut alibi notavimus, vel palam declarabat voluntatem ſuam, vel tacite; palam, quoties populus Romanus, in comitiis Senatorio magiſtratu rogante, ſuffragiis ſuis declarat, ſe id habere ratum, ſive confirmare atque conſentire, ut quod rogatum erat, lex eſſet. Unde mos rogandi populum, *vellent juberentne Quirites quid fieri?* Qui ſi ſciviſſent, id eſt, confirmaſſent, ratumve habuiſſent quod rogabatur, lata ſancitaque lex erat. Notandum enim, quamvis penes populum erat poteſtas legis ferendæ, ejuſmodi poteſtas magis conſiſtebat in confirmando & ratum habendo quod rogabatur, quam jubendo; ſumpto hoc vocabulo eo ſenſu, quo ſignificare ſolet poteſtatem & imperium jubendi & imperandi pro arbitrio quicquid lubet, propria auctoritate, adeoque ut pro ratione eſſet voluntas; quo ſenſu quod Principi placuit, dicitur legis habere vigorem, *l. 1. ff. de conſt. Princip.* Scil. poſtquam populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contuliſſet, adeoque ipſe Princeps auctor & lator legis eſſet vi tranſlati in eum ſummi imperii, cui cohæret poteſtas independens juris condendi ſive leges figendi, qualem nunquam, ſtante libera Repub. populus habuit, verum erat circumſcripta auctoritate Senatus, quos auctores fieri oportebat; quippe legis ferendæ veterem morem, teſte Cicerone *orat. pro Flacco*, hunc fuiſſe conſtat: Conſul, aut quivis alius Senatorius magiſtratus Senatum adi-

bat, atque rogationis ſuæ ſententiam communicabat, ut ſcil. auctore Senatu rogatio procederet; deinde tributis aut centuriatis Comitiis populum rogabat, vellet, juberetne eam legem ferri: ferri enim lex non poterat ſpreto conſilio Patrum; quoniam, uti diximus, auctores legis ferendæ fieri, juxta veterem ſtatim deſcriptum morem oportebat. Hinc apud Cic. *lib.* 1. *ad Attic. epiſt.* 14. *Cum dies veniſſet rogationi ex SC. ferendæ &c.* Si populus intellexiſſet rogationem, vel eam approbabat, vel rejiciebat ſuffragiis ſuis; itaque quatenus rogationem populus ratam habebat, eamque confirmabat, hoc eſt firmam reddebat atque robur addebat, eatenus legem jubere atque ſancire dicebatur. Quamobrem apud Ciceronem *confirmare*, idem quod ſancire, *hoc verbis nullis ſanciri aut ſuffragiis confirmari poteſt.* Ad hunc modum lex rogata pro roſtris trinundino promulgabatur, i. e. in ſcripturam redacta publice promulgabatur, ut eam cognitam futuris comitiis vel comprobaret vel rejiceret. Quo more obſervato, quod rogatum erat, uti ſtatim diximus, vim legis obtinebat, & univerſum tenebat populum. Tacite declarabat voluntatem, ſi quid moribus vel conſuetudine reciperet. Verum, uti ſtatim annotavimus, quod lex tabulis inſcripta proponi ſolebat, ut omnibus poſſet innoteſcere, in eo non conſiſtit formalis differentia legis ſive ejus juris, quod opponitur juri non ſcripto ſive conſuetudini, verum expreſſa legiſlatoris voluntate & ſanctione. Quamobrem jus non ſcriptum, ſive quod ſine ſcripto conſtat, ut inquit JCtus, formam & eſſentiam habet a tacita voluntate & conſenſu populi utentis; adeoque quod abſque expreſſa ſanctione ſolis invaluit utentium moribus, *l.* 12. *ff. de ll.* & uno verbo dicitur conſuetudo, *§.* 9. *inſt. de jur. nat. gent.* Quamobrem, uti annotavimus, etiamſi conſuetudo in ſcriptum redigatur, juris tamen ſcripti nomine non venit, uti nec lex non ſcripta conſuetudo appellatur; quippe ſcriptura nihil facit ad legis eſſentiam, verum expreſſa legiſlatoris voluntas & ſanctio legem ſive jus ſcriptum componit. Quamobrem Ariſtoteles, *ſcriptæne ſint, an non ſcriptæ leges, intereſſe nihil videtur*, 10. *Eth.* Quamvis apud Lacedæmonios leges non in ſcriptu-

ram

ram redigerentur, legibus tamen uſos fuiſſe, cuivis notum. Quod autem ut moris erat, leges tabulis inſcribebantur, eam fiebat ob rationem, ut eo facilius populo innoteſcerent, & cognoſcerentur, & minore negotio probarentur, non ut inde vigorem & vim obligandi acciperent. *Quippe etiamſi lex non in ſcriptura propoſita fuiſſet populo, ſed voce præconis ad ſonitum campanæ, tubæ, aut tympani convocatis hominibus promulgaretur, nihil tamen hac ratione legis detraheretur auctoritati*, ut inquit Feltman *comment. ad h. t. Lex civilis*, inquit Hobbeſius *de cive cap.* 14. §. 14. *pro duplici more promulgandi duorum generum eſt: ſcripta & non ſcripta. Per ſcriptam intelligo eam, quæ voce vel ſigno aliquo alio voluntatis legiſlatoris indiget ut fiat lex: legum enim genus omne & natura & tempore coævum eſt generi humano, & propterea inventione literarum & ſcribendi arte antiquius. Non ergo legi ſcriptæ neceſſaria eſt ſcriptio, ſed vox. Hæc ſola ad eſſentiam, illa ad recordationem legis adhibita eſt. Nam ante ad memoriam juvandam leges in metra redactas cantitari ſolitas eſſe legimus.* Juris autem civilis ſcripti in lege ſequenti definitionem tradit Papinianus.

Lex VII.

Jus autem civile eſt, quod ex Legibus, Plebiſcitis, Senatusconſultis, Decretis Principum, auctoritate Prudentium venit. Jus Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia; propter utilitatem publicam, quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum.

JUs autem civile eſt, quod ex Legibus, Plebiſcitis, Senatuſconſultis, Decretis Principum, auctoritate Prudentum venit. Jus civile, de quo ſermonem hic habet Jctus, eſt illud jus ſcriptum, quod vel ex Legibus, vel Plebiſcitis, vel Sctis, decretis Principum & auctoritate Prudentum deſcendit, adeoque intelligimus per jus civile hac in lege deſcriptum jus civile Romanum, quod populus Romanus ſibi conſtituit, adeoque Romanæ civitatis proprium eſt, fundatum tamen in naturali æquitate, & proinde a jure naturali vel gentium non omnino recedens neque diſtinctum, verum cum eo conveniens, quatenus innititur æquitate & recta ratione, uti ſupr. demonſtravimus; attamen ei non per omnia ſerviens, verum quatenus ad conſtitutionem civitatis ejuſque fabricam quibuſdam in caſibus, utilitate & publica neceſſitate exigente, applicatur, & ad Reip. præſentem ſtatum accommodatur, jus naturale vel gentium aliam qualitatem atque formam aſſumit, atque hac ratione per additionem novæ qualitatis nova videtur induci ſpecies, quamobrem alia venit appellatione, diciturque jus civile, ut alibi annotavimus. Juris autem civilis Romani, quod ſcriptum nuncupamus, partes hic enumerat Jctus Papinianus, adeoque ſupplere videtur, quod deficiebat in illa definitione, quam in *l.*

præ-

præcedente tradiderat Ulpianus; imo forte quis & hanc definitionem Papiniani defectu laborare reponet, quaſi non univerſum jus ſcriptum complecteretur: adeo ut perfectior videatur illa Ciceronis *in Topic.* ubi ſeptem juris ſpecies recenſet: *id enim*, ſcribit, *in legibus*, *Senatusconſultis*, *rebus judicatis*, *juris peritorum auctoritate*, *edictis magiſtratuum*, *more*, *æquitate conſiſtere.* Verum cum Rittershuſio reſpondendum, ſententiam non eſſe jus, neque jus facere, niſi inter quos dicta eſt, *l.* 50. *§.* 1. *ff. de legat.* 1. *Cod. de ſent. interl.* Sententia quoad alios non facit jus, niſi vel perpetuo ſimiliter judicatum ſit, *arg. l.* 38. *ff. de ll.* vel de ſtatu alicujus, ut de ingenuitate, pronuntiatum ſit: ibi enim res judicata habetur pro veritate, *l.* 25. *ff. de ſtat. hom. l.* 207. *ff. de R. J.* Prima itaque juris ſcripti pars lex eſt. In ſtrictiori ſignificatione juxta mentem JCti legis vocabulum hic occurrit, ita ut lex hic debeat diſtingui a ceteris juris partibus, & ea duntaxat dicatur, quæ juxta morem, qui in ferendis legibus apud Romanos obſervabatur, ab univerſo populo, qui Reipub. tempore condendarum legum poteſtatem habebat, conſtituebatur, certis quibuſdam ſolennitatibus adhibitis, uti ſtatim annotabimus. Atque hoc ſenſu jus, quod populus per expreſſum conſenſum ſtatuit, proprio & nativo nomine lex appellatur, ut inquit a Coſta *comment. ad Inſt. de jur. nat. & gent.* ſcil. Reipubl. tempore, uti diximus, antequam ſummum imperium, adeoque legis quoque ferendæ poteſtas in unum tranſlatum fuit; ſive potius Impp. ſibi omne jus & poteſtatem, quam olim populus habuit, partim vi & armis, partim dolo & fraude vindicaſſent. Quippe ab exactis Regibus uſque ad Cæſares, omnis poteſtas omneque imperium penes populum fuit, auctoritas penes Senatum, qui eorum, quæ gerebantur, auctor erat cenſebatque. Quamobrem Atejus Capito apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 20. Lex eſt generale juſſum populi aut plebis rogante magiſtratu. Quippe interjecto tempore plebiſcitum lege Hortenſia legis vim obtinuit. Cicero legem dicit eſſe, quam populus Rom. centuriatis Comitiis ſciverit, idque rogatione alicujus magiſtratus; quippe faciendarum & abro-

 gan-

Digitized by Google

gandarum legum poteſtatem penes unum fuiſſe populum, uti etiam teſtatur Polybius *lib.* 6. Quod hoc a ratione vel æquitate alienum; quippe cum eo animo ſocietatem civilem mortales libertatis naturalis jacturam facientes coaluerint, ut ſe ſuaſque poſſeſſiones & facultates adverſus improborum hominum vim atque pravas machinationes legum & paucorum metum in ſecuritatem aſſererent, ſuadet ratio atque æquitas dictat, penes eum legum ferendarum poteſtatem atque arbitrium eſſe oportere, qui, quid utilitati ſuæ promovendæ & ſecuritati aſſerendæ potiſſimum inſervire poteſt, optime novit. Quamobrem, ut alibi notavimus, ab ipſis Romanæ Reipub. initiis populo legum ferendarum poteſtas permiſſa, ita tamen ut populi inſcitia atque inconſtantia Patrum conſilio & auctoritate regeretur, adeoque nulla populi juſſa & ſcita rata eſſent, niſi Patres auctores fierent. Legis itaque ferendæ morem hunc fuiſſe, apud Ciceronem *orat. pro Flacc.* legimus: Magiſtratus legem laturus, (Magiſtratus nomine intelligimus Magiſtratus ſuperiores ſive majores, quibus cum populo agendi jus erat, quippe rogare populum, eſt agere cum populo, quorum in numero præter Reges & Interreges Prætores, Conſules, Dictatores, Ædiles, Cenſores, Tribuni Militum conſ. poteſt.) ſcribebat eam domi, & cum peritis conſultabat, an lex, quam ſancire animum induxerat, eſſet e Repub. atque ad civium ſalutem promovendam & communem utilitatem tuendam aliquid conferre poſſet, neve quid, quod antiqua & vetere lege aliqua ſancitum atque conſtitutum, inane infirmumque eſſe juberet. Notandum hic, quamvis Interreges & Cenſores jus convocandi comitia hubuerint, attamen legum ferendarum cauſa comitia habuiſſe nuſpiam legimus; itaque quoties legum Cenſoriarum apud auctores mentio fit, earum duntaxat ſubſcriptionem intelligendam exiſtimamus. Sed redeamus in viam. Hinc etiam ſæpiſſime additum, SI QUID JUS NON FUIT ROGARI, EJUS HAC LEGE NIHIL ESSET ROGATUM. Itemque, SI QUID CONTRA ALIAS LEGES, EJUS LEGIS ERGO LATUM ESSET, UT EI, QUI EAM LEGEM ROGASSET, IMPUNE ESSET. vid. Cic. *ad Attic. lib.* 3. *epiſt.* 23.

23. In ſcribenda lege etiam cavendum, ne pluribus de rebus, quæ non ejuſdem generis eſſe viderentur, una rogatione ferretur, quippe de uno legis capite una rogatio ferenda erat, per leges Liciniam, Didiam & Cæciliam. Scripta autem lege adibat magiſtratum, rogationiſque ſuæ ſententiam exponebat, ut auctore Senatu rogatio procederet, quippe, ut alibi annotavimus, ſine ejus auctoritate & conſilio lex ferri non poterat, *vid.* Liv. *lib.* 8. *cap.* 12. Cic. *in Bruto cap.* 14. Neque id in legibus ferendis duntaxat obſervabatur, verum in omnibus majoribus negotiis, quæ de bello & pace eſſent, & aliquod pondus haberent in Repub. Verum non eodem modo initio Reipub. Romanæ, quam interjecto tempore Patres auctores fiebant, quippe primis temporibus Patres non ante, ſed poſt habita comitia auctores fiebant, adeo ut, quicquid populus juſſiſſet, Senatus ſua auctoritate confirmaret; quamobrem quoties Senatus declinaret confirmare ea, quæ populus ſciviſſet, irrita reddebantur quæ juſſiſſet univerſus populus. Poſtea vero id jus ademptum Senatui, atque invaluit, ut, antequam comitia haberentur, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fierent, teſte Livio *lib.* 8. *cap.* 12. Tulit legem Q. Publilius Philo, *ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium Patres auctores fierent.* Atque poſterioribus temporibus, a L. Cornelio Sulla legem latam fuiſſe teſtatur Appianus *lib.* 1. *bell. civil.* qua ſancitum, ut nihil referretur ad populum, quod ante a Senatu decretum confirmatumque non eſſet, atque veteri id lege cautum ibidem affirmat. Legem veterem appellat, quam, uti ſtatim notavimus, Publilius Philo Dictator tulit. Verum ſeditioſi & turbulenti atque ad populi favorem ſibi conciliandum ejuſdem magiſtratus, uti Tribuni plebis, ſæpe non duntaxat prætermiſſa Senatus auctoritate, verum etiam aliquando contra ejus auctoritatem leges leguntur tuliſſe, uti veterum ſcriptorum monumenta teſtantur. Hæc in tranſitu notaſſe ſufficiant. Promulgabatur deinde lex, id eſt, lex ferenda in publico ponebatur; hinc apud Feſtum, *promulgari* quaſi *provulgari*, ut inſpiceret qui vellet, & inſpectam conſideraret, non eum duntaxat in finem, ut intercedi

poſſet

poſſet antequam ferretur, verum etiam ut cuivis tempus & facultas concederetur ſtatuendi; utrum cum ferretur, antiquanda vel rejicienda lex eſſet, vel ferenda aut comprobanda, item ut quivis admonere poſſet legiſlatorem, vel de *corrigenda*, vel omnino *de non ferenda lege*. Spatium ſive tempus promulgationis erat trinundinum, ſive 27. dies; ſingulis enim novem diebus erant nundinæ; hinc *nundinæ* dictæ quaſi *nono die*; quarum cauſa conveniebant in urbem omnes, qui in agris morabantur, & proinde a plebe ruſtica ter legi cognoſcique lex nova poterat, & ſecum ſtatuere, an eam poſtea comitiis centuriatis vel reciperent vel rejicerent. Statuit autem Merula *de ll. Rom.* promulgationem hanc *trinundino* a primis temporibus apud Romanos non uſurpatam fuiſſe, idque colligit ex eo quod ſcribit Livius *lib.* 4. *cap.* 24. Mamercum Æmilium Dictatorem advocata concione dixiſſe ſe legem laturum, ne pluſquam annua & ſemeſtris eſſet Cenſura; quam legem abſque ſolenni illa tribus nundinis promulgatione conſenſu ingenti poſtero die, non 27. die, pertulit. Et quoniam, pergit, hæc lex Æmilia lata eſt poſt leges XII. Tabb. inde planum eſſe ſtatuit, LL. XII. Tabb. id minime cautum fuiſſe; alioqui lex Æmilia jure lata non fuiſſet, quum trinundinalis promulgatio non præceſſiſſet. Præterquam quod nulla lex reperiatur de ſolenni ejuſmodi promulgatione ante legem *Cæciliam Didiam*, quam tulerunt Coſſ. Q. Cæcilius Metellus & T. Didius anno ab U. C. DCLV. cujus uno capite cautum, ut in legibus promulgandis trinundinum ſervaretur; unde apud Ciceronem *pro domo: Si quod in ceteris legibus trinundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis trium eſſe horarum, nil reprehendo. Sin eadem obſervanda ſunt, decrevit Senatus M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ eſſent, populum non teneri.* Sic etiam poſtea D. Junio Silano, & L. Licinio Murena Coſſ. lex lata fuit de trinundino, quæ *Junia Licinia* dicta, qua cautum, ut iis, qui trinundinum in ferenda lege non ſervaſſent, graviores, quam lex Cæcilia & Didia ſanxiſſent, pœnæ irrogarentur. Unde Cicero *Philipp.* 5. *Ubi lex Cæcilia? & Didia? Ubi promulgatio, trinundinum? Ubi pœna recenti lege Junia & Licinia?*

Digitized by Google

nia? Hinc concludit ſtatim allegatus auctor, ſi ante leges vel *Cæciliam-Didiam* vel *Juniam-Liciniam* obſervata fuerit ab nonnullis legiſlatoribus trinundini promulgatio, quemadmodum apud Dionyſ. Halicarnaſ. paſſim legimus, adeoque exiſtimandum conſuetudine potius illud, quam legis neceſſitate obſervatum fuiſſe. Poſt tertias nundinas, (nam ipſo nundinarum die haberi comitia non licebat, nundinas enim Jovis ferias eſſe aliqui putarunt; quamobrem Julius Cæſar ſcripſerat, eo die cum populo agere nefas eſſe, Macrob. *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 16.) magiſtratus in eum locum convocabat populum, ubi legem laturus erat, ſive in forum, ſive in campum Martium; ſin autem roganda eſſet comitiis centuriatis, convocatis a majori magiſtratu civibus in campum Martium, præco, ſubjiciente ſcriba, legem recitabat, deinde non intercedente Tribuno plebis, habebantur a Magiſtratibus orationes ad ſuadendam vel diſſuadendam legem, ſive ab ipſo, qui legem promulgarat, ſive a privatis, quibus ab aliquo Magiſtratu concio dabatur; quippe injuſſu Magiſtratus privatis concionandi poteſtas non erat. Vide Liv. *lib.* 45. *cap.* 21. Qui vero ſuadebant, auctores legis dicebantur, unde Cicero *lib.* 3. *de LL.* *Itaque iſti rationi neque lator quiſpiam eſt inventus, quo auctore lata eſſe dicitur.* & ibidem: *Nam Craſſæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur.* Quamobrem qui primas partes habebat ſuadendæ legis, is auctor dicebatur. Unde apparet, promulgationem non fuiſſe duntaxat novam aliquam recitationem, ſed etiam oportuiſſe populum, antequam ſuffragia ferrentur, doceri; idque toties, quoties promulgabatur. Poſtquam vero ſuaſerant diſſuaſerantve legem, tum præſentibus Sacerdotibus & divina procurantibus, teſte Dionyſio *lib.* 10. ſitella vel urna deferebatur, in quam conjicerentur tribuum nomina, ſi tributa; centuriarum vero, ſi centuriata comitia eſſent. Deinde exactis ſortibus, id eſt, ita agitata ſitella vel urna, ne qua ſors exſiliret, vel ſubſultaret, verum pariter omnes æquatas jacerent, ſortitio fiebat, & quem ordinem ſors dederat, Tribus vel Centuriæ tenebant; adeoque quæ prima vel Tribus vel Centuria, quæ ſecunda, quæ tertia de ſitella exiiſſet, ea eundem

in ſuffragiis ferendis locum & ordinem obtinebat. Hic ſortiendi modus poſterioribus obſervabatur temporibus; quippe ſub Rege Tullio, qui uti centurias, ita & centuriata comitia inſtituit, primæ ad ſuffragium vocabantur maximi cenſus centuriæ, in prima & ſecunda claſſe deſcriptæ, quæ quia reliquis numero ſuperabant, adeoque illis conſentientibus ceteræ omittebantur. Sin autem diſſentiret, tertia & quarta claſſis ciebantur, donec ad inopum centurias perveniretur, quod admodum raro eveniebat, vid. Dionyſ. *lib.* 6. Tribus autem, vel centuria, quæ prima ex urna educebatur ante reliquas centurias, ferebat quoque ſuffragia, atque inde *prærogativa* vocabatur: quæcunque autem tribus vel centuriæ poſt prærogativam ad ſuffragia evocabantur, *jure vocatæ* dicebantur. Aſcon. Pædian. *in Cicer. Divinat.* Licebat autem Tribunis plebis, antequam perficeretur, intercedere; cui interceſſioni tamdiu erat locus, quamdiu ferretur, uti teſtatur Cicero *pro Corn. Balbo.* id eſt, ut interpretatur Aſconius, dum prius dicebant, dum ſitellam deferebant, dum æquabantur ſortes, dum ſortitio fiebat. Cum intercedebant Tribuni, faciebant hoc ſolenni illa voce VETO. Huc pertinent, quæ leguntur apud Livium *lib.* 6. *Bene habet*, inquit Sextius, *quandoquidem tantum interceſſionem pollere placet, iſto ipſo telo tutabimur plebem. Agedum, comitia indicite Patres Tribunis militum creandis, faxo ne juvet vox iſta*, VETO. Vid. Suet. *in Tib. cap.* 2. Faciebant quoque & alii magiſtratus, uti Conſules, vel dies comitiales, ſcil. eo, quibus agi cum populo licebat eximendo, vel ſupplicationes decernendo, vel ferias Latinas indicendo, Magiſtratus quoque & Augures, quorum erat de cœlo obſervare, comitia impedire poterant; quippe nihil inauſpicato geri poterat. Quamobrem teſtatur Dionyſ. *lib.* 4. & *auſpicato haberi*, unde Cicero *pro Mil. Illa auguſta centuriarum auſpicia.* Notarunt autem Viri docti *Auſpiciorum* duo fuiſſe genera. Unum auſpiciorum genus erat, quo duntaxat Magiſtratus utebatur, quæ *Spectio* dicebatur, vel *de cœlo obſervatio.* Alterum genus ad Augures pertinebat, cum ex avium ſignis, volatu ſcil. & cantu auſpicium faciebant. Quippe ſi quidquam adverſi vel vidiſſent, vel audiviſſent,

Digitized by Google

viſſent, id nuntiantes comitia impediebantur & dirimebantur. Imo cur nec Augures, uti Feſtus, ſpectionem habuiſſe diceremus abſque obnuntiatione, ſcil. ut mihi videtur, quoties obnuntiaſſet Magiſtratus; Augures quidem de cœlo ſervabant, ſive ſpectionem habebant, ut ex Feſto diſcimus, verum obnuntiandi non habebant facultatem, & proinde comitia impedire haud poterant, adeoque non ſufficiebat ad impedienda comitia de cœlo ſervaſſe; ſi quid forte vidiſſent, quod mali ominis ſignum erat, poterantque id nunciare, obnuntiare non poterant; adeoque & Magiſtratus, qui ſpectionem habebant vel de cœlo ſervaſſent, haud comitia, uti diximus, impedire poterant, niſi cum ſpectione concurreret obnuntiatio, id eſt, in alium diem protraheretur vel rejiceretur; quippe qui de cœlo ſervabant Magiſtratus & obnuntiabant, utebantur hac formula, ALIO DIE. Atqui Augures ſervandi quidem de cœlo facultatem haberent, obnuntiandi non item; hinc nec ſola ſpectio Augurum abſque obnuntiandi facultate comitia impedire poterat. Quamobrem Feſtus, *Auguribus ſpectio duntaxat, quorum conſilio rem gererent Magiſtratus, non ut poſſent impedire nuntiando, quæ tum vidiſſent, ſed iis ſpectio ſine nuntiatione data eſt, ut ipſi auſpicio rem gererent, non ut alios impedirent nunciando.* Auguribus igitur hoc unum licuit *ſpecire*, id eſt, ſervare de cœlo: *ſpecire* enim, unde *ſpectio*, antiqui dicebant pro *ſervare de cœlo.* Magiſtratibus autem licuit & ſervare de cœlo & obnuntiare. Verum cum Feſtus inquit, Auguribus ſpectionem datam fuiſſe ſine nuntiatione, ut ipſi auſpicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando, ejus mentem interpretari debemus eo ſenſu, qui vitio & contradictione caret. Quippe nuntiare quidem poterant, ſi quid adverſi viſum auditumque, verum obnuntiare non poterant; nuntiare quidem Augurum erat, ſi vitium de cœlo factum, obnuntiare ſoli poterant Magiſtratus. Sermonem itaque habet Feſtus de obnuntiatione. Nuntiationem duplicem ex Feſti verbis colligimus, nuntiationem Augurii, quam habebat ſolum, cui ſpectio erat; hoc eſt, Augur: & nuntiationem avocandæ concionis, quam ſolus habebat, qui omne jus auſpiciorum habebat, hoc eſt, major

Magiſtratus, quæ vocabatur obnuntiatio, hoc ſenſu, inquit Cicero *Philipp.* 2. *cap.* 32. *Nos enim* (de Auguribus ſermonem habet, ipſe enim Augur erat,) *nuntiationem ſolum habemus Augures, id eſt, jus tantum nunciandi Magiſtratui, de eo quod viſum eſt. Conſules habere & ſpectionem, quam & Augures habebant, & obnuntiationem, quam Augures non habebant.* Ejuſmodi obnuntiationem Magiſtratus non duntaxat poſt, ſed etiam ante auſpicium facere poterant, qua divinarent, uti aliquid in auſpiciis futurum. Cic. *Philipp.* 2. Dio *lib.* 39. *Adeo ut Magiſtratibus obſervatio ſignorum non eſſet neceſſaria; quippe ita obnuntiabant, quaſi adverſa ſigna ſemper eſſent*, uti notavit Roſin. *antiq. lib.* 6. *cap.* 7. Contra Augures nuntiabant, poſtquam auſpicati eſſent. Sin autem nihil ſiniſtri vel adverſi obnuntiabatur, ipſa fiebat rogatio, atque qui legem rogaturus erat, hac ſolenni utebatur formula, VELITIS JUBEATIS QUIRITES HOC ITA UT DIXI ITA VOS QUIRITES ROGO. Deinde is, qui legem ferebat, ut omnia rite & abſque confuſione agerentur, dicebat, SI VOBIS VIDETUR DISCEDITE QUIRITES. Quo facto quiſque in ſuam Centuriam vel Tribum diſcedebat: diſcedere enim hoc in loco, uti annotavit Aſconius Pædianus, ut in ſuam quiſque tribum diſcedat, in qua ſuffragium eſſet laturus. Ita enim inquit: *Quum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem, diſcedere, quod verbum hic non ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt de eo loco, ubi lex fertur, ſed in ſuam quiſque tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus: populus enim confuſus ut ſemper alias, ſic in concione.* Alioquin ejuſmodi formula, uti apud Romanos in comitiis obtinuit indicebatur, *ut Quirites è concione diſcederent*, & domum abirent; quemadmodum perſpicimus ex Cicerone 2. *Orat. in Catilinam*, quam habuit ad Quirites, *Vos Quirites, quoniam jam nox; veneramini jam Jovem illum cuſtodem hujus urbis ac veſtrum, atque in tecta veſtra diſcedite.* Poſtquam de concione juſſi diſcedere, & ſuam quiſque tribum aut centuriam repetiiſſet, ferebatur ſuffragium; & primis quidem temporibus voce cujuſque ſuffragium editum fuit; verum interjecto tempore leges tabulariæ

riæ id mutarunt: quarum prima fuit A. Gabinii Tribuni pl. anno U. C. 614. Calpurnio Piſone, M. Popil. Lænate Coſſ. Unde Cicero *de amicit.* 41. *Videtis*, inquit, *in tabella jam ante, quanta ſit facta lubes, primo Gabinia lege, biennio autem poſt Caſſia.* Binæ autem tabellæ ſingulis dabantur ſive diribebantur civibus a diribitoribus diverſe inſcriptæ, quarum altera erat ſignata U. R. id eſt, *Uti rogas*; qua probabat populus novam. Altera inſcripta erat nota A. id eſt, *antiquo*, quæ erat antiquatæ, id eſt, ſublatæ rogationis nota. Hac nota igitur novam legem improbabat, & antiquam probabat. Vid. Feſtum. Verum ne qua fraus lateret, vel quid fallaciæ admitteretur, privati aliquot homines, qui de lege laborabant, vel ipſi tabulas diſtribuerunt, vel diribitoribus, ſive diſtribuentibus præfuerunt. Hinc *diribere*, diſtribuere, atque diribitores, qui diſtribuebant. Unde Cicero *in Piſonem: An exſpectas dum de te* LXXV. *tabulæ diribeantur, ut de te judicium fiat?* Eadem ſignificatione occurrit apud Plinium *lib.* 36. *cap.* 15. *En hic eſt ille terrarum victor & totius Domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura externis mittit.* Quod autem ſuffragiorum rationem attinet, notandum appoſitos fuiſſe in quaque tribu aut centuria, *pontes*. Si tributa comitia eſſent, tot pontes, quot tribus, exſtruebantur, nempe 35. in centuriatis comitiis 193. in campo Martio, tot enim erant centuriæ, ut per ſuum ſingulæ pontem ſuffragium ferrent. Pontes autem dicti erant, quod exſtructæ ad tempus forma menſæ ſatis anguſtæ, præſertim poſt legem *Mariam* pontium ſimilitudinem haberent. Vide Cic. 3. *de ll.* Pontibus hiſce impoſitæ erant duæ ciſtæ oblongæ, quarum una in capite pontis, altera in fine ejuſdem. De priore tabellæ populo dividebantur, in poſteriore, quæ erat in fine pontis, tabellas quiſque ſuas ponebat. Hinc natum, ut ſexagenarii de ponte dejicerentur a junioribus: hoc eſt, privabantur ſuffragio, quod, uti diximus, de ponte ferri ſolebat. Inde *depontani ſenes*, hoc eſt, de ponte dejecti ſexagenarii, qui jure ſuffragii erant privati. Feſtus. Quo reſpiciens Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 5. *Hiſne tam doctis viris*, inquit, *quorum M. Cicero & M. Varro imitatores ſe* glo-

glorìantur adimere vis in verborum comitiis jus ſuffragandi & tanquam ſexagenarios de ponte dejicies? Per pontes igitur iis, qui de lege promulgata ferrent ſuffragium, viritim erat tranſeundum: primo autem loco ea tribus eave centuria, quæ omnium tribuum aut centuriarum nominibus in ſortem conjectis, prima de ſitella ſorte exierat, ſuffragium ferebat. Vid. quæ paulo ante diſputavimus. Quicunque autem ex ea centuria primus a Magiſtratu legem ferente rogabatur, dicebatur *primus.* Moris autem fuiſſe ex Cicerone colligimus, ut, qui legem laturus, deligeret ad ſuffragium primo loco ferendum, deligebat autem quem & dignitate præſtare, & rogationi ſuæ præter ceteros favere judicabat. Quippe erat quodammodo legis ornamentum, quum is eam primus ſciſcebat, qui in civitate non levi pollebat auctoritate. Poſtquam vero ab eo, quem Magiſtratus legem ferens ipſe delegiſſet, & deinceps ab aliis ejuſdem tribus vel centuriæ perlata erant ſuffragia; eaque numerabantur a cuſtodibus, atque eorundem numerus punctis notabatur. Huc ſpectat illud Horatii de *Art. Poët.*

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Unde Cic. 2. *Tuſcul.* 105. *Quæ flamma eſt, per quam non concurrerunt hi, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant.* Ubi agit de Magiſtratibus, qui ſingulorum civium ſuffragiis mandabantur. *Et pro Muræna: Tamen admonitus re ipſa recordor, quantum & quæſtiones in Senatu habitæ punctorum nobis detraxerint.* ſcil. ſuffragiorum in comitiis. Eum autem in finem numerus notabatur, ut cujuſque tribus vel centuriæ cognoſceretur, eaque hac ratione cognita, moris fuit, ut ea a præcone renunciaretur, in qua plura ſuffragia convenirent; ea vero reticeretur, quæ paribus eſſet diſtracta ſuffragiis, niſi de perduellionis ageret crimine; tum enim reorum favore paria ſuffragia abſolutionis ſententiam præferebant, teſte Dionyſio *lib.* 1. Quemadmodum & jure noſtro inter pares numero judices, ſi ſententiæ diſſonæ, pro reo dictum obtinet. vid. *l.* 38. *ff. de re judicat.* Hæc dinumeratio tabularum & pun-

punctorum quoque *diremtio ſuffragiorum*, vel *dirimere ſuffragia* dicebatur. Diremtis ſuffragiis, vel de *antiquata* lege, vel de *accepta* cognoſcebatur. Scitam ſive perlatam omnes cives jurejurando confirmabant. Deinde in æneas incidebatur tabulas, quandoque etiam columnas, atque interdum vel publice populo inſpicienda proponebatur, vel ad ærarium deferebatur, ibique aſſervabatur. *Quod erit ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi jubebitur*, inquit Cic. 1. *Philipp.* Eadem fere in abrogandis legibus ſolennia obſervabantur: ut enim in ferenda lege populus rogabatur, *Vellet eam legem ferri?* ita in ea tollenda contra rogabatur, *Vellet eam abrogari?* Idem obſervabatur ſi quid eidem derogaretur, vel ſubrogaretur, aut obrogaretur; uti Ulpianus hæc vocabula diſtinguit *fragm. tit.* 1. §. 3. *Lex aut rogatur*, inquit, *id eſt, fertur; aut abrogatur, id eſt, prior lex tollitur; aut derogatur, id eſt, pars primæ legis tollitur; ſubrogatur, id eſt, adjicitur aliquid primæ legi; aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege.* Derogare itaque legi, eſt partem primam legi detrahere, quod etiam *exrogare* eſt, auctore Sex. Pompejo. vid. *l.* 102. *ff. de V. S.* Subrogare legi, aliquid adjicere. Obrogare, legem primam alia lege lata aliqua ex parte commutare. Quamvis quandoque apud claſſicos auctores derogare, ſit contrariam legem ferre. Vid. Cic. *ad Attic. lib.* 3. *epiſt.* 23. *Quod per legem Claudiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare, ſine fraude ſua non liceat.* Idem 1. *Philipp. Quid quod abrogatur his legibus Cæſaris, quæ jubent ei, qui de vi, itemque ei, qui majeſtatis damnatus eſt, aqua & igni interdici.* Proprie tamen *obrogare legem* eſt, quum aliquid ex prima lege immutatur. Ut cum JCti de proprietate verborum admodum ſint ſolliciti, Ulpianus noſter tanquam JCtus, juxta proprietatem & genuinam ſignificationem hæc vocabula a ſe invicem diſtinxit. Nomen plerumque leges ſortiebantur ab iis, qui tuliſſent, ſive ii Conſules, ſive Tribuni plebis eſſent; quales leges, Ælia Sentia, Junia Norbana, Papia Poppæa, Fuſia Caninia; quandoque unicum legibus nomen duntaxat impoſitum, ex veterum monumentis perſpicimus. Quippe non tantum Conſules, verum & Dictatores,

res, Prætores, Ædiles, Cenſoreſque ad populum jura dare & legem ferre poterant. Quoties itaque Dictator vel Prætor legem ferret juſſu populi & auctoritate Senatus, ejuſmodi lex unicum accipiebat nomen, unde lex Æmilia, a M. Æmilio Dictatore lata, qua ſancitum, ne cenſura, quæ uſque eo quinquennalis fuerat, pluſquam annua & ſemeſtris eſſet. vid. Liv. *lib.* 4. *cap.* 24. Sic quoque lex Aurelia, lata a L. Aurelio Cotta Prætore, ut judicia, quæ penes ſolos Senatores erant, inter Senatores & Equeſtrem ordinem, & Tribunos ærarios communicarentur. Flor. *Epitom.* 97. Aliquando præter legiſlatoris nomen ipſi quoque inditum, & ſortiebantur ex re cognomen; uti lex *Caſſia agraria*, lex *Gabinia tabellaria*, de qua paulo ante, *Julia judiciaria*, *Pappia decimaria*, *Cornelia ſumptuaria*. Hæc de legum ferendarum ritu atque ſolennitatibus, quæ ſtante Repub. obſervabantur, uſquedum jus comitiorum populo Romano ſalvum fuerit. Verum mutato Reipub. ſtatu, & occupata Repub. ſenſim jus illud labefactatum fuit, atque tandem ſublatum, ita ut iterum arbitria Principum pro legibus eſſent, cum Principis placita legis vigorem habuerint, adeo ut ſolus Imperator jura conderet, eamque poteſtatem non tam populi permiſſu & conſenſu, quam quidem partim vi & armis, partim dolo & fraude ſibi vindicarint. Hinc Tacitus, *Auguſtus Cæſar*, inquit, *poſito Triumviri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunitio jure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim munia Senatus, Magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante.* Sequuntur Plebiſcita, quæ, ſecundam juris ſcripti ſpeciem efficiunt. Erant autem plebiſcita, quæ plebs (hoc eſt, multitudo illa populi, præter Patricios & Senatores) Magiſtratu plebejo, veluti Tribuno interrogante conſtituebat, *§.* 4. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* adeoque plebiſcitum eſt lex, quam plebs, non populus accipit, uti ex Gellio *lib.* 13. *cap.* 20. annotavimus, in *Exercitat. in Hiſt. Pompon. de orig. jur.* Plebiſcitum quaſi plebis ſtatutum & confirmatum; quippe *ſciſcere* idem quod ſancire, & ſtatuere, *l.* 98. *§. ult. ff. de ſolut.* Et Plaut. *Curcul. act.* 4. *ſc.* 2.

Ro-

Digitized by Google

Rogationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis.

Et Cic. *pro Flacc. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus juberet* &c. Idem *de ll.* 21. *Quid quod multa pernicioſe, multa peſtifere ſciſcuntur, in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam ſi latores aliquas conceſſu ſuo ſanxerunt.* Et *lib.* 2. *offic. Durius etiam Athenienſes ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur.* Et Silius *lib.* 7. *vſ.* 110.

- - - - - - Nunc munera Martis
Æquent imperio, & ſolem concedere nocti
Sciſcant.

De plebiſcitorum origine egimus in noſtris *in Hiſt. Pomponii de orig. jur. exercitationibus* §. 8. adeoque ea non repetemus. Notandum vero, quamvis eodem ritu plebiſcita, quo ipſæ leges, rogarentur, in multis tamen plebiſcita a legibus differre. Formulam plebiſcitorum tradit nobis Livius. Quoties aliquod negotium emergens Tribunus plebi proponebat, ſubjiciebat, *De iis rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites.* Tum plebs, ut decreverat, reſpondebat: *Sic vel ſic volumus jubemuſque.* Habemus exemplum apud Livium *lib.* 26. *cap.* 33. ubi L. Attilius Tribunus plebis ex Senatus auctoritate plebem in hæc verba rogavit: *Omnes Campani, Attellani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani Fulvio Proconſule, quæque una ſecum dediderunt, agrum, urbemque, divina humanaque, utenſiliaque, ſive quid aliud dediderunt: de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites.* Plebs ſic juſſit, *Quod Senatus juratus maxima pars cenſeat, qui aſſidetis, id volumus jubemuſque.* Lex itaque rogabatur a Magiſtratu majore, veluti Conſule vel Prætore; plebiſcitum vero a plebejo Magiſtratu, veluti Tribuno, de iis, quæ ad plebem pertinebant, rogabatur. Lex univerſi populi ſuffragio, plebiſcitum ſuffragante plebe ferebatur. Quippe Tribunis plebis non liceret advocare Patricios, aut omni-

no de ulla re ad eos referre, proinde nec legem etiam rogare vel ferre poterant; quoniam ad legem ferendam, univerſum populum, adeoque etiam Patricios & Senatores adeſſe oportebat, idque centuriatis comitiis, quæ Tribuni edicere non poterant, ſed concilium tantum. Dicitur autem edici concilium, teſte Gellio, cum non univerſus populus, ſed aliqua pars jubetur adeſſe. Itaque quæ Tribunis pl. rogantibus jubebantur, quia tantum habebant partis populi conſenſum, carebant legis ſubſtantia, quæ in eo potiſſimum conſiſtit, uti ſtatim diximus, ut populi communis conſenſus intercedat. Quamobrem lex vocatur commune præceptum, & communis Reipub. ſponſio. *l.* 1. *ff de leg.* Communis ſponſio civitatis, ut inquit Demoſthenes *l.* 2. *ff. eod.* Quamobrem Julianus *l.* 32. *ff. eod.* inquit, Leges ipſas nulla ex alia cauſa nos tenere, quam quod judicio populi receptæ ſunt; reſpiciens vetus illud tempus, quo centuriatis comitiis leges ferebantur, atque majore Magiſtratu rogante recipiebantur & promulgabantur, convocato populo Romano in campo Martio, uti paulo ante notavimus. Atque in eo quoque differt lex a plebiſcito, quod eo in loco leges ferebantur; plebiſcita vero vel in Campo, vel in Comitio, vel nonnunquam in Capitolio, vel in Pratis vicoque Flaminiis. Quippe nihil referebat, extrane an intra pomœrium cogerentur, cum alia comitia ſumma religione certis locis alligata eſſent, vid. Liv. *lib.* 3. *cap.* 53. Cic. *Epiſt. ad Attic.* 1. 1. *ad familiares* 7. 30. & Liv. *lib.* 25. 3. Ferebantur plebiſcita in tributis comitiis, abſque auſpiciis, nec præcedente Senatuſconſulto, referente Dionyſio *lib.* 9. *cap.* 49. cum inquit, *Curiata comitia tunc demum rata habebantur, ſi re prius in Senatu agitata, populique calculo per curias approbata, poſt ambo iſta, divina etiam ſigna auſpiciaque aſſenſiſſent. Tributa vero etiamſi nec Senatuſconſultum præceſſiſſet, nec ſacra vel auſpicia addixiſſent, una die peragebantur a tribulibus.* Quod intelligendum, ut Viri docti annotarunt, de auſpiciis veris, ſcil. *avium inſpectione, & tripudiorum animadverſione.* Quippe obſervationem de cœlo etiam in hiſce comitiis locum habuiſſe uti in ceteris, ex Ciceronis *orat. in Vatinium* (vid. & Sig.

de

Digitized by Google

de antiq. jur. civ. Romanor. lib. 1. cap. 7.) perſpicimus, quamobrem & parendum obnuntiationi. Hinc veteres ſcriptores aliquando notant *vitio creatos Tribunos, aut Ædiles alioſque Magiſtratus minores, quod, quo die creati eſſent, fulguraſſet aut tonuiſſet.* Sortitiones etiam fiebant in plebiſcitis uti in ceteris, verum illæ diverſi generis erant. Quippe una erat & prima omnium ad ſortiendum, in qua tribu Latini ſuffragium ferrent. Teſtatur Livius, *lib. 25. cap. 3. Teſtibus datis Tribuni populum ſummoverunt, ſitellaque illata eſt, ut ſortirentur, ubi Latini ſuffragium ferrent.* Latinis enim, fœdere cum iis icto, Sp. Caſſio II. & Poſthumio Cominio II. Coſſ. anno Urbis conditæ CCLXI. data fuit iis poteſtas ſuffragii ferendi, ſi quando tempore comitiorum Romæ eſſent. Vid. Sig. *de antiq. jur. Ital. lib. 1. cap. 9.* & Nicol. Gruch. *de comit. lib. 2. cap. 4.* Roſin. *antiq. Rom. lib. 6. cap. 20.* Altera ſortitio fiebat inter tribus, quo ſcil. ordine quiſque earum ſuffragium ferret. Deinceps omnium tribuum nomina in ciſtellam conjiciebantur, tum ut quæque prior exierat, ita prima ferebat ſuffragium. Quod pluribus placuerat, id juſſum ſcitumque plebis cenſebatur. Hiſce porro plebiſcitis, ut alibi notavimus, Patricii, ſcil. qui ex origine Senatoria erant, nec Nobiles Romani, quondam non tenebantur, ſed ea plebem tantum obligabant, donec primum L. Valerio ut M. Horatio Coſſ. lex centuriatis comitiis lata, qua ſancitum, *ut quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret. Qua lege*, ut inquit Livius *lib. 3. cap. 55. tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum eſt.* Vid. *Diſſert. de orig. & progreſſ. jur. civ.* Idem interjecto tempore lege Hortenſii, poſt ultimam ſeceſſionem repetitum, ſcil. *ut jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.* Imo vero idem repetitum fuiſſe & ante Hortenſium a P. Philone Dictatore, refert Livius *lib. 8. cap. 12.* anno Urbis conditæ 412. Vide *Diſſertat. de orig. & progreſſ. jur. civ.* & *in Pomponii Hiſt. de orig. jur. civ. exercit. 62. §. 8.* Statuit Connanus in tertia ſeceſſione, quæ contigit anno ab U. C. 467. de conjungendis plebejorum & patriciorum connubiis latum: adeoque Pomponii errorem corrigendum putat, neque legendum *lege Horten-*

tenſia, ſed *Horatia*; cum in omni memoria illius temporis non legatur nomen Q. Hortenſii Dictatoris. Quamobrem apud Gellium & Plinium errorem irrepſiſſe ſtatuit Vir doctus, dum Hortenſium ejuſdem legis auctorem ambo nuncupant, adeoque forte pro *Q. Hortenſio dictare*, legendum putat, *M. Horatius Conſul.* Verum mihi veriſimile videtur ne quidem in tertia ſeceſſione de conjungendis plebejorum & patriciorum connubiis actum, quamvis Florus *lib.* 1. *cap.* 25. teſtetur tertiam ſeditionem excitaſſe matrimoniorum dignitatem, ut plebes cum patriciis jungerentur, eumque tumultum in monte Janiculo, duce Canulejo Tribuno plebis exarſiſſe. Quippe tertiam ſeceſſionem in Janiculum factam ob æs alienum poſt longas & graves ſeditiones anno U. C. 467. uti alibi annotavimus, conſtat; præterquam quod longe ante certatum fuerit inter Patricios & Trib. plebis contentionibus de promiſcuis connubiis, donec tandem Canulejo duce, anno U. C. 308. ni fallor, de Patrum cum plebe connubio lex lata eſt; adeoque non veriſimile, in Janiculo tumultuatum fuiſſe connubiorum promiſcuorum cauſſa duce Canulejo; præterquam quod præter Florum, nullum auctorem invenimus, qui hanc tertiæ ſeceſſionis cauſam adfert. Quod autem plebiſcita attinet, de iis quoque nihil actum cum auctore ſtatuo in ipſa ſeceſſione in Janiculum facta, uti notavimus in noſtris *de orig. jur. exercitat.* §. 8. Verum inde non ſequitur, plebiſcitis nullam fuiſſe legem latam a Q. Hortenſio Dictatore, quæ ab auctore nomen ſortita, & Hortenſia dicta: & proinde pro L. Hortenſia legendum L. Horatia in *l.* 2. *ff. de orig. jur.* ut vult Connanus. Teſtatur ex Lælio Felice Gellius *lib.* 15. *cap.* 27. fide dignus auctor, uti quoque Plinius, *lib.* 16. *cap.* 10. Q. Hortenſium Dictatorem legem tuliſſe, ut eo jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur. *Q. Hortenſius Dictator*, inquit Plinius, *cum plebs ſeceſſiſſet in Janiculum, legem in Eſculeto tulit, ut quod ea juſſiſſet, omnes Quirites teneret.* Tulit autem, ſive potius renovavit ac repetiit hanc legem, poſtquam plebem tertia ſeceſſione jam reduxerat, adeoque ſedato tumultu, ut forte ſibi plebis magis conciliaret favorem, cum illam legem diu ante

ante latam uſu antiquatam & in deſuetudinem fere abiiſſe perſpiciebat, obtinuit ut iterum lege caveretur, denuo populus ut plebiſcitis teneretur, quæ a latore *Hortenſia* dicta. Unde plebiſcita deinde leges appellata fuere, & univerſum tenuere populum, ut alibi notavimus. Hinc lex Aquilia, Falcidia, Voconia, Furia, & complures aliæ, quas enumerare ſupervacaneum eſſet, easque omnes conſtat a Tribunis pl. latas fuiſſe. Tertiam juris ſcripti ſpeciem conſtituit Sctum; idque Imperator definit eſſe *quod Senatus jubet, atque conſtituit*, *§. 5. Inſt. de jur. nat. gent.* Marcianus ordinis ampliſſimi decreta in *l. 2. ff. de his quæ ut indign.* Impp. Severus ac Anton. in *l. 2. Cod. ad SC. Maced.* Antoniusque ſolus in *l. 4. Cod. de excuſat. tut.* ampliſſimi ordinis conſulta. Et Papinianus in *l. 17. ff. ad municipal.* Valerianus & Gallienus in *l. 16. Cod. ad. l. Jul. de adult.* decreta Patrum nominant, adeo ut Senatus conſultum & Senatus decretum idem valere, Viri docti obſervarint; uti quoque videre eſt apud Feſtum. Quamobrem quod Ælius Gallus Senatus decretum a Conſulto ſic diſtinguit, ut id dicat particulam quandam eſſe Senatusconſulti. Hoc diſcrimen argutius eſt, quam verius. Græci τῆς συγκλήτου δόγμα. Primis quidem temporibus cum ſuis legibus fundavit Romulus Rempub. jus legis ſanciendæ non habuit Senatus, verum omnis ejus rei poteſtas penes populum fuit. Sed cum procedente tempore auctus eſſet populus Romanus eum in modum, ut difficile eſſet in unum convocari legis ſanciendæ cauſa, æquum viſum eſt Senatum vice populi conſuli, ut inquit Imperator. Vel ut ait Pomponius, neceſſitas ipſa curam Reipub. ad Senatum deduxit, atque juris condendi auctoritas; ſcil. quia difficile plebs convenit, populi autem conventus difficilius haberi poterat, neceſſe fuit a Senatu, qui facilius convocari poterat ob paucitatem, quædam decerni. Verum ab hac cauſa originem Senatuſconſulti non eſſe petendam alibi in noſtris in *hiſtoriam. de orig. jur. exercitationibus*, notavimus. Quippe antiquis temporibus, & quidem, uti diximus, ab ipſa Reip. infantia, dum a Romulo condita, omnia pene per Senatum, pauciſſimis exceptis, gerebantur, unde quemadmodum le-

ges, ita quoque Senatuſconſulta de jure publico condebantur. Vid. *Differt. de orig. & progreſſ. jur. civ.* Sic Romulo regnante de Sabinis mulieribus Sctum factum eſt, ut ad gentiles ſuos urbem obſidentes reconciliationis gratia proficiſcerentur, ut alibi ex Dionyſio notavimus; adeoque diu antequam populus ad eum modum creverat, ut difficilius convocari potuerit, Scta obtinuere. Vid. Suet. *in Veſpaſiano cap.* 8. Vide *exercitationes noſtras in Pomponium de orig. jur. l.* 2. §. 9. ubi hanc materiam late tractavimus, adeoque plura hic annotare prætermittimus. Quartam conſtituunt juris partem Decreta Principum, quæ legis habent vigorem ob ſummum, quod Principi delatum fuit, imperium, ſive potius everſo Reipub. ſtatu ſibi vindicavit, quod interjecto tempore populus non ſponte & voluntarie, verum neceſſitate exigente, quaſi coactus Auguſto primum detulit. Quippe, uti alibi annotavimus, ad eas redacta erat Reſp. Rom. anguſtias, ut ſalva eſſe non poſſet, niſi ad unum imperio tranſlato. Vide *exercitat. in Pompon. de orig. jur.* §. 11. & *Differt. de orig. jur. civ.* ubi de hac poteſtate Principi delata diſputavimus, adeoque fruſtra iterum repeteremus. Cave tamen credas, populum omne ſuum imperium abdicative in Principem contuliſſe, quemadmodum alibi in *Differt. de orig. ſocietat. civ.* expoſuimus, ſummum imperium a populo in unam eandemque ſocietatem coalito tanquam a fonte & prima ſua origine proficiſci, & ſecundum formam regiminis, quam populo placuit Reipub. imponere, in plures vel unum conferri, ita in populo tanquam proprio ſuo ſubjecto radicaliter fundatum manet, adeo ut in Principem non abdicative tranſeat imperium, verum ejus exercitium duntaxat Principi delatum cenſeri debeat, & proinde quoties ſumma poteſtate abutitur, populo uſum ſive exercitium cum proprietate, quæ apud ſe remanet, conſolidandi, ut ita dicam, & in alium conferendi facultas competit. Sic populus Romanus ejecit Reges, & Conſules conſtituit, Dictatores creavit, atque ſtante Repub. ſæpius ſummi imperii deferendi ſibi vindicavit arbitrium, non vi, ſed ſuo jure, cui nunquam renunciavit; imo ne quidem renunciare poteſt, quoniam ejuſmodi renunciatio adverſare-

ſaretur dictamini rectæ rationis, quæ cuique imponit neceſſitatem ſe tuendi & conſervandi, nullam diſpenſationem admittens. Quoties itaque Princeps vel ſummus Magiſtratus non ad conſervandum, verum opprimendum populum, cui præeſt, poteſtate abutitur, merito ad ſui defenſionem & tutelam populus Principi tanquam indigno eam aufert ſibique vindicat, uti alibi hanc materiam latius tractavimus, *Diſſertat. de ſanctit. ſum. imper. civ.* Sic olim Senatus populuſque Romanus Neronem imperii hoſtem declaravit, cum & de aliis Principibus ſupplicium ſumſit. Ex ſummi imperii delatione in Principem immediate deſcendit poteſtas ferendæ legis, eamque ſimul ac pariter cum imperio populus contuliſſe haud ambigendum, ut recte Rempub. gubernare poſſet; inutile quippe apud Principem eſſet imperium, ſi legibus moderari & conſervare non liceret, nec ſocietas civilis ſtare diu poſſet, niſi legum aculeis hominum improbitas coerceretur, & calumniantium iniquitas expelleretur. Quamobrem conſtituto Principe, datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet, ut inquit Pomponius *l.* 2. §. 11. *ff. de orig. jur.* ſcil. ut ejus decreta, placita & conſtitutiones haberent vim legis, quodque ipſe conſtituiſſet, pro lege ſervaretur; adeoque poteſtas legum ferendarum eſt quaſi neceſſaria, ut ita dicam, ſummi imperii ſequela, & inſeparabile ejus acceſſorium, quod cum eo ſimul tranſit, & pari paſſu ambulat. Quamobrem Ulpian. *l.* 1. *ff. de conſtit. Princip. quod Principi placuit, legis habet vigorem;* rationem addens, ſcil. quoniam populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulerat. Vid. *l.* 1. §. 7. *Cod. de vet. jur. enucl. l. un. ff. de off. Præf. prætor.* Hinc Imperator Juſtinianus ſoli Imperatori leges condere conceſſum affirmat, *l. ult.* §. 1. *Cod. de ll.* Quamvis autem omne jus ſuum populus in Principem tranſtulerit, ex hiſtoriis tamen probari poſſe videtur Coccejo *comment. ad tit. de conſtit. Princip. l.* 1. populum adhuc temporibus primorum Principum leges rogatum ſciviſſe, non quod populus ſibi hanc auctoritatem conſervaſſet, verum indulgentia Principum, ita populi ſpecie libertatis & auctoritatis priſtinæ fallendi cauſa, volentium; adeo ut inter initia Principatus leges adhuc complures

a

a populo veteri ritu, auctore Auguſto, latas deprehendere liceat, veſtigiis quibuſdam morientis libertatis apud populum permanentibus. Quemadmodum enim omnis ſubita mutatio periculoſa, & incertum ſæpius eventum habet, ita Auguſtum callide cum populo egiſſe patet, cum non ſtatim atque imperium accepiſſet, omni plane auctoritate exuere voluerit populum, verum paulatim, ut inquit Tacitus, inſurgere cœpit, munia Senatus, Magiſtratuum, legum in ſe trahendo, unde ab initio affectato ſtudio omnia fere in priſtino ſtatu permanebant, donec comitiis de campo Martio ad Patres tranſlatis, quod a Tiberio factum apud Tacitum legimus 1. *annal. cap.* 15. populus fuerit exauctoratus, adeo ut leges non amplius, ut antea, populi ſuffragiis ferrentur, verum paucorum Senatorum, qui ſive ſpe præmiorum, ſive metu odii a Principis arbitrio & ore pendebant, ſententiis ſubjiciebantur; quamobrem ſi quod jus novum induci placeret, non per leges, ſed Sc̄ta fiebat Principe auctore. Quodcunque ergo Imperator, cui ſummum delatum imperium, & proinde quoque jura condendi ſibi vindicat poteſtatem, ut alibi annotavimus, vel per epiſtolam & ſubſcriptionem, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat, & hæc ſunt, quæ Conſtitutiones appellantur, ut inquit Ulpianus in *l.* 1. *ff. de conſtit. Princip.* & Imperator Juſtinianus §. 6 *Inſt. de jur. nat. gent.* Hæ autem conſtitutiones non unius erant generis, quædam enim generales, aliæ ſunt ſpeciales; illæ omnes ligant, hæ de certis tantum perſonis promulgantur; adeoque perſonales dicuntur, nec ad exemplum trahuntur: rationi quippe vel æquitati non convenit, ut quod ſingulari beneficio legis certæ alicui perſonæ contra juris regulas conceſſum eſt, ad conſequentias producatur, *l.* 141. *ff. de R. J.* Ejuſmodi conſtitutiones privilegia dicuntur, quaſi leges ſingulares; hinc Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. *Lex*, inquit, *eſt generale juſſum populi aut plebis, rogante magiſtratu. Ea definitio ſi probe facta eſt, neque de imperio Cn. Pompeji, neque de reditu Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæſtio, neque alia id genus populi plebiſve juſſa, neque de univerſis civibus, ſed de ſingulis concepta. Quocirca pri-*

privilegia potius vocari debent; *quia veteres priva dixerunt, quæ nos ſingula dicimus*. Et Cic. 3. *de LL. In privatos homines leges ferri noluerunt*; *id enim eſt privilegium*. Ejuſmodi privilegia ad exemplum non trahuntur; primum exemplum eſt, Princeps alicui ob meritum quid indulſit vel conceſſit, veluti immunitatem ab oneribus publicis; alterum ſi quam pœnam irrogavit, quæ forte legibus non ſancita, adeoque graviorem ordinariæ imponit vi ſummi imperii, ut hac ratione homines improbi & facinoroſi magis deterreantur a malefaciendo, vel ſimile delictum admittendo: cujuſmodi pœnæ irrogatio haud æquitati repugnat; quoniam ad publicam ſecuritatem tranquillitatemque tuendam tendit, quam omni modo conſervare Principi incumbit; tertium ſi cui ſine exemplo ſubvenit, puta, gratiam delicti fecit. Hæc privata Principum vel ſummorum imperantium decreta, quæ privilegia vocari ſolent, ad conſequentiam trahi non debent. Quamobrem D. Trajanus, uti veterum teſtantur monumenta, quum privilegiis a ſe editis, aut ob merita indultis, multos inniti, eaque in exemplum trahi videret, veritus ne contra leges moreſque majorum ad alias cauſas pertraherentur, illaque in foro & judiciis pro lege acciperent, diplomatibus libelliſque nunquam ſcripto reſpondebat, ne perniciosum inde exemplum, & quaſi ſeminarium mali oriretur: ſed tantum verbo, quibus viſum eſt, aſſenſiſſe fertur, aut privilegia induxiſſe, tametſi vetus mos eſſet, Principem ſcripto adire, & conſulentibus per libellos reſpondere, Alexand. ab Alexand. *Genial. dier. lib. 6. cap.* 23. Verum notandum, quamvis Principi ejuſmodi privilegia concedendi facultas conceſſa, judicibus & civibus obſequii relicta gloria, poſſunt tamen aliquando incidere caſus, qui judices neceſſitate obſequendi & obſervandi, quæ Princeps decrevit, ſolvunt; quippe reſcripta contra jus vel utilitatem publicam ſint impetrata, etiam ab ipſis judicibus improbari ipſorum Imperatorum conſuetudinibus jubentur, *l.* 3. *&* 7. *Cod. de precib. Imp. oblat.* Secundo ſi impetrans precibus ſuis falſum narravit, *l. pen. Cod. ſi contra jus & utilit.* quod privilegium in praxi per ſub- & obreptionem impetratum dicitur.

Tertium, ſi ſine die & Conſule reſcriptum ſit, *l.* 4. *Cod. de diverſ. reſcript.* Ait autem Juſtinianus, ejuſmodi privilegia perſonam non egredi; adeoque ad ſucceſſores non tranſeunt, verum cum perſona moriuntur ſive extinguuntur, *l.* 68. *l.* 196. *ff. de R. J.* niſi id quoque beneficio Principis nominatim cautum ſit diplomate, *l.* 4. *ff. de jur. immun.* At privilegia, quæ magis cauſæ, quam perſonæ præſtantur, ea quoque ad hæredes tranſeunt, non qua tales, ſed qua poſſeſſores rei privilegiatæ: ambulant enim hæc privilegia cum re, *l.* 68. *ff. de R. J. l.* 4. *§.* 3. *ff. de cenſib.* uti omnia privilegia intuitu rei conceſſa, cum re ipſa ad poſſeſſores tranſeunt. Venit etiam juris ſcripti nomine auctoritas Prudentum, qui juris vel jure periti, ſive juris prudentes, vel etiam Juriſconſulti, alias etiam auctores juris, *l.* 3. *ff. ſi pars hæred. pet. l.* 34. *ff. de act. emt. l.* 17. *ff. de jure patr.* & juris conditores, *l.* 25. *Cod. de procurat.* item juris ſtudioſi, teſte Gellio, *lib.* 12. 13. appellantur, *l.* 1. *ff. de offic. adſeſſ. l.* 9. *§.* 4. *ff. de pœn.* Ab ipſo Reipub. Romanæ primordio, & quidem ab inſtituto Romuli imperii Romani conditoris, petenda JCtorum origo. Quippe, ut tradit Dionyſius, & Plutarchus *in vita Romuli*, diviſo univerſo populo in Patricios & plebejos, arctiſſimo vinculo eos Romulus ad concordiam pacemque, atque tranquillitatem, ſine qua ſocietas civilis diu nequit conſiſtere, tuendam atque fovendam, colligavit. Quamobrem commendavit Patriciis plebejos, eorumque tutelæ commiſit, optione cuique e vulgo data, ut, quem vellet, Patronum ſibi legeret. Conſtabat autem varia præſtando officia: inter alia oportebat Patronum clientibus de jure reſpondere, cujus illi rudes erant, & abſentium æque ac præſentium negotia curare, patrocinium pro iis ſuſcipere, in jus vocatos defendere; nulla patrocinii ſuſcepti cauſa data mercede, verum ſolius officii gratia, cui merces contraria eſt, *l.* 1. *§.* 4. *ff. mand.* Longe alia fori noſtri facies; miſeri clientes ſæpius a rabulis & cauſidicis linguam & operam in fas & nefas venalem habentibus facultatibus ſuis exuuntur, & ad miſerrimam paupertatem rediguntur. Huc pertinent iſta Senecæ Poëtæ *in Hercul. furent. act.* 1. *ſc.* 1.

Hic

Hic clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat.

Hoc jus patronatus per multas ætates ſancte obſervatum fuiſſe, tradit Dionyſius, donec interjecto tempore ſpe lucri ipſi Patricii, quorum quiſque initio juxta inſtitutum Romuli, ſuis clientibus in civilibus negotiis, juris interpretem in judiciis, & in rebus denique omnibus defenſorem præſtare ſolebat, omnibus conſulentibus abſque ullo diſcrimine conſilium non gratis, verum mercede conducti Græcorum more, dare cœperunt; quo contigit, ut jus patronatus in deſuetudinem abierit, atque omnes ſibi illud vindicarint nomen, qui deinde in foro cauſas agebant, & jus interpretabantur, & conſulentibus de jure reſpondebant, adeo ut tandem Oratorum, Patronorum, Advocatorum, Cauſidicorum nomen confuſum fuerit, & hi ipſi clientes vocati, quorum cauſas agebant in foro; non quidem gratis, ut olim patroni, ſed mercede data, uti ſtatim annotavimus. JCtus noſter eos appellat Prudentes, & communi appellatione dicuntur JCti; quippe ille vere JCtus nominari poteſt, qui legum & conſuetudinum ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum & ad cavendum peritus eſt. Quamvis me non fugit Oratoris, qui & patronus cauſarum olim dicebatur, ſcientiam fere omnem in dicendi peritia conſtitiſſe; verum inde non inferendum, quaſi Oratoris partes ſuſtinere non potuiſſet, qui juris civilis ignarus, facultate & dicendi copia fretus, more pſittacorum, alieno conſilio inſtructus cauſas in foro agunt & defendunt. Quamobrem Q. Mutius Servium Sulpitium reſponſum de jure non ſatis intelligentem graviter objurgavit, referente Pomponio *de orig. jur.* §. 43. atque ignorantiam juris civilis ei exprobravit. Graculi illi & pſittaci ſunt verborum artifices, nugivenduli impudentes, turpeſque rabulæ, judiciorum peſtes, corruptores juris & æqui, omnibus modis coercendi, qui non juris ſcientia nixi, ſed verborum & linguæ facultate freti, perinde habentes quale ſit quod defendunt vel oppugnant, ad cauſarum pa-

trocinia accedunt, patronorum nomine indigniſſimi, ut ait Coccejus, *comment. ad. tit. pandect. de orig. juris* §. 43. Vide & noſtras *exercit. in hiſtor. Pomp. de orig. jur.* §. *eod.* Quamvis autem non omnes J&ti Oratores ſive patroni cauſarum, quatenus in foro cauſas agebant atque defendebant, attamen omnes Oratores oporteret eſſe J&tos, qui etiam, & ab initio Reipub. Romanæ, & poſterioribus temporibus jura interpretabantur, & conſulentibus reſpondebant. Quippe reddebant olim reſponſa apud Romanos J&ti poſt longam in foro exercitationem: quo tempore Oratores ſive patroni cauſarum ſenectute gravati, depoſito cauſarum forenſium onere domi, quo ſuam etiam tum dignitatem tuerentur, jus reſpondere ſolebant. Quamobrem ipſis magis conveniebat nomen Juriſcônſulti, quam Oratoris, Cauſidici, vel Advocati. Et huc pertinet, quod Cicero, I. *de orator.* ſub Craſſi perſona, juris interpretationem non ſolum ad uſum forenſem, ſed etiam ad decus & ornamentum ſenectutis ſibi comparaſſe dicit. Et in ſolio ſedentes jura priſcos J&tos reſpondiſſe domi, alibi annotavimus *in diſſertat. de orig. & progreſſ. jur. civ.* Hinc Cicero *de ll.* de ſe inquit, *Ego vero ætatis potius vacationi confidebam, cum præſertim non recuſarem, quo minus more patrio ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderem, ſenectutiſque non inertis grato atque honeſto fungerer munere.* Hanc itaque juris civilis ſcientiam ſemper in Repub. Romana maximi viri maximæque dignitatis profeſſi ſunt, & quidem ad veterum patronorum exemplum non duntaxat populi cauſas orarunt, verum etiam tenuiorum e plebe Romanorum ad ſe confugientium patrocinia ſuſceperunt, & conſulentibus de jure reſponderunt, civium juvandorum ſtudio ducti, quorum antiquitus tanta fuit auctoritas, ut ſi jus reſpondendi a Cæſare iis datum eſſet, qui J&ti appellabantur, eorum ſententiæ & opiniones eam tenuerint auctoritatem, ut ne judici recedere a reſponſo liceret, *l.* I. *Cod. de veter. jur. enucl. l.* I. *Cod. de legib.* Quamobrem & juris conditores, uti ſtatim annotavimus, nuncupantur *l.* 23. *Cod. de procuratorib.* Verum quamvis ſemper ſumma fuit Prudentum auctoritas, attamen ab initio liberæ Reipub. non eam juris auctoritatem Juriſconſultorum reſponſa, quam ſtatu po-

pulari

Digitized by Google

pulari in Monarchiam verſo acceperunt, & quidem ſub Cæſare Auguſto; quippe nec ante in ſtatu populari, nec etiam Monarchico, ſcil. Julii Cæſaris ætate, vim & auctoritatem legis ſive juris habuiſſe, ita ut judici fas fuerit ab iis libere recedere, uti hodie a Cauſidicorum noſtrorum conſultationibus. Vid. Coraſ. *comment. ad tit. de juſtit. & jur.*. Unde Cicero *pro Mur. Jureconſultorum reſponſa & decreta ſæpe ab Oratoribus everti*, teſtatur. Ita quoque exemplum adfert Craſſi *in orat. pro A. Cæcinna*, qui in judicio centumvirali obtinuerat, ut Scævolæ reſponſum minime attenderetur. Quamobrem ante Auguſti tempora reſponſa ſua non ſignata dediſſe, notavimus *in diſſertat. de orig. jur.* Valebat tamen ſententia Juriſconſulti, & juris auctoritatem obtinebat, quoties accedebat tacitus populi conſenſus, adeoque juris civilis ſpecies facta, & quidem juris non ſcripti, quod tacitus ejuſmodi populi conſenſus conſuetudinis ſpeciem haberet, *l. 2. §. 5. ff. de orig. jur.* Everſo autem Reipub. ſtatu, cum unius dominatu contineretur Reſpub. tum cœpit initium ſub Julio Cæſare; ejus ætate, qui fiduciam ſuorum ſtudiorum, & ingenii atque doctrinæ habebant, non deſinebant privata auctoritate conſulentibus reſpondendi ſibi facultatem arrogare; verum interpretatio illa tantum erat privata, quoniam nec ulla Julii Cæſaris expreſſa conſtitutione, nec populi confirmatione, vel uſu fori approbata, non magnam quoque habebat auctoritatem, ita ut judici ab ea recedere impune liceret. Quamobrem cum juſta ejuſmodi reſponſa deſtituebantur auctoritate, eaque ipſa, quam habebant Prudentes, in contemptum abiret & evileſceret, omnibus ſe promiſcue ad reſpondendum ingerentibus, donec tandem D. Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut qui reſponſuri eſſent, ex ejus auctoritate reſponderent; quod & ſequentes Imperatores ſecuti fuere, (excepto Caligula, qui ſcientiæ eorum omnem uſum aboliturum ſæpe jactabat, teſte Suetonio *cap.* 34.) adeoque ex illo tempore peti hoc pro beneficiis cœpit. Quamobrem optimus princeps Hadrianus, cum ab eo viri Prætorii peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit iis, hoc non peti, ſed præſtari ſolere:

Digitized by Google

& ideo ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſi populo ad reſpondendum ſe præpararet. Attamen, teſte Spartiano, idem Imperator nullos in conſilium judiciorum ſuorum adhibuit, niſi a Senatu lectos & probatos. Adeoque accedente Imperatoria auctoritate, Prudentum ſententias & opiniones inter juris ſcripti ſpecies poſitas atque numeratas eſſe, patet ex §. 8. *Inſt. de jur. natural. gent. & civ.* imo vero ex *l.* 2. *Cod. Theodoſ.* perſpicimus quorundam JCtorum ſcriptis vim lectionis, ſive auctoritatem allegationis in judiciis vimque legis Principes attribuiſſe, quemadmodum a Theodoſio factum, & ab Imperatore Juſtiniano confirmatum eſt, *l.* 1. §. 5. 6. 7. *l.* 2. §. 10. *l.* 3. §. 10. 20. *Cod. de jur. veter. enucl.* Quippe omnia reſponſa Prudentum, jubente Imperatore, in Corpus noſtrum relata ſunt, eaque probavit & ſua fecit, quaſi ab ipſo primum prolata eſſent, ita ut vim conſtitutionis Imperialis habeant, & legum efficaciam; ea enim noſtra facimus, quibus noſtram adjicimus auctoritatem, §. *penult. Inſtit. proœm. l.* 1. §. 10. *Cod. de jur. veter. enucl.* Quamvis idem Imperator ſuo tempore Juriſconſultorum auctoritatem ad priſtinum ſtatum, qualis fuerat ſub Julio Cæſare, ſola ipſi probabilitate relicta, redegit, adeo ut judici tum temporis recedere ab eorum reſponſis licuerit. Uti nec hodie apud nos JCtorum reſponſa, opiniones & ſententiæ magnam habent auctoritatem, vel quia JCti nimis faciles ſunt in reſpondendo, dum lucri ſunt avidiſſimi, & vulturum inſtar, ſi non vulturibus pejores, vivis detrahunt cruorem. Vel quia ſtudio partium quandoque malæ cauſæ quid prætexunt, dum clientes examen judicis reformidantes, ad celeberrimi nominis Profeſſorem, vel Advocatum procurrunt, qui tum omni ingenii acumine, ſummis viribus contendit, ut eos adjuvet, exemplum inſinceri Rhetoris Protagoræ, apud Gellium, in eo imitatus, uti differit Vir clariſſimus Paulus Voet, olim in Acad. Ultraj. juris Anteceſſor, in *Comment. ad Inſtit. de jur. nat. gent. & civ.* JCtus noſter a reſponſis Prudentum tranſit ad jus Prætorium, quod Prætores vi muneris & dignitatis, qua ornati, introduxerunt, ex quo jure jus civile, & quidem ſcriptum quoque compoſitum teſtatur.

Jus

Jus Prætorium, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam, quod & Honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum. Non ambigendum, quin Jctus noſter hic habeat ſermonem de jure Prætorio, quod ex edictis, quæ Prætor urbanus juri dicundo inter cives præpoſitus inito magiſtratu, proponere ſolebat, ſecundum quæ toto anno jus dicturus eſſet, fluere cœpit, & jus Honorarium dicebatur, uti annotavimus in *exercitat. ad hiſtor. Pomponii de orig. jur.* §. 10. & 47. ubi late de munere Prætoris ejuſque edictis diſputavimus, quamobrem lectorem ad ea, quæ ibidem annotavimus, remittimus. Prætorium itaque jus appellatum, quod Prætorum, & quidem Urbanorum edictis conſtitutum erat, quibus ſi quid in jure non ſatis cautum eſſet, adjuvabat, ſupplebat, emendabat ſive corrigebat; juvabat, cum ſcriptis heredibus bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, vel ſervat pacta legibus moribuſque conſentanea, *l.* 7. *§.* 7. *ff. de pact.* decrevit; ſupplebat nonnunquam, quod in verbis legis deſiderabatur, idque quoties utilem dabat actionem, eo caſu quo nulla erat actio jure civili prodita, & tamen actionem dandam dictabat æquitas, *l.* 11. *ff. de præſcrip. verb.* emendabat & corrigebat interdum legem duram ejuſdem æquitatis lima politam; ut cum liberis emancipatis ab inteſtato & alienis poſthumis inſtitutis contra duritiem veteris legis bonorum poſſeſſionem dedit. Cum enim ferantur ad Reipub. ſalutem utilitatemque publicam tuendam atque promovendam, quæ pro temporum & caſuum varietate, qui quandoque incidere, nec omnes legibus comprehendi poſſunt, Reipub. quoque intereſt, pro rerum occaſionumque varietate, ſtatuta quoque legum variari, & ad præſentem Reipub. ſtatum & conſtitutionem adjuvando vel corrigendo vel emendando accommodari. Quod Prætori incumbebat apud Romanos. Videtur olim primis Reipub. temporibus dicendi, non vero condendi juris poteſtas data fuiſſe, inde illud in XII. Tabb. juris diſceptator, qui privata judicet judicarive jubeat, Prætor eſto. Is juris civilis Cuſtos eſto. Quamobrem nec inter juris ſcripti ſpecies referebatur jus Præto-

torium, antequam juris alicujus placitum vel approbatio interveniſſet. *l.* 2. *§.* 5. 6. 12. 47. *ff. de orig. jur.* unde dictus a Martiano Prætor viva vox juris civilis in *l. ſeq.* Qui etiam jus dicere credebatur, dum iniquum decernebat, *l. pen. h. t.* Interjecto vero tempore ei conceſſum, ut edicta conderet, quæ, uti alibi annotavimus, erant annalia, quamobrem Cicero Edictum Prætoris legem annuam appellat, cui adferant finem Calendæ Januariæ; ſicut annuum erat Prætoris imperium *pr. Inſt. de perpet. & temp. act.* a cujus auctoritate pendebat omnis edicti vis & honor. *§.* 7. *Inſt. de jur. nat.* Vid. *exercitat. in Pompon. de orig. jur.* Inde in pleriſque edictis intra annum ſe actionem daturum pollicetur. Adeoque Prætoriæ actiones non plus anno vixerunt, niſi quæ poſtea Principum conſtitutionibus ſunt factæ diuturniores. Jus autem, quod ex edictis Prætorum dimanabat, Honorarium nuncupatum, teſtatur JCtus. Jus Honorarium ex eo denominatum ajunt tam Imperator Juſtinianus, quam JCtus noſter, quod, qui honores, id eſt, Magiſtratus gererent, auctoritatem eidem darent, ut annotavimus ad *§.* 10. *de orig. jur.* Alii ab honore, quia Regiis inſignibus, & apparatu ferme Conſulari Prætores ſupra ceteros judices fungerentur: velut per antonomaſiam, jus Prætorium nominatum volunt, Feneſtel. *de Magiſt. Rom. cap.* 19. Vid. *exercitat. in Pompon. de orig. jur. d. l.* Hoc ipſum jus Prætorium, quod Honorarium appellat JCtus noſter, Martianus in *lege ſeq.* ſubjungit, eſſe vivam vocem juris civilis, cum inquit:

Lex VIII.

Lex VIII.

Nam & ipſum jus Honorarium viva vox eſt juris civilis.

NAm & ipſum jus Honorarium viva vox eſt juris civilis. Per jus Honorarium intelligit jus Prætorium, jus illud, quod deſcendit ex Prætorum edictis, quamvis Ædiles curules ſua quoque edicta proponebant, atque jus Ædilitium juris Honorarii quoque portio ſit, teſte ipſo Imperatore *§. 7. Inſt. de jur. nat.* Papinianus tamen & Martianus JCti in ſtrictiore ſignificatione de jure Honorario ſermonem habent, quatenus eſt Jus, quod Prætor conſtituit, quod ex Prætorum edictis dimanat, quamobrem jus Prætorium quoque appellatur, ut patet ex lege antecedente, ubi Papinianus jus Honorarium appellat jus Prætorium, quod Prætores introduxerunt, adeoque cum excluſione juris Ædilitii, quod Ædiles curules conſtituerunt, & ſub appellatione juris Honorarii quoque comprehenditur; adeoque Honorarium jus recte dicitur, Prætorium vero jus minime. Quamobrem per jus Honorarium in hac lege denotatur jus Prætorium, propterea quod in lege, quæ præcedit jus Honorarium duntaxat appellatur jus Prætorium, ad quod hæc lex referri debet, uti patet ex connexione verborum, tum etiam, quod prædicat jus Honorarium eſſe vivam vocem juris civilis; quæ verba ad Prætorem referenda, tanquam cuſtodem & miniſtrum atque interpretem juris civilis, vel etiam, ut inquit Forcatulus *comment. ad h. t.* vivam juris civilis vocem præ ſe ferebat, quoniam non ſolum edicta dabat, ſed etiam judicabat, unde vivus quotidie pro tribunali viva voce obſcura legum pandere poterat decretis ſuis; ſcil. cauſæ cognitione prævia: nam & accuſationes coram eo inſtituebantur, & de his jus dicebat, ſi non alius judex de illa videretur magis idoneus ſpecialiter *l. 1. §. fin. ff. de ſuſpect. tut.* & cauſæ coram eo agebantur per

Nn Ad-

Advocatos, *l. 2. ff. de in jus vocand.* Quamobrem Cicero *orat. pro Archia Poëta*, de quo ambigebatur an civis Romanus eſſet, cauſam agi apud Prætorem lectiſſimum, & ſeveriſſimos judices, quibus ipſe præerat. Et ſtatim annotavimus, prius ob jus dicendum, quam ob leges ferendas Prætorem Romæ creatum fuiſſe, adeoque inter juris ſpecies jus Prætorium primis temporibus non potuiſſe referri, niſi quatenus uſu & quaſi tacito populi conſenſu accedente introductum conſideretur; & ne quidem poſtquam edicta condendi facultas Prætori conceſſa; quod ex edictis fluere cœpit, licet non modicam obtinuerit auctoritatem; tamen jus Prætorium juris ſcripti portionem conſtituebat, ſed legis vim non habebat, quia ad populum pertinebat legis ferendæ & abrogandæ, & nova jura condendi poteſtas; poſtea tamen edicta Prætorum inter partes juris ſcripti ſunt relata, ut videre eſt *l. 7. Inſt. de jur. nat.* Quippe, quamvis edicta juris Honorarii ſint portio, id tamen ſic non accipiendum eſſe annotarunt Viri juris ſcientia florentiſſimi, quaſi illorum edictorum ſit maximus honor inter jura ſcripta; verum quod condita ab eo, qui honores gerit, donec a Salvio Juliano collecta, & Imperatori oblata legis vigorem habere cœperunt, & inter juris ſcripti partes relata ſunt, *l. 2. Cod. de jur. veter. enucl.* Adeoque Hadriani temporibus eandem vim & auctoritatem jus Prætorium habuiſſe, quam jus civile, leges, plebiſcita & Senatusconſulta, e quibus jus civile ſcriptum compoſitumque eſt, uti ſupr. annotavimus; multoque magis, poſtquam Juſtinianus edicta Prætorum in Pandecta retulit & approbavit; unde etiam hodie eadem ipſis auctoritas competit, ſive eandem vim obligandi habent, quæ juri civili proprie ſic dicto tribuenda, cum Imperator omnia ſua fecerit; *d. l. 1. de jur. vet. enucl.* ita tamen, ut naturam juris Prætorii in actionum præſcriptione, & aliis partibus retineant, unde actiones Prætoriæ etiamnum annales, civiles vero perpetuæ, *pr. Inſt. de perpet. & temp. act. l. 35. ff. de O. & A.*

Lex IX.

Lex IX.

Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quiſque populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt: vocaturque jus civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur: vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur.

OMnes populi, qui legibus aut moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium jure utuntur. Alibi notavimus, genus humanum poſt diſperſionem in diverſas nationes & gentes coaluiſſe, & ad varias mundi plagas receſſiſſe, ubi ſuas quiſque ſedes collocaverat, atque fixerat; omnes itaque populi ſunt omnes gentes ac nationes, quæ per univerſum terrarum orbem diſperſæ, varios quoque hominum cœtus conſtituerunt, non tam quidem ex ſingulis perſonis, quam quidem diverſis familiis coalitos, qui initio, antequam in ſocietates civiles conſpirarunt, communi jure, id eſt, jure naturæ regebantur, atque utebantur. Quippe poſtquam in varias gentes mortale genus diviſum poſt diſcretionem ſive diſperſionem, cui labii confuſio occaſionem præbuit, ut alibi notatum, non ſtatim civiles ſocietates excitatas fuiſſe nobis perſuaſum, verum modicum temporis intervallum in eodem ſtatu, in quo ante confuſionem & diſcretionem vixerant, id eſt, in ſtatu naturali mortales vitam tranſegiſſe, donec hujus ſtatus, ob multa incommoda, quibuſcum in eo conflictabantur, pertæſi, in ſocietates civiles

coïvere, communi jure, id eſt, naturali ſingulæ familiæ, e quibus ſocietates civiles compoſitæ, ut ita dicam, utebantur. Etenim cum eo in ſtatu homines ſibi æquales, adeoque alter in alterum nullum haberet imperium, & proinde agendi & vivendi normam nec regulam alter alteri nequiret cum eo effectu præſcribere, ut eam ſequi & obſervare devinctus eſſet, cum par in parem nullum imperium, adeoque nec obligandi ad exequendum quod jubebat, facultatem habuerit, ſequitur, nec illa ætate præter naturæ leges, ſive jus commune, vel gentium, aut naturale quod idem eſt, leges poſitivas ſive jus civile, quod a ſummo imperio, vel civili poteſtate proficiſci debet, fundamentumque eſt ac baſis, qua innititur ſocietatis civilis fabrica, locum habuiſſe, ut demonſtravimus in *Diſſert. de orig. ſocietat. civ.* Neceſſitate enim obſequendi ſublata, evaneſcit ſummum imperium, & proinde & leges ferendi poteſtas corruit; quæ nihil aliud ſunt, quam juſſa & mandata ſummi imperantis, quæ ſubjectis imponunt neceſſitatem faciendi & exequendi, quæ legibus & juſſis ſanciuntur & imperantur. Atque hac ratione ſocietas iterum diſſolvitur, & ad priorem ſcil. ſtatum naturalem, in quo quiſque ſui juris, proprium arbitrium pro lege habet, degenerat. Cum itaque JCtus inquit, quod *omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium jure utuntur*, ſermonem habet de illa ætate eoque ſtatu, quo regna condita, ut inquit Hermogenianus *l.* 5. & hominum cœtus celebrari cœperunt; adeoque cum in civilem ſocietatem ſub uno eodemque ſummo imperio coïverunt: tunc temporis omnes populi ſive omnes gentes ac nationes partim legibus & moribus, id eſt, jure proprio regi cœperunt, partim communi omnium hominum jure utebantur. Nulla quippe ſocietas, quin ſuas habeat leges, quibus vel fundata eſt, vel quæ actiones civium ita dirigunt, ut ad publicam utilitatem tuendam omnes tendant, vel quæ in quibuſcunque negotiis peragendis, commerciis exercendis, contractibus celebrandis, civibus formam & regulam præſcribunt, adeoque tam ad Reipub. quam privatorum commoda & utilitatem promovendam atque procurandam,

dam, tanquam finem & ſcopum legiſlatoris feruntur. In legibus condendis & jure conſtituendo hæc duo juris objecta concurrunt, ad quæ obtinenda legiſlatoris voluntas collimare debet, quamobrem ſtudii juris duas eſſe poſitiones, inquit Ulpianus in *l.* 1. *h. t.* ſive theſes, circa quas omnis juris ſtudii tractatus verſatur, nimir. circa jus publicum vel privatum. Quoniam vero non una eademque omnium populorum ſive gentium indoles & natura, nec etiam eadem forma regiminis placuit omnibus, hic ſecundum cujuſque gentis & populi indolem, & diverſam Reipub. adminiſtrationem, non eædem ubique leges nec jura vigere vel conſtitui potuere. Quamobrem quiſque populus proprias ſibi leges & jus proprium conſtituit, & proinde omnes populos, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure uti, ait Jctus noſter. Jus autem proprium, vel legibus conſtitutum, vel moribus, conſtat ſcil. ut inquit Ulpianus *l. 6. h. t.* aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto. Jus ſcriptum ex legibus dimanat, ita appellatum, quia plerumque leges in ſcripturam rediguntur, ut cuivis hac ratione melius innoteſcere poſſent; quamvis non ſit de legis eſſentia, ut paulo ante annotavimus. Mores vero tacita populi voluntate longo uſu confirmata inducuntur, atque non minorem, quam leges, vim obtinent, unde Ulpianus in *l.* 33. *ff. de ll.* diuturnam conſuetudinem pro jure & lege obſervandam affirmat; quippe non intereſt, an cives verbis ſive ſcriptura vel litteris voluntatem ſuam, an rebus & factis ſignificent vel declarent. Leges itaque moribus hic opponit Cajus; legis verbo denotans quodcunque ſcripto vel jubendo vel vitando ſancitum eſt, *l.* 1. & 2. *ff. de ll.* Per mores vero uſum tacito populi conſenſu receptum, non lege, non ſcripto, ſed diuturna hominum opinione & conſuetudine confirmatum, *l.* 32. *ff. de ll.* Hinc Cicero *lib.* 2. *de invent. Jus*, inquit, *eſſe putatur, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobavit.* Et auctor Rhethor. ad Herennium *conſuetudinem jus eſſe*, ſcribit, *quod ſine lege, æque ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt.* Verum nec leges nec mores, quibus populi ſive gentes, poſtquam in civitates coiverunt, tanquam jure proprio utuntur, tollere poſſunt jus com-

Digitized by Google

commune omnium hominum, ſcil. jus naturale, vel jus quod recta dictat ratio, adeo quod ſemper juſtum & æquum ac honeſtum eſt, omnis mutationis expers, quoniam diſpoſitioni legiſlatoris vel populi non ſubeſt; quamobrem inquit Cajus *l.* 2. *§. ult. de uſur. ear. rer. Naturalem rationem auctoritate Senatus commutari non poſſe.* Huc ſpectat quod ait Conſtantinus *l.* 2. *Cod. quæ ſit long. conſuet. Non adeo valituram eſſe conſuetudinem, ut rationem vincat*, id eſt, jus naturæ, quod cuique ratio naturalis dictat atque præſcribit, adeoque omnes homines, quocunque in ſtatu ſive naturali ſive civili degunt, ad ſui obſervantiam & uſum obligat atque devincit. Atque hoc ſenſu ait JCtus, omnes populos, qui legibus & moribus, id eſt, jure poſitivo reguntur, etiam communi omnium hominum jure, id eſt, jure naturali, ſive gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, uti, quemadmodum ſupra annotavimus. Verum cum JCtus id prædicat de omnibus populis, qui legibus aut moribus reguntur, videtur innuere, fuiſſe aliquos populos morum & legum expertes, quia relativum ſolet reſtringere genus præcedens; quamobrem Accurſius aliique JCti ſtatuunt, excipi ſylveſtres homines, populos barbaros, efferos & immanes: qui, cum nullis certis moribus, nulliſque patriis inſtitutis regantur, nihil cum jure gentium commune habent. Quod & mihi veriſimile videtur, ſcil. JCtum hic habere ſermonem de omnibus nationibus & populis, quos rationales ſolemus vocare, qui rationis lumine ducti aliquam conſervant ſocietatem & ſuavitatem humanitatis. Quamvis enim omnes homines rationis participes ſint, & proinde communi jure uti dicendum videatur; attamen in quibuſdam populis incultis & immitibus rationis lumen tam denſis ignorantiæ tenebris involutum, ut vix in iis parvæ rationis rectæ appareant ſcintillæ, quales fuiſſe feruntur ii, quos legiſlator Orpheus cithara juſtitiæ ad manſuetudinem & ſocietatem illexit.

Sylveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

ut

ut canit Horatius. Quia, licet homo ſit rationis particeps, & animal politicum & civile, attamen a principio, & quidem ab ephebis ipſis indiget doctore aliquo perito, ut ſua animi bona cognoſcere incipiat, & ita quaſi formetur, ut aliquando utile ſocietatis, cum naturalis tum civilis; membrum evadat.

Nam quod quiſque populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius civitatis proprium, vocaturque jus civile; quaſi jus proprium ipſius civitatis. Ex hiſce ſatis perſpicimus, JCtum non habere ſermonem de eo ſtatu primævo, ſcil. naturali, in quo ante gentium diſperſionem per univerſum terrarum orbem mortales vitam traduxerunt, cum penes patres familiarum in domeſticos erat imperium, qui ſine legibus, ſine imperio, liberi atque ſoluti, uti de Aboriginibus & Gætulis teſtatur Salluſtius *Catilinar. lib. 6. & de bel. Jugurthin. cap.* 18. vivebant, proprium arbitrium, & propriam voluntatem pro ratione & norma agendi ſecuti. Quæ tamen oportebat convenire cum jure omnium hominum communi, ſcil. rectæ rationis dictamine; quod omnes homines, quocunque in ſtatu collocati, ut in quacunque poſiti conditione, alligat, ut in totius vitæ curſu quod juſtum, quod rectum & honeſtum eſt, ſequantur, fugiant quod indecorum & rectæ rationis dictamini repugnet, adeoque vitæ traducendæ rationem ita inſtituat, ut cum jure naturæ ſive rationis dictamine conveniat; quamobrem ſive in ſtatu naturali, ſive civili homo vivat, nunquam exlex eſt, vel morum & legum expers. In illo jus commune omnium hominum, quod idem cum jure naturæ, quod Deum auctorem habet. In hoc jus proprium ſive civile, quod quiſque populus in unam eandemque ſocietatem coalitus ipſe ſibi conſtituit, & proinde extra civitatis ſive populi territorium vel fines legis non habet vigorem, & proinde quaſi proprium jus populi ipſius civitatis, ad mores & indolem, tum etiam civitatis fabricam accommodatum. Quemadmodum in ſtatu naturali alter in alterum nullum habet imperium, adeoque nec leges ſtatuendi, niſi in domeſticos, habebat poteſtatem; ita quoque nec una civitas alteri jura dare poteſt, verum quiſque populus ipſe ſibi tantum jus conſtituit, quod non ultra limites civitatis extenditur. Quamobrem civitatis ipſius proprium eſt, & vocatur jus civile,

vile, quaſi jus proprium ipſius civitatis & non alterius; quemadmodum jus commune omnium hominum, ſive jus naturæ, quibus omnes populi, omnes gentes, adeoque omnes civitates reguntur, atque eodem utuntur jure. Unde Cicero jus civile definit, *Æquitatem eſſe iis conſtitutam, qui ejuſdem ſunt civitatis ad res ſuas obtinendas. in Top.* & Ariſtoteles, *Jus civile*, inquit, *eſt, quod in ſocietate & communione vitæ poſitum eſt.*

Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur. Per naturalem rationem intelligimus mentis noſtræ inditam facultatem, qua poſſumus cognoſcere quid honeſtum, quid turpe & indecorum, boniſque moribus contrarium ſit, quid juſtum vel injuſtum; & proinde per mentis diſcurſum judicare quid faciendum, quid fugiendum, uti in *Comment. in Grot. de jur. bel. & pac.* tum etiam *ſupr.* demonſtravimus. Unde Chryſoſtomus, *orat.* 10. *Mentem habens, ſcies ex temetipſo, quid tibi ſit faciendum, & quomodo.* Hanc rationem naturæ Cicero *legem cœleſtem* dicit, *l.* 2. *de ll.* & alibi *lib.* 3. *de Repub. veram legem* appellat *rectam rationem, naturæ congruentem, diffuſam in omnes*, (& eo ſenſu ab JCto jus commune omnium hominum vocat) *conſtantem & ſempiternam, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat.* Dictando itaque ratio naturalis quid juſtum quid injuſtum ex objectorum, quæ menti offeruntur, comparatione, & contentione inter ſe facta, ut alibi annotavimus, jus conſtituit, ex quo nobis innoteſcit, quid faciendum, quid omittendum vel fugiendum. Quoniam vero ejuſdem rationis omnes populi, omnes gentes ac nationes participes ſunt, hinc jus, quod dictat naturalis ratio, apud omnes populos & gentes peræque, id eſt, eodem modo & æqualiter cuſtoditur, atque inde vocatur jus gentium, licet revera ſit jus naturale, & proinde quoque jus commune omnium hominum omniumque populorum & gentium. Unde Livius humanum jus vocat, quo totum genus humanum utitur. *Naturale jus eſt, cujus vis idem apud omnes valet*, ut inquit Ariſtot. 5. *Ethic.* adeoque

que jure naturali etiam comprehendit jus gentium, & ita quoque plerique Philoſophi; atque etiam ab ipſis J&tis promiſcue jus naturale & gentium pro eodem uſurpantur. Quomodo Paulus *l.* 1. *ff. locat.* locationem & conductionem vocat naturalem & omnium gentium. Vid. *l.* 84. §. 1. *ff. de R. J.*

Lex X.

Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Juris præcepta ſunt hæc: honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere. Juriſprudentia eſt divinarum, atque humanarum rerum notitia; juſti, atque injuſti ſcientia.

Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Facile perſpicimus, J&tum definire juſtitiam, prout cadere oportet in hominem vel tanquam membrum ſocietatis humanæ vel ſocietatis civilis; quocunque enim in ſtatu collocatus, ſemper habet relationem, ut ita dicam, ad proximum ſive ſocium, cum quo in eadem ſocietate vivit, & proinde, dictante ratione, juris naturæ vinculo alligatus, ut cum eo vivat, conſuetudinem habeat, & agat, ut nunquam a juſtitia deflectat. Sunt multa officia, quæ ex rectæ rationis dictamine, ſive jure naturæ deſcendunt, quæ homo homini præſtare devinctus eſt jure ſocietatis humanæ; ſunt quæ deſcendunt ex contractibus, commerciis & negotiis, quæ inter ſe celebrant atque peragunt. Ex quibus dimanant obligationes ad agendum, faciendum & præſtandum, quod pactum vel conventum. Quoties autem hominem conſideramus tanquam creaturam rationalem, ad divinam imaginem conditum, & proinde ob illam conjunctionem devinctum, ut

vitæ tranſigendæ ratio omneſque actiones, quæ ab eo proficiſcuntur, conveniant cum imagine illa, cujus particeps eſt, & conſiſtit in convenientia voluntatis cum eo, quod juſtum atque honeſtum & decorum eſt, & in genere, quod cum rectæ rationis dictamine convenit; quippe ejuſmodi voluntatis rectitudo, & inclinatio ad faciendum quod juſtum & honeſtum eſt, revera refert imaginem, ad quam conditus; atque hac ratione natura duce colebant juſtitiam vetuſtiſſimi mortalium vitæ adhuc integri ſceleriſque puri, dum nihil appeterent, quam quod juſtum, rectum & honeſtum erat, ſcil. cum divina ſanctitate & juſtitia conveniebat. Nec alio ſenſu poſt Lapſum juſtitia in hominem cadit, quam cum voluntas & appetitus tendunt ad faciendum, quod juſtum & honeſtum eſt, quod recta dictat ratio, adeoque erga omnes leges, ſive dictamina rationis, obedientiam, omneſque honeſtas actiones complectitur. Quoniam autem ratio nihil dictat, quam quod juſtum ac rectum eſt, ergo qui vult & appetit quod ratio dictat, juſtitiam colit. Quamobrem Cic. *de fin.* ait, *Juſtitiam* eſſe *animi affectionem, ſive propenſionem ad id, quod juſtum eſt;* & proinde juſtitiæ originali, ut ita dicam, convenit: adeoque virum juſtum appellamus, qui juſte faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, vel conatur facere in omni re id, quod juſtum eſt. Et hoc ſenſu juſtitiam definit JCtus, quod eſt *conſtans & perpetua voluntas*, in quocunque ſtatu & conditione poſiti, ſemper nos illud juris naturæ vinculum alligat, ut juſtitiam tanquam vivendi & agendi nobis normam & regulam obſervare ſtudeamus, adeoque nihil cupiamus vel appetamus, quam quod juſtum & honeſtum eſt. Quam late igitur patet juſtitia, tam late ſeſe extendit obligatio volendi & appetendi, ut ita dicam, quod juſtum & honeſtum eſt. Quamobrem fruſtra hic Juriſconſulti laborare mihi videntur, dum anxie inquirunt, de quanam juſtitia Ulpianus in ſua definitione agat, de univerſali, an de particulari? Ariſtoteles *lib.* 3. *de moribus cap.* 2. & 3. & poſt eum Philoſophi, duplicem eſſe tradunt, unam, quæ omnes virtutes complectitur, alteram, quæ una virtutum eſt. Illa univerſalis eſt, hæc particularis. Univerſalis juſtitia eſt

quaſi

quaſi mater omnium virtutum, & cum omni virtute concurrit, adque ea omnia pertinet, circa quæ vir bonus & juſtus verſari poteſt. Juſtitia particularis, quæ privatim ad alium eſt, & ab aliis virtutibus ſpecie diſtat, nec habitu minus, quam reliquæ virtutes comparatur. Univerſalem juſtitiam Juriſconſultos non conſiderare, & proinde nec de ea hic Ulpianum, nec Imperatorem *tit.* 1. *Inſt. de juſt. & jur.* loqui nonnulli ſtatuunt; verum, ut mihi videtur, a mente Juriſconſulti noſtri & verborum ſenſu alienam plane opinionem amplectuntur. Diximus paulo ante, definitionem, quam tradit Jctus, hominem reſpicere tanquam membrum ſocietatis humanæ vel civilis: prima conditio tolli nequit per alteram, id eſt, quemadmodum non poteſt exuere naturam humanam, ita nec mutare conditionem & ſtatum, in quo, eo ipſo quod homo naſcitur, collocatur; adeoque ne ſit membrum ſocietatis humanæ, licet in civilem ſocietatem tranſiverit. Hanc conditionem, ut ita dicam, oſſibus perſonæ inhærentem nunquam deponere poteſt; quamobrem nec obligationi, quæ immediate ex hac conditione dimanat, poteſt renunciare, nec adventitia, ut ita dicam, conditio, qualem accipit poſtquam ſocietatis civilis membrum factus eſt, diſſolvit obligationem illam naturalem, quæ ab ipſis naturalibus originem habet, & quaſi cum ipſa humana natura naſcitur; uti nec jus civile tollere & abrogare poteſt jus naturale; perpetua enim & moralis hæc obligatio, adeoque hominum diſpoſitioni non ſubjacet. Illa autem obligatio eſt juris vinculum, quo homines, uti dicere incepimus, tenentur ad juſtitiæ normam & regulam, ſive ad rectæ rationis dictamen vitæ tranſigendæ rationem componere, & proinde ut ſemper & ubique, in totius vitæ curſu intendat id, quod naturalis ratio dictat juſtum atque honeſtum eſſe; adeoque ut omnes naturæ leges, omniaque præſtet officia, quæ jure ſocietatis humanæ, quæ homini cum homine intercedit, obſervare atque præſtare tenetur. Hæc neceſſitas moralis eſt, & proinde hominem, etiamſi jam membrum ſocietatis civilis, obligat ad ſui obſervantiam. Quamobrem nullam rationem video, cur Ulpiani definitio non diverſo reſpectu, cum ad univerſa-

lem, tum ad particularem juſtitiam, juxta diverſum hominis ſtatum, applicari poſſet; adeoque comprehendat non duntaxat juſtitiam particularem, quæ civiles hominum actiones dirigit, quatenus utilitas Reipubl. & ſalus civium ſuadet & efflagitat; verum etiam juſtitiam univerſalem, quæ determinat juſtum, non reſpectu ſocietatis civilis, ſive pro utilitate privatorum vel Reipub. ſed attendit quod ſemper & ubique & omni loco juſtum, & proinde voluntatis noſtræ in quacunque conditione & ſtatu poſiti ſumus, objectum eſſe debet & finis, ad quem tendit, & ſeſe determinare debet, ut ſemper conſpiret cum dictamine rectæ rationis, cum legibus naturæ, cum eo quod juſtum honeſtum & decorum eſt. Finis enim univerſalis juſtitiæ maxime eo tendit, ut cuique tribuatur ſuum, ſcil. ut omnia officia, quæ alter alteri debet, dictante ratione & ſocietatis humanæ conſervatione efflagitante, præſtentur, tum etiam pacta, conventiones, contractus, aliaque id genus negotia, quæ inter homines peraguntur, adimpleantur, & ut uno verbo dicam, quocunque in ſtatu ſive naturali ſive civili, ſemper tendamus ad id, quod juſtum eſt, ſcil. quod cum legibus vel jure naturæ ſive rectæ rationis dictamine, vel jure & legibus civilibus convenit; illæ enim definiunt quid cuique præſtandum vel dandum vel faciendum, adeoque qui legibus, cum naturalibus tum civilibus convenienter vivere cupit, ad id ejus voluntas ſemper tendit, ut cuique ſuum tribuat, ubique, omni tempore, & loco, quod juſtitiæ univerſalis finis; & proinde hanc definitionem, quam Jctus noſter tradit, merito ad univerſalem juſtitiam referendam, ſtatuendum nobis videtur. Quod & clarius perſpicimus ex præceptis, quæ ex illo jure, de quo diſputat, deſcendunt, & ſub juſtitia, quam definit, continentur, quæ ſunt dictata & præſcripta juris illius communis, quod ſemper juſtum & æquum eſt; finis juſtitiæ, imo finis totius Juriſprudentiæ, & proinde quoque Juriſconſulti, cujus omne ſtudium in eo verſari debet, ut quid juſtum, quid æquum ſit, inquirat non duntaxat, verum cognoſcat. Hoc ſenſu juris Sacerdotes appellantur, qui boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito ſecernen-

Digitized by Google

cernentes. Quamobrem egregie falluntur, qui univerſalem juſtitiam ab JCtis non conſiderari ajunt, & proinde definitionem juſtitiæ, quam Ulpianus tradit, ad particularem referunt. Verum perperam, & a mente JCti alienum, uti ex ipſa definitione ſatis apparet. *Conſtans* enim & *perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi* nihil aliud eſt, quam conſilium & propoſitum, ſive ut communiter volunt, animi habitus volentis cuique jus ſuum tribuere, id eſt, præſtare, facere & agere, quod vel leges naturæ ſive recta ratio, æquitas & honeſtas, vel leges civiles alteri præſtandum vel faciendum dictant vel jubent. Cujuſmodi præſtatio vel factum ſupponit antecedentem cognitionem & ſcientiam ejus, quod tribuendum alteri, cuique noſtrum, juxta leges vel morales ſive naturales vel civiles incumbit. Quamobrem JCtus hic juſtitiam definit univerſalem, quæ erga omnes leges naturales & civiles obedientiam, omneſque honeſtas actiones complectitur, eamque finem Jurisprudentiæ, & proinde a JCto imprimis conſiderandam oportere, cum Ulpiano dicendum nobis videtur. Quippe jus ſuum cuique tribuendi obligatio cuique, juxta juſtitiæ normam impoſita, tam ad naturales quam civiles referenda leges; quia definitur juſtitia, uti oportet cadere in virum juſtum; vir autem juſtus procul dubio dicitur, qui in omnibus jus ſuum cuique tribuit, id eſt, qui & tanquam membrum ſocietatis humanæ, quæ homini cum homine intercedit, & tanquam bonus civis & membrum ſocietatis civilis ea præſtare intendit, proximo & ſocio, quæ ipſi vel jure perfecto vel imperfecto, uti loqui amat Pufendorfius, debet, ſive juris naturalis ſive civilis vinculo devinctus eſt. Juſtitiam vero eſſe conſtantem & perpetuam voluntatem, recte dixit Ulpianus; quippe *vir juſtus & ſapiens ſententiam mutavit nunquam*, ut ait Cicero *pro Muræna.*

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Nec vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

 int

ut canit Horatius. Vir juſtus ubique ſibi ſimilis, habet firmam & immutabilem animi propenſionem, cupide ſemper volentis & inclinati ad ſuum cuique tribuendum, in quibuſvis negotiis in omni vitæ curſu, adeo ut nunquam ab hoc propoſito & conſilio, vel propter avaritiam, vel metum, vel voluptatem, aliiſque multis vitiis inquinatæ naturæ affectus a juſtitiæ tramite deflectere velit. Quippe juxta ea, quæ Ariſtoteles *lib.* 2. *Ethic. cap.* 3. *omnis actio, quæ moraliter bona, tunc demum ex habitu procedit, & virtutis nomen meretur, ſi ex ſcientia & proæreſi, & certo firmoque propoſito, & perpetua voluntate fiat.* Unde Cic. 1. *Offic.* *Hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium. Virtus enim & præcipuum morum momentum vertitur in propoſito; quo animo ſcil. aliquis quid gerat, ſuſcipiatque.* Recte Forcatulus *Comment. de juſt. & jur.* *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi, duplici conſideratione, ut ſcil. faciamus quod æquitati congruit, ſponte non coactione aliqua; & deinde ut jugiter id velimus, ne fatiſcamus in medio vel extremo. Videmus*, inquit Philoſophus Ariſt. 1. *Ethic. eam animi affectionem omnes juſtitiam dicere, qua res juſtas & facimus & cupimus facere firmiter & conſtanter.* Notandum autem hanc definitionem juſtitiæ, ab JCto traditam, non tam ad actionem, quam quidem ad firmam ſolidamque voluntatem, & propoſitum pertinere. Quamobrem nonnulli JCti, quorum in numero Hotomannus & Vultejus, perperam exiſtimant, propter vocabulum *conſtantiæ*, hic definiri divinam juſtitiam, quæ non cadere ſolet in hominem, qui ob lubricos, quos habet, affectus, & per imbecillitatem, & naturæ humanæ imperfectionem, ſæpe a juſtitiæ tramite aberrat & deflectit, adeoque non perpetuo & ſemper operatur ſecundum juſtitiæ normam & regulam. Quippe uti non infimi ſubſellii alii ſtatuunt JCti, licet ipſa actio, quæ ab homine proficiſcitur, nonnunquam a juſtitiæ tramite deflectat, attamen voluntas in homine poteſt eſſe conſtans & perpetua; in nullo enim aberrare & multoties labi, divinitatis magis quam mortalitatis eſt. Juſtus quamvis cadat ſepties uno die, juſti tamen nomen meretur, Sacræ Scripturæ teſtimonio,

Pro-

Digitized by Google

Proverb. 24. *v.* 16. Qui ſemel atque iterum peccat vel labitur, aut injuſte agit, non ſtatim injuſtus cenſeri debet, modo actionibus juſtis delectetur, ac doleat injuſtis, ac iterum emendare conetur, quod injuſte admiſſum, nec unquam propoſitum juſte agendi deponat. Vid. Ariſt. 2. *Ethic.* Recte Vir clariſſ. Paulus Voet *Comment. ad tit. Inſt. de juſt. & jur. Quicunque ſibi hunc virtutis habitum longo rerum uſu, juvante fideli inſtitutione vel praeceptis, acquiſivit, is talem dicitur nactus eſſe conſtantiam; qualis per imbecillitatem noſtram & humanae naturae imperfectionem in nos cadere poteſt.* Adeoque erit juſtitiae virtus in ſubjecto, ſecundum ejus ſubjecti conditionem; ut, licet vir juſtus aberret quandoque, non tamen propenſum illum animum abjiciat, tribuendo cuique quod ſuum eſt. Adeo ut perperam propter *conſtantiae* vocabulum quidam exiſtiment, hic divinam juſtitiam vel juſtitiam Deam definiri. Eodem modo Gellius *lib.* 17. *cap.* 5. quoque definit liberalitatem, quod ſit perpetuae benignitatis conſtantia. Et Cicer. 1. *de ll.* virtutem ait eſſe conſtantem & perpetuam rationem. Vide Senecam *epiſt.* 16. & 20. Juſtitia haec quamvis divina non ſit, tamen quid prohibet quod conſtans & perpetua non ſit? Enimvero, uti diſputat Joh. Viſcont. *comment. ad Inſt. de juſt. & jur.* appetitus ſenſibilis in nobis, quo vigemus, & ab aliis animantibus non ſecernimur, in fera eſt, at rationis ſuaſu feritatem exuit, & urbanos mores appetit, trahitque voluntatem, quae media eſt inter ſenſum ac rationem; & per ſe non operatur, adigitque eam mores juſtitiae acquirere. At vero licet diuturna conſuetudine appetitus noſter non ſecus ac fera manſuefacta juſtitiae habitum nanciſcatur; tamen cuſtode, id eſt, ratione eget, quae reſidet in arce mentis, ac dominatur non aliter atque fera beſtia, quae quantumvis occupata, domini cuſtodiam deſiderat. Igitur quemadmodum fera, etiamſi tantiſper diſcedat & in ſilvam redeat, dummodo revertendi conſuetudinem & animum non omnino abjiciat, nihilominus manſueta appellatur, juxta §. 15. *Inſt. de rer. diviſ.* Eodem modo appetitus quando per accidens aliquando a rationis ſemita recedit vel aberrat, nisi penitus juſtitiae conſuetudinem ab-

Digitized by Google

abjiciat, juſtitiæ habitum non amittit. Pro hujus veritatis probatione adducit ſtatim allegatus auctor Ariſtotelem, qui *lib.* I. *cap.* 9. *de mor.* diſcrimen conſtituit inter juſte agere, & per juſtitiam. Etenim, inquit, vir juſtus firmus eſt & conſtans, attamen ſi fortaſſis labatur, injuſte agit, ſed non per injuſtitiam. Sicuti e converſo vir injuſtus aliquando juſte agit, ſed non per juſtitiam. Conſequens igitur eſſe concludit, juſtitiam eſſe habitum firmum atque conſtantem in homine, neque pugnare, hominem eſſe & eſſe firmum, conſtantem & perpetuum. Objectum vero, circa quod juſtitia verſatur, quatenus ad ſocietatem humanam vel civilem refertur, eſt jus cujuſque ſuum. Finis autem, ut quiſque obtineat quod ſuum eſt, adeoque, ut cuique tribuatur quod ei debetur, ſive jure perfecto, ſive imperfecto: juſtitia enim, quam hic definiri ſtatuimus ab Ulpiano, non duntaxat exigit, ut cuique ſuum tribuatur, quod deſcendit ex pacto, conventione, contractu aliiſque negotiis, quæ mutuam obligationem producunt, qua alter alteri præſtare tenetur quod pacto conventum, & proinde actionem parit in foro ſoli, ſcil. in ſocietate civili; qua alter alterum in jure convenire poteſt ad ſibi tribuendum quod ſuum eſt, verum etiam juſtitia ab homine juſto exigit juſtam & conſtantem voluntatem tribuendi alteri quod ei debetur jure imperfecto, nulla conventione, nullo pacto vel contractu interveniente, verum quod jure humanæ ſocietatis, & cognationis naturalis & humanitatis dictante ratione alteri debet; ut hoc alibi latius diſputavimus. Juſtitiæ autem minus hoc proprium & quaſi inſigne, & ut quidam juris periti recte notarunt, *jus ſuum cuique tribuere*, per quod ab aliis virtutibus moralibus ſecernitur: juſtitia enim tota foras projecta eſt, ut ait Cicero, & in actionibus cum aliis ſpectatur. Quamobrem una omnium virtutum juſtitia, alienum bonum eſſe dicitur, quoniam non tam ad alteri ſuum tribuentem, quam cui tribuitur, pertinet. Hinc juſtitiam *ſacram rem* appellat Seneca *Epiſt.* III. quæ alienum bonum ſpectat. Cum foras ſpectat, & eſt fida ſpeculatrix alienæ utilitatis, juſtitia nominatur, ut inquit Apulejus *lib. de Philoſophia.* Poſſum mihi eſſe prudens, fortis,

Digitized by Google

fortis, modeſtus, temperans: at juſtitia niſi referatur ad alium, non erit virtus. Quamobrem nemo juſtus erit, niſi in alterum, tribuendo ei quod ſuum eſt, ſive perfecto ſive jure imperfecto; ſuum igitur dicendum mihi videtur, quod quis, jure naturali vel civili dictante, & exigente neceſſitate morali, proximo ſuo præſtare devinctus eſt. Quapropter etiam verſatur hæc juſtitia circa ea, quæ quis meritus eſt, quoniam juſtitia dictat cuique tribuendum & quod ipſe meruit, ſive præmio afficiendi ſunt boni, ſive pœna mali, uti de eo *in comment. in Grotium de jur. bell. & pac.* annotavimus, & proinde hic non repetemus. Quemadmodum itaque jus ſuum cuique tribuitur, vel in pœnis vel in præmiis, vel in contractibus & negotiis: ita quoque duo juſtitiæ genera: ſcil. altera juſtitia diſtributiva vel tributoria, altera commutativa, quæ in contractibus aliiſque id genus negotiis locum habet. De utroque genere in *dict.* noſtris *commentariis* latius egimus. Verum videtur juſtitia latius patere, quam eam definit JCtus. Quippe juſtitia etiam videtur quemque obligare, ut non duntaxat alteri, verum etiam ſibi ipſi tribuat quod ſibi debet; illud enim juſtitiæ quoque actum reſpicit. Verum optime ad hanc objectionem reſpondet Vir clariſſ. in hac Academia juris Anteceſſor florentiſſimus Paulus Voet *in comment. ad Inſt. h. t.* quod, licet fateri debeamus juſtitiæ virtutem ſuo modo ordinandam & referendam eſſe ad rectitudinem & perfectionem habentis, (quo ſenſu primum juris præceptum de *honeſte vivendo* accipi poteſt,) etiam conveniens ſit, juſtum eo ipſo, quod alteri ſuum tribuat, idoneum ſe præſtare ad hoc faciendum, ideoque ante ſibimet ipſi debitum tribuere naturale & legale. Quia tamen peculiaris verſatur difficultas in alterius jure conſervando, cum naturalius ſit quempiam ſibi, quam aliis prodeſſe; eapropter ille actus juſtitiæ expreſſus non eſt, non tamen altero excluſo, in quo exſerendo potiſſimum laboramus. Ameſ. *caſ. conſc. lib. 5. cap.* 2. Imo vero dum alteri tribuo quod ſuum eſt, etiam quod mihi ipſi debeo exſolvo; mihi enim ipſi debeo ut nunquam a juſtitiæ tramite recedam; quamobrem dum alteri tribuo jus ſuum, mihi quoque tribuo quod

 juſti-

Digitized by Google

juſtitia dictabat mihi ipſi tribuendum, ſcil. quatenus conſcientiam libero ab illa obligatione, qua quiſque tenetur alteri tribuere quod ſuum eſt. Præterquam quod recta ratio cuique dictat, ut ſibi conſulat, propriamque utilitatem abſque læſione proximi, quantum in ſe eſt, promoveat, hoc eſt, jus, quod quiſque dictante ratione naturali ſibi debet, tribuere; atqui dum alteri non tribuo quod ſuum eſt, viciſſim nec mihi tribuo quod meum; atque hac ratione mihi ipſi damnum infero, & proinde mihi non tribuo quod mihi ipſi debeo. Verum, uti paulo ante diſputavimus, juſtitiæ definitio, quam hic tradit JCtus noſter, maxime & principaliter hominem ſpectat, quatenus eſt membrum ſocietatis humanæ vel civilis, quam tueri & conſervare ipſi incumbit, & proinde potiſſimum reſpicit proximum ſive ſocium, cum quo in eadem civitate vivit, conſuetudinem habet, ſocietatemque colit. Et proinde dicitur juſtitia, uti ſtatim annotavimus, alienum bonum, quoniam magis ad alium pertinet; quamobrem in definitione ſubjicitur, *jus ſuum cuique tribuendi*, & ſic refertur magis ad alterum, cui jus ſuum tribuendum, quam ad tribuentem; atque hoc proprium munus & quaſi inſigne juſtitiæ eſt, per quod ab aliis virtutibus ſecernitur, adeo ut niſi ad alium referatur, juſtitia non poſſit dici virtus. Poſſum enim mihi eſſe prudens, fortis & modeſtus; at vero non juſtus, niſi alteri ſuum tribuam. Quod autem JCti definitio ad juſtitiam univerſalem referenda, ſatis mihi conſtare videtur ex tribus juris præceptis, quæ immediate, ut ita dicam, poſt definitionem enumerat, cum inquit:

Juris præcepta ſunt hæc: Honeſte vivere, Alterum non lædere, Jus ſuum cuique tribuere. Hæc tria juris præcepta ſunt rectæ rationis dictamina, quæ profluunt & dimanant ex primo illo naturali jure omnium animis divinitus impreſſo, & relicto naturæ etiam corruptæ, ut infelix homo, qui tam profundis ex ſummo integritatis gradu, in quem a Deo collocatus, præceps in omnium miſeriarum abyſſum ſua culpa deturbatus, obrutus eſt, haberet in colenda ſive humana ſive civili hac ſocietate aliquod lumen vel regulam & normam, quam ſequeretur, & vitæ tranſigendæ rationem ad eam compo-

poneret. Hæ enim ſunt nobis impreſſæ adhuc rectæ rationis, qua præditi ſumus, communes notitiæ, quibus mens noſtra judicat de bono & æquo, de civili honeſtate, quam in totius vitæ curſu obſervare nos decet, & de moribus formandis informant. Hanc naturæ legem eſſe rectam rationem, conſtantem & ſempiternam, atque in omnes diffuſam & ingenitam: quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, ut eleganter Cicero ſcribit. Quamobrem cum hæc juris principia omnium animis ingenita, videmus etiam Ethnicorum Imperatores ex notitiis naturalibus veluti fontibus tot leges promulgaſſe, quæ hiſce tribus præceptis tanquam baſi & fundamento innituntur, atque ad ea omnes humanæ conſtitutiones referendæ, facile perſpicientes, rationis lumine ducti, hiſce potiſſimum præceptis civilem ſocietatem conſervari poſſe, a qua ſingulorum membrorum, e quibus compoſita, quoque pendet ſalus atque beatitudo. Quomobrem eo omnes leges collimare oportet, ut hæc tria naturæ præcepta civibus ſint agendi & vivendi norma atque regula, a qua corruptæ & depravatæ naturæ ſtimulis ſeducti, ne deflectant cives vel ſubjecti, legumlatoribus incumbit providere condendo ejuſmodi leges & jura, quibus cives ad eorum obſervantiam impelluntur, atque invitantur; uti quoque in noſtro juris Corpore plurimæ ejuſmodi leges occurrunt. Primum autem locum obtinet præceptum *de honeſte vivendo*, quoniam adeo late patet, ut ſequentia duo complectatur, quatenus honeſte vivit, qui neminem lædit, vel jus ſuum cuique tribuit, imo vero ad omnes omnino hoc præceptum, leges ſive naturales ſive civiles applicare poteſt; adeoque hominem devincit, quocunque in ſtatu ſive naturali ſive civili collocatus eſt, ad obedientiam adverſus omnes leges, tam naturales quam civiles; quippe honeſte vivere, nihil aliud eſt, meo judicio, quam vivere juxta rationis dictamen, adeoque ut omnes, quæ a nobis proficiſcuntur, actiones conveniant cum eo, quod juſtum, quod rectum & quod decorum eſt; ad quem finem omnes leges tendunt, vel ſaltem referri debent. Rationis autem dictamen non tantum hominum actiones dirigit, quatenus eſt mem-

Digitized by Google

brum ſocietatis humanæ, verum etiam tanquam membrum ſocietatis civilis; quemadmodum itaque honeſte vivere dicitur, qui præſtat omnia, quæ in ſtatu naturali, in quo leges naturæ duntaxat vivendi & agendi norma & regula ſunt, facere quiſque dictante ratione tenetur, ita poſtquam mortales in civilem ſocietatem dictante ratione coaliti, etiam illud præceptum extendi oportet ad leges civiles, adeo ut ſi quis honeſte vivere dici mereatur, non duntaxat ad dictamen juris naturæ, verum etiam civilis vivendi & agendi rationem componere debeat. Hoc itaque præceptum comprehendit omnium legum, tam naturalium quam civilium, omnium officiorum, omnium virtutum obſervantiam & præſtationem; quippe honeſtum omnes virtutes complectitur, totamque καλοκαγαθίαν, ut docet Cicero 1. *Off.* ita ut honeſte vivere ſit ſecundum omnem virtutem vivere, quod virum bonum perficit. Attamen notandum, quamvis hoc præceptum adeo late pateat, ut duo ſequentia etiam complectatur, ſunt tamen ab invicem diſtincta; ita ut primum quidem præceptum ſpectet hominem in ordine ad ſe ipſum, adeoque id referendum ad illarum virtutum obſervantiam eaque officia præſtanda, quæ lex moralis exigit ab ipſo, quatenus ratione præditus ejus dictamini convenienter vitæ traducendæ rationem inſtituere debet; quod non eo ſenſu intelligendum, quaſi hoc præceptum hominem reſpiceret in ordine ad ſe ipſum in abſtracto, ut ita dicam, id eſt, nullo habito reſpectu ad proximum, cum quo ſibi intercedit ſocietas; minime vero reſpicit eo ſenſu hominem in ordine ad ſe ipſum, in quantum eum oportet eſſe bene diſpoſitum congruenter virtutibus, ut alterius promoveret bonum; quippe nunquam homo abſque relatione ad proximum tanquam membrum ejuſdem ſocietatis ſive humanæ ſive civilis conſiderari poteſt, ita ut etiam ſui ipſius conſervatio, quam unicuique tueri incumbit, dictante recta ratione ad eum finem tendat, ut ſemet ipſe conſervando communi ſocietati tuendæ, atque pariter ſingulorum membrorum utilitati promovendæ inſervire poſſet. Quemadmodum Medici eſt ſuæ conſulere naturæ per remedia congruentia, ut alterius naturæ prodeſſe queat; eandem

ob

Digitized by Google

ob rationem eſt officium hominis in ſocietate conſtituti, eum in modum propriæ naturæ conſulere, eique congruenter vivere ſecundum honeſtatem naturalem, ut aptus reddatur qui alteri præſtet auxilium, ne quemquam lædat; ut inquit Jctus, & olim Jur. Anteceſſor celeber. in Acad. Ultraject. *comment. in Inſt. h. t.* Licet enim, pergit, verum ſit hominem ordinari potiſſimum ad hominem, prout membrum eſt ſocietatis civilis, ſic tamen ordinari eum credendum eſt, ut etiam ſe ipſum reſpiciat, in quantum niſi primum vivat congruenter virtuti, inutile civitatis membrum ſit futurum, ne dicam quod juſtitiæ virtus, quam reſpiciunt juris præcepta, ſuo modo ordinetur ad perfectionem & rectitudinem habentis, ut aptior reddatur ad officia aliis exhibenda. Primarius itaque hujus præcepti finis eſt, ut quiſque a ſeipſo incipiat, ut legibus naturæ, & conſequenter etiam congruenter in ſocietate vivat, ut omnia, quæ jus naturæ dictat, officia, adimplere conetur, iiſque vitam congruenter inſtituat. Conſiſtit autem vitæ honeſtas tam in verbis, quam in factis, imo tam late patet, ut etiam omnes noſtræ cogitationes, ſermones & actiones comprehendat, quas ita inſtitui oportet, ut ſint rectæ rationi conſentaneæ, ne quid contra honeſtatem inconſulte, negligenter, aut temere cogitemus, dicamus vel agamus, ſed in omnibus vitæ actionibus non ſolum id quod licet, ſed id quod honeſtum eſt, ſpectemus, *l.* 197. *ff. de R. J. l.* 144. *eod.* Eo enim ipſo quod recta ratione ſumus prædití, qua potiſſimum brutis antecellimus, devincimur, ut omni tempore, loco, & quavis in conditione collocati, illud quod honeſtum, quod decorum, & proinde rectum, & juſtum, quippe hoc appellatione honeſtatis continetur, faciamus & ſequamur. Hoc juris vinculum nobis imponit humana natura, cujus particeps ſumus. Optime Cicero in *libris officiorum* inquit: *Nec vero illa parva vis eſt naturæ, quod unum hoc animal ſentit, quis ſit ordo, quid deceat in dictis factiſque, quis ſit modus. Itaque eorum ipſorum, quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis*

 pulchri-

Digitized by Google

pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis factiſque probat, cavetque, ne quid indecore effeminateque faciat. Tum in omnibus & opinionibus & factis, ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur & efficitur id, quod quærimus honeſtum. Quemadmodum *lib.* 3. *fin.* interpretatur honeſte vivere, eſſe cum virtute vivere. Hanc itaque vivendi rationem nobis primum præceptum non commendat duntaxat, verum enim præcipit, cum relatione ad ſocietatem, cujus quiſque noſtrum pars & membrum eſt. Honeſtatis apud bonos viros ea vis eſt, ut non modo quid liceat ſpectent, ſed magis quod honeſtum eſt, ſive in conjunctionibus, ſive in contractibus, omnibus negotiis, quæ in ſocietate civili inter homines peraguntur. Quamobrem etiam in jure ſæpiſſime honeſtatis habetur ratio, (quatenus ſcil. ne quid per turpitudinem civili ſocietati noceatur) propterea quæ turpiter & contra bonos mores fiunt, prohibentur & irrita jubentur. Hinc Modeſtinus in *l.* 42. *de rit. nupt.* ſemper in conjunctionibus non ſolum quid liceat conſiderandum eſt, ſed quod honeſtum eſt. Vid. *l.* 144. *l* 197. *de R. J. l.* 15. *ff. de condit. inſt.* Quamobrem turpes ſtipulationes, inſtitutiones, conventiones & contractus generaliter nullius ſunt momenti, *l.* 26. *l.* 61. *l.* 123. *de verb. obl.* Quemadmodum nec pacta, quæ occaſionem præbent ad delinquendum, ut ne de dolo, at delicto futuro agatur, valent, verum a jure improbata, *l.* 23. *ff. de R. J. l.* 3. *§. ult. ff. pro ſocio. l.* 7. *l.* 27. *ff. de pact.* Adeo ut qui honeſtatem negligunt, ii multis in caſibus pœnam infamiæ ſubire debeant, *tot. tit. ff. de his qui notant. infam.* & *tit. Cod. ex quib. cauſ. inf. irrog.* ita ut in ſocietate civili leges civiles maxime quoque honeſtatem reſpiciant, & uti patet, non legum duntaxat naturalium, verum quoque juris civilis objectum eſt, & proinde quoque finis, quem in ferendis legibus, & jure condendo legumlatores potiſſimum quoque reſpicere oportet. Duo poſtrema præcepta magis reſpectiva ſunt, ut ita dicam, & vel in omittendo ſive non faciendo, vel in committendo ſive faciendo conſiſtunt, quamobrem illud negative, hoc poſitive conceptum eſt. Prohibet ſecundum præceptum ne quis alterum

rum lædat, non modo in corpore, verum etiam in facultatibus, ſive bonis & fama, eam lacerando, vel minuendo, quoniam homo natus ſit ad ſocietatem colendam & tuendam, ipſa dictat ratio abſtinendum ab injuriis, adeoque neminem lædendum; hac enim ratione diſtrahitur ſocietas. Quamobrem Tullius, hominem naturæ obedientem, id eſt, juxta dictamen rectæ rationis, ſive juris naturalis præcepta vitam ducentem, homini nocere non poſſe. *Atque ſi etiam*, inquit, *hoc natura præſcribit, ut homo homini quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quod is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam, omnium utilitatem eſſe communem. Quod ſi ita eſt, una continemur omnes & eadem lege naturæ; idque ipſum ſi ita eſt, certe violare alterum lege naturæ prohibemur.* Verum non duntaxat ſocietatem, verum etiam cognationem inter homines conſtituiſſe naturam, docet nos JCtus Florentinus *h. t.* quamobrem dictante natura hominem homini inſidiari ſive damnum inferre ſummum eſſe nefas. Eleganter Seneca inquit, *Ep.* 95. *Ecce altera quæſtio, quomodo hominibus ſit utendum. Quid agimus? Quæ damus præcepta? Ut parcatur ſanguini humano, quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cum eſuriente panem ſuum dividat? Quando omnia, quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam, cum poſſim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt. Membra ſumus corporis magni. Natura nos ut cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem nos gigneret. Hæc nobis indidit amorem mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum juſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere quam lædi: & illius imperio paratæ ſunt ad juvandum manus.* Unde & illa naturæ juſtiſſima vox prodiit, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* quippe non læditur alter, ſi id, quod nobis fieri nolumus, alteri quoque non faciamus; fere in hoc ſumma juſtitia conſiſtit. Huc pertinet illud Salvatoris præceptum, quod, teſte Lampridio, Hadrianus Imp. maxime fecit: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos illis fa-*

Digitized by Google

facite. Quo fundamento nititur *tit. ff. Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.* Atque hoc præcepto innituntur plurimæ per univerſum Corpus ſparſæ leges, quæ ad eum finem collimant, ne alter per alterum lædatur, vel damnum patiatur. Hinc *l. 74. & 75. ff. de R. J.* vetitum, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, vel quis in alterius injuriam conſilium ſuum mutet, neque alieno facto jus alterius immutetur, *l. 6. ff. quemad. ſerv. amitt.* Quamobrem nemo locupletari debet cum alterius jactura & detrimento, *l. 206. de R. J.* Et hoc quidem jure naturæ æquum eſt, id dictat recta ratio, ex qua dimanat præceptum ne alterum lædamus, & proinde æquitati repugnat, ut quis locupletaretur cum alterius jactura & detrimento, & hac ratione alter ab altero læſionem pateretur. Quod tamen cum limitatione intelligendum; omnis quidem læſio prohibita ſcil. quæ nullo fit jure, verum alterum lædere haud vetitum, ſi quis ſui defenſionem ſuſcipiat, & nulla ſit alia ratio expediendæ ſalutis, niſi cum detrimento alterius. Primum juſtitiæ munus eſſe, ait Cicero 1. *Offic.* ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria. Vim enim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt. Vid. *comment. in Grot. de jur. bel. & pac.* ubi hanc materiam ſatis late tractavimus. Verum quamvis hoc præceptum videatur duntaxat alterum reſpicere, nihil tamen obſtat, quo minus etiam referatur ad ſe ipſum; quippe ſi vetatur ſocium lædere, multo magis ſemetipſum lædere prohibetur; proximus enim quiſque ſibi, charitas bene ordinata a ſe ipſo incipere debet; arctiori enim vinculo neceſſitudinis homo ſibi jure naturæ devincitur atque alligatur, quam ſocio, *l. 3. h. t.* & *arg. l. 6. Cod. de ſervit. & aqua.* Quamobrem & in jure ſui homicidium prohibitum, nec impune quis ſeipſum lædit, vetante & jure naturali, & civili. Quippe cum lex naturæ cuique commendat conſervationem ſui, eo ipſo prohibet ne ſe ipſum lædat, vel ſibi noceat, hac ratione nititur quod dicitur in *l. 13. ff. ad L. Aquil. neminem ſuorum membrorum dominum videri.* Quamobrem non valet conventio, per quam ad manus, vel alterius membri amputationem, vel ad corporalem

de-

Digitized by Google

detentionem, vel etiam ad incarcerationem quis ſe obligat, ſi debitum non ſolvatur, ut J&ti ſtatuunt, quorum in numero Guid. Papa *in Deciſ. Grabanopol. quæſt.* 278. Covarruv. *lib.* 2. *var. reſolut. cap.* 1. Tiraquell. *de pœnis cauſa* 41. Quod tamen quoad carcerem vix ſubſiſtere putant, propterea quod non ſolvens incarceratur, etſi inter contrahentes id actum non fuerit, *l.* 1. *Cod. qui bonis ced. poſſ.* Gail. *lib.* 2. *de pace publ. n.* 7. Verum quoad manus vel aliorum membrorum læſionem haud dubie procedit, dominium, quod quiſque in ſemetipſum habet, non tam late patet; quod facile conſtabit ex iis, quæ de ſocietate colenda, ad quam tuendam nati ſumus, *ſupr.* annotavimus. Quippe non nobis ſolum nati ſumus, verum etiam ut patriæ, & ſocietati, cujus membrum quiſque eſt, tuendæ inſerviamus; & proinde cuique incumbit ſemetipſum conſervare, ut utile ſocietatis membrum exiſtat; præterquam quod in ſtatu civili liberi cujuſque hominis & civis corpus ad Rempub pertinere dicendum, cujus eſt de civium ſuorum corporibus, membris & fortunis pro arbitrio diſponere. Nam ideo lex dicitur dominus & perſonarum & rerum omnium, quæ ſunt in Repub. *l.* 1. *ff. de ll.* ut differit Ant. Faber *in comment. ad l.* 13. *ff. ad l. Aquil.* Neque obſtat *l.* 9. *§.* 7. *ff. de pecul.* ubi aſſeritur, quod *licet ſervis naturaliter in ſuum corpus ſævire: naturaliter* enim ibidem non ſignificat jus naturæ, quaſi ſervo liceret jure naturali in corpus ſuum ſævire; neutiquam ſane, jus naturæ nullam agnoſcit inter hominem liberum & ſervum differentiam: natura enim omnes liberi ſumus, quamobrem contra naturam, id eſt, naturalem hominis conditionem & ſtatum ſervitus introducta, quamvis non contra naturalem æquitatem. Conditio ergo illa adventitia, ut ita dicam, non mutat ſtatum naturalem, id eſt, non liberat ſervum ab illa obligatione naturali, quatenus homo eſt rationis capax, leges naturæ obſervare, & dictamini rectæ rationis obtemperare, quæ vetat, ne quis ſibi noceat, vel in corpus ſuum ſæviat; adeoque nec ſervis majorem licentiam in corpus ſuum ſæviendi natura ſive jus naturæ concedit atque homini libero. Ambo tanquam ejuſdem conditionis & ſtatus participes, eo-

dem juris vinculo ad juris naturæ obſervantiam deviinciuntur. Per naturam igitur intelligimus pravam aliquam inclinationem, vel ductum & impetum pravæ naturæ humanæ in brutalem degenerantis, quo ſervi, ut dominos fraudarent pretio, apud Romanos ſibi violentas inferebant manus. Itaque neque jure naturali, neque civili licet in ſemetipſum ſævire ſervo; vox itaque *licet* non hic ſignificat facultatem, ſive jus quod alicui competit ad aliquid juſte agendum vel faciendum, verum, ut inquit Gloſſ. permittitur hoc, ut dominus damnum ſibi inflictum propter hoc non poſſit deducere de peculio: non autem licet de jure naturali vel civili, *l.* 23. *§.* 7. *ff. de Ædil. edict.* imo vero punitur, *l.* 6. *§.* 7. *ff. de re milit.* De tertio juris præcepto dictum in definitione juſtitiæ. Verum non tam late hæc verba, *jus ſuum cuique tribuere*, quam in definitione juſtitiæ accipienda monet Hahn. *ad Weſemb. ff. h. n.* 10. Quippe, ut inquit Feltman *in comment. ad h. t.* cum cætera duobus prioribus præceptis comprehendantur, quæ ad juſtitiam univerſalem, idque membrum particularis, quæ in criminum coërcitione conſiſtit, pertinent, hic id JCtus vult cuique tribui, quod ei debetur ex legibus juſtitiæ expletricis, atque adeo cuique ſuum jus, quod in perſonas, aut in re, vel ad rem habet, tribuendum eſſe, *l.* 31. *ff. depoſiti.* Vid. *comment. ad Grot. de jur. bel. & pac. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. Poſtquam nobis tradidit JCtus juris præcepta, ad Jurisprudentiæ definitionem deſcribendam procedit, nec inverſo ordine; etenim juriſprudentia etiam verſatur circa eadem præcepta, quæ juri operam daturum maxime noſſe oportet. Quippe cum JCti juriſprudentiam ſive ſcientiam juſtitiæ exequendæ cauſa profitentur, ideo ejus definitio ſubjicienda erat, quæ a partibus ſumpta eſt, inquit Mæſtertius; juriſprudentia enim docet, quomodo jus cognoſcamus, ſcil. quomodo judicare atque diſcernere poſſimus, utrum cauſa, quæ in controverſiam venit, æqua ſit vel iniqua, quidquid juris cuique tribuendum, ne recedamus in judicando ab eo quod æquum, juſtum atque rectum eſt, atque hac ratione cuique jus ſuum tribuatur, nemo lædatur.

Juriſprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia,

Digitized by Google

tia, juſti atque injuſti ſcientia. Perperam mentem Jcti interpretari mihi videntur, qui nimis anguſtis hanc definitionem cancellis circumſcribunt, quaſi juriſprudentia, quæ hic deſcribitur, tantum conſiſteret in nuda divinarum atque humanarum rerum notitia, & injuſti atque juſti ſcientia; adeoque magis ſpeculativa, quam activa, ut ita dicam. Neutiquam ſane; juriſprudentia non acquieſcit in juſti atque injuſti, æqui ac iniqui ſcientia atque cognitione, verum prætcrea ſollicita eſt, ut in negotiis & actibus civilibus, quid æquum, quid iniquum, diſcernat, de eo reſpondeat, ac ſuum cuique tribuat, ut inquit Eckholt. *comment. ad h. t.* Conſiſtit itaque potiſſimum in applicatione juris ad negotia civilia, id eſt, in legibus ſcriptis dextre interpretandis, & ad ſingulares factorum ſpecies accommodandis, quod maxime incumbit Jctis ſive juriſperitis. Hæc definitio potiſſimum huc ſpectare nobis videtur. Quamobrem nonnulli juriſprudentiam hic deſcribi dicunt doctrinaliter, quod ſit prudentia judiciaria recte interpretandi & applicandi jus ad negotia civilia, nec confundenda cum prudentia legiſlatoria, nec cum deliberativa, nec cum prudentia judiciaria, quæ conſiſtit in jure ſecundum leges præſcriptas reddendo, quæque judici ineſſe dicitur. Vid. Frantzium *comment. ad h. t.* Quamvis enim, uti cuivis notum, Jcti dicantur juris auctores & conditores, *l.* 2. *§.* 13. *ff. de orig. jur. l.* 23. *de procur. l.* 25. *Cod. de nupt.* Id non intelligendum monent ratione conſtitutionis, verum ratione interpretationis, *l.* 2. *§.* 5. 13. 35. *ff. de orig. jur.* & compoſitionis. Juriſprudentia, quam hic definit Jctus, omiſſis tot diſtinctionibus, a quibuſdam DD. excogitatis, potiſſimum conſiſtit, ut diximus, in legibus dextre interpretandis & ad caſus ſingulares accommodandis; hinc non perperam juriſprudentia ſive juris ſcientia practica appellari poteſt, in quantum non in nuda meditatione conſiſtit, verum ad facta & caſus, qui poſſunt quandoque incidere, applicatur & accommodatur. Hinc juriſprudentiam alii definiunt, quod ſit *habitus practicus, leges a Magiſtratu latas dextre interpretandi, & actionibus civium convenienter applicandi.* Et ſane nullum juriſprudentia in civitate haberet

 uſum,

uſum, & commodum inde ſentirent cives; niſi ad civilia applicaretur negotia hominumque facta; ejuſmodi itaque interpretatio & ad factum commoda applicatio finis debet eſſe juriſprudentiæ, quamobrem Lauterbach. *ad h. t.* *Fluit juriſprudentia ex accurata juris cognitione, & practica ejuſdem exercitatione.* Quoniam vero juriſprudentia non ſolum verſatur circa res humanas, verum etiam divinas, dicitur *rerum divinarum & humanarum notitia*: ſcil. quatenus res divinæ & humanæ ita ſunt comparatæ, ut de iis leges ferri poſſint, illiſque applicari, adeoque a legiſlatoris imperio & poteſtate dependet eas ordinare & dirigere, uti juſtitia & Reip. ſalus atque utilitas efflagitat. Quæ cum in foro ſoli tantum ſibi locum vindicare poteſt, ſcil. quatenus dirigit actus externos, qui ab homine proficiſcuntur, ut cum eo fine conveniant, recte obſervat Joach. Hoppius *comment. ad Inſt. tit. de juſt. & jur.* actus hominis internos, utpote cogitationes, ad jus non pertinere, *arg. l.* 18. *ff. de pœn.* cum *ll.* iis applicari nequeant: & quamvis etiam quandoque cogitationes in jure noſtro puniri dicantur, ut in *l. 6. Cod. ad L. Jul. Majeſt.* hoc tamen non de meris cogitationibus, verum quatenus ad actus exteriores progrediuntur, accipiendum, ut innuit ipſa *l. 6. verb. atque tractatu.* Quippe, ut inquit Brunnemannus ad *h. l.* per nudam cogitationem atque tractatum, quorum textus meminit, merito actus aliquis extrinſecus intelligitur pari ratione, ut inquit ſtatim allegatus auctor, nec res divinæ, quod ad cultum internum, huc ſpectant, cum credendi neceſſitas poſſit nemini imponi: quod ad cultum vero externum utique, ut ſcil. omnia ordine & decenter fiant in Eccleſia, ut circa res ſacras juſtitia legitimo modo adminiſtretur, ut denique Deo quod ſuum eſt, ſeu quod ipſi externe debetur, tribuatur. Quinimo etiam ea, quæ ad cultum internum pertinent, eatenus ad juriſprudentiam pertinent, quatenus actibus externis expediuntur: unde ſi quis ea, quæ animo credit, publice doceat, & ex nova illa doctrina tumultus & ſeditiones metuuntur in Repub. omnino modum docendi circumſcribere poterit Princeps, ne hoc vel illud doceatur, ſeu de hac vel illa re diſputetur, vel, ut alibi diximus, perni-

niciofa cultui divino & receptæ religioni dogmata ſpargantur & in vulgus diſſeminentur, quæ tranquillitatem perturbarent, penitus prohibere, quemadmodum latius demonſtravimus alibi. Humanæ poteſtatis partes conſiſtunt in tuenda & procuranda ſalute & utilitate Reipub. ita quoque ei, qui ſummæ rerum præeſt, incumbit cura religionis & cultus divini, ut ſcil. recte inſtituatur & exerceatur. Unde Diogenes Pythagoricus apud Stobæum *Serm.* 96. *Neceſſe eſt, perfectum Regem Imperatorem eſſe ſtrenuum & Judicem & Sacerdotem*, uti id latius diſputavimus in *diſſertatione* noſtra peculiari, *de ortu & interitu imperii Romani*. Complectitur itaque ſummum imperium poteſtatem leges ferendi, tam circa res divinas quam humanas, ut omnia in ſacris peragendis juſto & legitimo ordine fiant, & ſecundum leges, circa res divinas, jura reddantur, exerceantur actiones, ſacrorum violatores & contemptores puniantur, vid. *tit. Cod. de ſumm. Trinit.* Ab ipſo enim fere mundi primordio ſacra curare atque ordinare, etiam antequam homines in ſocietates civiles coaluiſſent, adeoque cum in ſingulas familias diviſum erat mortale genus, ad patremfamilias, tanquam familiæ caput & principem pertinuiſſe, alibi late demonſtravimus; poſtquam vero in civitatem coaluerunt, pariter cum ſummo imperio ſacrorum curam contuliſſe in eum, quem ſocietati tuendæ præfecerunt, ibidem annotavimus. vide *Diſſertat. de ortu & interitu imperii Romani*: uti quoque *Diſſert. de ſanctitate ſummi imperii civilis*. Quamobrem merito imperantibus cura demandata cenſeri debet, non ſolum terreſtrium, ſed & cœleſtium bonorum copiam & affluentiam civibus procurare. Hinc optime Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 9. *Omnia*, inquit, *poſt religionem ponenda ſemper noſtra civitas duxit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluit. Quapropter non dubitaverunt ſacris imperia ſervire.* Hinc & olim penes Reges Cæſareſque, florente Romano imperio, ſuprema ſemper fuit poteſtas & ſacrorum ordinandorum, & religionis cura, quamobrem & Pontifices Maximi. Uti & Moſes & religionis & divini cultus ordinationi invigilare debuit, cæterique Reges. Quatenus itaque in ſocietate civili Religio ſuos maximos habet ef-

fectus, ejus cura a civili poteſtate ſeparari nequit. Quam late itaque patet poteſtas de rebus ſacris ſtatuendi, quæ apud Principem reſidet, vel eum, qui in Repub. ſummum gerit Magiſtratum, eouſque ſeſe extendit divinarum rerum notitia, ſive juriſprudentia, adeo ut qui illam profiteri, eique addiſcendæ operam dare velit, exactam ſibi earum legum comparare non duntaxat ſtudeat ſcientiam & notitiam, verum & juriſprudentiam ſibi acquirere ſumma ope nitatur, & ut vis ac poteſtas LL. ad factum & negotia, bene ponderatis omnibus circumſtantiis, applicetur, ſeſe reddat idoneum. Utriuſque juris priſcos prudentes peritos fuiſſe cuivis notum, atque ob ea periti paſſim commendantur. Sic Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 8. teſtatur de Scævola, eum bene ac diu jura civium & cæremonias Deorum ordinaſſe. Uti quoque Titium Manlium juris civilis & ſacrorum Pontificalium peritiſſimum fuiſſe ſcribit, *lib.* 5. *cap.* 8. Sic quoque Coccejum Nervam humani divinique juris ſcientem appellat Tacitus *lib.* 5. *annal.* uti quoque Atejum Capitonem *lib.* 3. *annal.* Et Gellius eum publici privatique juris peritiſſimum fuiſſe tradit, *lib.* 10. *cap.* 10. Idem Draconem Athenienſem juris divini & humani peritum fuiſſe teſtatur, *lib.* 11. *cap.* 18. de Domitio Scævola idem ſcribit Vellejus Paterculus. Olim vero ſacrarum rerum cognitio in Romana Repub. apud collegium Pontificum fuit, qui non modo decernebant, quibus hoſtiis, quo die & quo ritu, a quibus, & in quo templo ſacra peragenda, verum etiam de jure reſpondendi facultatem tum temporis habebant. Vid. *comment. in Hiſt. Pomponii de orig. jur. l.* 2. *§.* 6. Non ſuo ſive jure proprio, verum conceſſione Numæ, qui maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinebant, curam & judicium iis commiſit. Verum nulla mihi ratio videtur obſtare, cur definitionem Juriſprudentiæ, quatenus dicitur rerum divinarum notitia, adeoque res divinas, quæ etiam ſunt objectum & finis juriſprudentiæ, non referremus ad ea, quæ ſunt juris naturalis ſive moralis, unde dimanant illa tria juris præcepta, quæ definitionem Juriſprudentiæ præcedunt, & quibus tanquam baſi & fundamento niti oportet univerſam juriſprudentiam; jus enim morale ſive naturale pro-

profluit ex ſanctitate divina, recte quoque venit appellatione juris divini neceſſarii, & proinde Juriſprudentia quatenus conſiſtit in notitia juris naturalis, illud ad facta & negotia, quæ peraguntur in ſocietate civili, applicat; recte rerum divinarum vocatur notitia. Cujuſmodi interpretatio non mihi videtur aliena a mente JCti, ſi conferatur cum iis, quæ prædicat *l. 1. h.t.* de JCtis, ſive qui juri operam dare animum induxerunt, qui æqui & boni notitiam profitentur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, veram Philoſophiam affectantes. Per veram Philoſophiam intelligimus jus morale ſive naturale, ex divina ſanctitate dimanans, & propter divinæ imaginis communicationem cordibus hominum inſcriptum, ſive rectæ rationi, qua præditi ſumus, impreſſum; quod & jus divinum neceſſarium vocamus. Adeoque quatenus juris periti hanc Philoſophiam moralem excolunt, eamque profitentur, atque ad uſum applicant, recte Juriſprudentia rerum divinarum ſcientia vocatur. Hoc ſenſu Juriſprudentia ſæpe appellatur ſapientia, quia pro objecto habet jus morale ſive naturale, & vero illa non ſimulata Philoſophia tanquam baſi & fundamento innititur, & eatenus res ſanctiſſima civilis ſapientia dicitur *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.* ſacra Philoſophia. Hinc JCti Sacerdotes, Sophi, Cati, Sapientes dicuntur; vid. *l. 2. ff. de orig. jur.* Unde apud Ennium: *Egregie cordatus homo, catus Ælius Sextus.* Sapientes, quia veram & non ſimulatam Philoſophiam profitentur, id eſt, juris divini ſive moralis ſcientia præditi, cujuſmodi juriſprudentia vera eſt philoſophia, uti diximus, & divinarum atque humanarum rerum ſapientia; uti eam Philoſophi veteres definierunt, teſte Tullio *lib. 2. Off.* Complectitur autem hæc Philoſophia omnes virtutes, officia, quæ lex naturalis ſive moralis, ſeu jus divinum neceſſarium alteri ab altero præſtandum dictat, adeoque juſte & honeſte vivendi diſciplinam continet. Quatenus itaque lex moralis ſive naturalis etiam finis eſt Juriſprudentiæ, recte eam definit JCtus *rerum divinarum notitiam*; additur *humanarum*. Per res humanas intelligimus negotia civilia, quæ ad cujuſque civitatis ſive Reipub. ſtatum pertinent, ſive ea ad univerſæ

Reipub. commodum, utilitatem atque tranquillitatem tuendam atque conſervandam, ſive privatorum hominum inter ſe tractanda commercia, contractus celebrandos, aliaque id genus negotia peragenda ſpectent. Quæ omnia jus humanum dirigit, ut juxta juſtitiæ normam & regulam perficiantur. Huc ſpectant tot leges, tot conſtitutiones Principum, quæ ſubjectis regulam & normam agendi præſcribunt, quam in omnibus negotiis peragendis, pactis, conventionibus, contractibus, commerciiſque obſervare neceſſum habent, ne a juſtitiæ tramite deflectant. Harum legum & conſtitutionum notitia haud fugere eum oportet, qui juriſprudentiam profitetur; qui enim de jure reſpondere, & ad negotia jura applicare poſſet, qui non exactam ejus juris habet notitiam, quod ad factum & præſens negotium applicari debet, ut conſtare poſſit, quid jura quid dictant leges obſervandum. Hoc ſenſu Juriſprudentia dicitur *juſti atque injuſti ſcientia*; ſcil. ejus, quod jura, quod leges ſanciunt, quod jubent, & vetant, ſcientia; juſtum enim, quod cum legibus convenit, nefas autem & injuſtum, quicquid jura vetant ac prohibent. Hinc juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo, licitum ab illicito ſeparare dicuntur Juris periti. Siquidem J℞ti officium & prudentia in eo potiſſimum conſiſtit, ut in quibuſvis caſibus emergentibus, quid æquum, quid iniquum ſit, videat, tum diſcernat, ut de eo reſpondere conſulentibus, & ad caſum, de quo quæritur, applicare poſſit. *Eſt itaque*, ut inquit Feltman, in Groeningana Academia olim Anteceſſor primarius, *juſti atque injuſti ſcientia habitus practicus, quo vim ac poteſtatem legum tenemus, l. 17. ff. de ll. & novimus quid in omnibus rebus juſtum, id eſt, juri, ejuſque præceptis ſit conveniens, & injuſtum, quod ab his diſcrepat, & quidem ſcire, id eſt, per cauſas hoc cognoſcere debeamus, unde non modo legum, verum & morum, etiamque omnis humanioris literaturæ,* & *Latinæ linguæ non tantum, ſed & Philoſophiæ nos oportet eſſe ſtudioſos, qua & olim veteres JCtos animum imbuiſſe paſſim eorum reſponſa, omnis generis doctrina referta, teſtantur. Ex quibus*, ut inquit Poletus *Hiſtor. for. Rom. tanquam ex quodam promptuario abunde depromi poſſunt, quæ*

Digitized by Google

ad rem œconomicam, forenſem & politicam pertinent, quæ etiam illuſtrata & veluti ſale condita ſunt ſententiis & auctoritatibus Philoſophorum, Medicorum, Oratorum, Poëtarum: nam Solonem, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Chryſippum, Hippocratem, Homerum, Demoſthenem, Ciceronem, & alios principes viros fere nominant. Verum, inquit ſtatim allegatus JCtus & Anteceſſor, *nunc melius plebeji juris Profeſſores & cauſidici, dicaceſque Cerberi, putant ſe excellere juris ſcientia, quando omnis eruditionis, omniſque Philoſophiæ fuerint expertes, idque palam quoque præ ſe tulerint. Itaque*, pergit, *in puſillos ejuſmodi juris interpretes, qui cum aliter nequeant, tamen ſuo faſtu majorem famam ſæpe habent, quam merentur, lubet ludere:*

Stoica depromſit felici dogmata niſu
Tubero, Romuleæ lauſque decuſque togæ.
Quin bis ſex tabulas perfudit luminis aurâ;
Et reſponſa dedit clarus uterque foro.
I nunc qui Sophien temnis chartaſque Sophorum:
Cerneque num Themidos templa ſubire queas.

Lex XI.

Jus pluribus modis dicitur. uno modo cum id, quod ſemper æquum ac bonum eſt, jus dicitur: ut eſt jus naturale. altero modo, quod omnibus, aut pluribus, in quaque civitate utile eſt: ut eſt jus civile. nec minus jus recte appellatur in civitate noſtra jus honorarium. Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione ſcilicet facta non ad id, quod ita Prætor fecit, ſed ad illud, quod Prætorem facere convenit. alia ſignificatione jus dicitur

Digitized by Google

locus, in quo jus redditur: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo, ubi fit. quem locum determinare modo hoc poſſumus: ubicunque Prætor ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum, jus dicere conſtituit, is locus recte jus appellatur.

Jus pluribus modis dicitur; uno, cum id quod ſemper bonum ac æquum eſt, jus dicitur; ut eſt jus naturale. Jus eſt ex eorum numero, ut inquit Forcatulus, quæ Græci ὁμώνυμα vocant, & variam interpretationem, ac ut ajunt, æquivocam recipiunt, ſed tamen certitudinem habent, ut differant ab oratione ambigua incertæ ſignificationis. Jus in genere ſignificat id quod rectum & bonum eſt, Græcis δίκη. *Eſt* (inquit Donatus) *quod omnia recta & inflexibilia exigit.* Terentius Heaut. 4. 1. 29.

> *Quid cum illis agas, qui neque jus neque bonum*
> *Atque æquum faciunt.*

Jus bonum. Plaut. *Moſtel.* 8. Jus omne id, quod cum legibus ſive naturalibus, ſive civilibus, ſive moribus convenit, & propter illam convenientiam recte bonum, juſtum & æquum, quicquid juris nomine venit: eſt enim jus ars boni & æqui, ut ſupra Ulpianus in *l.* 1. jus definit, ab æquitate jus recedere non oportet, quin in injuriam degeneraret, uti annotavimus. Verum jus reſpectu originis, unde dimanat, plures admittit ſignificationes, ſive pluribus modis jus appellatur. Uno modo, cum id, quod ſemper bonum & æquum eſt, jus dicitur, ut eſt jus naturale, ſive morale vel divinum neceſſarium, quod ex ipſa Dei ſanctitate, quæ omnis mutationis expers, profluit, & propter divinæ imaginis communicationem hominum mentibus inſcriptum, nullam admittens diſpenſationem, nullamque patitur mutationem, verum ſemper & ubique bonum, juſtum, rectum atque æquum eſt. Quare autem noſter JCtus dicat,

dicat, ſemper eſſe bonum & æquum hoc jus, prædixit olim eleganter Cicero & pene divina voce, ut inquit Lactantius *de vero cultu cap.* 8. cum inquit in *lib.* 3. *de Repub. Vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut vetat, neque improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi*, inquit, *nec propagari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus: neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex & ſempiterna & immutabilis continebit: unuſque erit cummunis quaſi magiſter & Imperator omnium Deus: ille legis hujus inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Hoc jus illud eſt, quod non hominum opinione, ſed æternæ ſapientiæ beneficio mentibus noſtris inſcriptum eſt, ut alibi Cicero *de ll.* & ni fallor, *lib.* 2. loquitur. Vid. *comment. in Grot. de jur. bel. & pac. lib.* 1. *cap.* 1. ubi hanc materiam late tractavimus, adeoque non opus ut hic repetamus.

Altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaque civitate utile eſt, ut eſt jus civile. De jure civili, quod cujuſque civitatis proprium eſt, egimus ad *lib.* 6. & 7. quod, quamvis a jure naturali non omnino recedat, attamen ei per omnia non ſervit, quatenus ad præſentem Reipub. vel civitatis ſtatum accommodari & applicari debet, ſæpius mutationem patitur, prout civium ſalus & utilitas exigit; cum autem res humanæ, & proinde quoque ea, quæ inter homines peraguntur, negotia, variis mutationibus obnoxia, ita quoque jus civile, quod ea dirigit atque moderatur, ut cum juſtitia & æquitate conveniant, ſæpius mutari, pro temporum & rerum circumſtantiis, ut ita dicam, oportet, & proinde in eo maxime differt jus civile a jure naturali, quod ſemper vim habet eandem, ſemper æquum & bonum, nullamque in theſi muta-

 tionem

Digitized by Google

tionem patitur. Quamvis in eo conveniat, ut æque ac jus naturale jus legitimum ſive civile, ſemper æquitatis ratione uti debeat; eſt enim jus civile æquitas civibus præſcripta, ad res obtinendas & conſervandas, ut inquit Cicero, *in Topic.* attamen non omni tempore, nec in omni caſu eadem æquitas obſervari poteſt, verum mutato tempore & caſu, jus quoque mutandum, quoties ad præſens tempus & caſum, qui quandoque poteſt incidere, ſi idem jus applicaretur, iniquum foret, & æquitate deſtitueretur. Jus civile ſemper quidem bonum & æquum eſſe oportet; hac enim deſtitutum, haud juris nomine appellandum, verum in humanis negotiis, circa quæ dirigenda verſatur, propter earundem varietatem & inconſtantiam, non eædem juris conſtitutiones eædem leges, eadem æquitate niti poſſunt, adeoque ut ſemper æquum ac bonum ſit, ſæpius debet mutari. Jus naturale per ſe & ſua natura æquum & bonum eſt. Jus civile per diſpoſitionem hominis, quoties per voluntatem humanam ſive legiſlatoris ad æquitatis rationem accommodatur & componitur; æquitatis ratio quidem ſemper eadem & immutabilis, & conſtans; verum applicatio juris civilis ut æquum ſit, dependet a voluntate ſive diſpoſitione hominis, &, uti diximus, pro caſuum & negotiorum, circa quæ jus humanum ſive civile & voluntarium verſatur, non adeo conſtans, ſed ſæpe mutari debet, ut id, quod æquum & bonum eſt, obtineatur.

Nec minus jus recte dicitur in civitate noſtra jus Honorarium. De jure Honorario, quod & jus Prætorium appellatur, a Prætoribus adjuvandi, vel ſupplendi vel corrigendi juris civilis gratia introductum, egimus ad *l.* 8. *h. t.* uti quoque ad *l.* 2. § 10. *de orig. jur.* ab honore Prætorum. Honorarium nuncupatum autumat Papinianus; quia videlicet ad honorem Prætoris veniſſet, ut ait Pomponius *l.* 2. §. 10. *de orig. jur.* Forte ita nuncupatum, quoniam in honorem Prætoris, illud ſancientis, ut legis obtineret auctoritatem, ſit receptum, *d. l.* 8. *h. t.* Aliter tamen Imperator Juſtinianus §. 7. *Inſt. de jur. nat.* ubi, *Hoc jus etiam Honorarium ſolemus appellare.* Quod, qui honores gerunt, id eſt, magiſtra-

ſtratus auctoritatem huic juri dederunt. Vid. *comment. de orig. jur.* §. 10.

Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione facta non ad id, quod Prætor ita fecit; ſed ad illud, quod Prætorem facere convenit. Prætor ſive Judex, qui judicandi, & lites dirimendi facultate & auctoritate pollet, etiamſi inique, vel non recte decernit, jus tamen reddere dicitur, adeoque ut ſententia a competente judice data, quamvis forte non omni ex parte æquitati & juſtitiæ parti debitæ reſpondeat, attamen inter partes litigantes jus faciat, propter auctoritatem judici datam atque conceſſam; reſpectu habito non ejus quod fit, ſed quod fieri debet. Quamobrem litigantes nequeunt de juſtitia protracta aut denegata queri, ſi forte judex quid decreverit, ex quo litis protelatio metuatur, ſed appellatione opus eſt, Mæv. *p.* 5. *deciſ.* 105. quia judex decrevit & jus dixit. Secus eſt, ſi non rite quid decreverit, uti DD. notant, forte contra ſolennitatem & juris ordinem, *l.* 1. *§.* 2. *ff. de feriis.* vel contra leges, *l.* 19. *ff. de appellat. l.* 1. *§.* 2. *ff. quæ ſent. ſine appell.* tunc enim non æque id valebit. Quippe, ut inquit Anton Faber, *rational. ad h. l* aliud eſt *non rite*, aliud *non recte.* Juris auctoritas violatur, cum quid ſit non rite, at non etiam ſi non recte. Nec poteſt Prætor facto ſuo juri publico derogare, poteſt tamen ut & alius Magiſtratus quilibet litigatorum jus lædere conſcientiæ ſuæ periculo, dummodo de litigatorum, non de ipſo jure pronunciet, *d. l.* 19. *& l.* 1. *§.* 2. *ſtatim allegat.* Publice intereſt rebus judicatis pareri, ne lites ſint immortales. Quamobrem magna eſt auctoritas rei judicatæ ab eo, qui judicis munere fungitur, unde Jctus in *l.* 65. *§.* 2. *ff. ad SC. Trebell. Cum Prætor cognita cauſa, per errorem, vel etiam ambitioſe juberet hereditatem ex fideicommiſſo reſtitui, etiam publice intereſt reſtitui, propter rerum judicatarum auctoritatem.* Licet enim per errorem vel inique judicatum, jus tamen facit ejuſmodi ſententia.

Alia ſignificatione jus dicitur locus, in quo jus redditur, appellatione collata ab eo quod fit, in eo ubi fit. Locus ille, in quo jus redditur, & ubi lites & controverſiæ exercebantur,

Digitized by Google

Forum proprie dicitur, quod licet varias habeat ſignificationes, adeo ut quidem ſex modis Forum accipi ſcribat Feſtus. Per Forum hic intelligimus forum judiciale, in quo jus reddebatur, lites & judiciariæ controverſiæ exercebantur, quod Julius Paulus quandoque vocavit Auditorium, *l. 9. ff. ſi cert. pet. l. 59. ff. de re jud.* atque hoc loco liberiore ſermone jus nuncupat, appellatione collata ab eo quod fit, in eo ubi fit. In quo jus dando, dicendo, aut addicendo (in hiſce enim tribus verbis Prætoris officium conſiſtebat) redditur. Hoc ſenſu apud Plaut. *Curcul. in jus ambula.* & *Rudente act. 3. ſc. 6. Ego hunc ſceleſtum in jus rapiam.* & Nepos *Attico cap. 7. In jus de ſua re nunquam ivit.* Juvenalis *Sat. 15. pupillum ad jura vocantem.* Eo quoque ſenſu occurrit in *Epiſt.* Servii Sulpitii JCti ad Ciceronem, cum ait: *Eo conſilio, ut ab Athenis, in Bœotiam rem reliquamque juriſdictionem abſolverem.* Uti quoque dicimus *vocare aliquem in jus, ff.* & *Cod. de in jus voc.* & eodem ſenſu confeſſum in jure dicimus pro judicato haberi, *l. 1. Cod. de confeſſ.*

Quem locum hoc modo determinare poſſumus, ut ubicunque Prætor ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum jus dicere conſtituit, is locus recte jus appellatur. De Prætore ejuſque juris dicundi poteſtate egimus in *comment. ad l. 2. §. 27. ff. de orig. jur.* Cæterum locus juris dicendi ex more majorum elicitur, in quo tribunal erectum patet, ubi ſedet, qui juriſdictioni præeſt, vel aliam juriſdictionem habet, *l. 1. ff. de judic.* Oportebat itaque Prætorem pro majeſtate ſive dignitate & auctoritate, qua ornatus erat, adhibitis inſignibus, non in loco privato, verum publico & pro tribunali jus dicere, *l. ult. Cod de offic. diver. judic. l. 1. Cod. de offic. judic.* Niſi juriſdictio contentioſam cauſam non ſpectat, ſed potius voluntariam manumiſſionis vel emancipationis, quivis privatus & honeſtus locus idoneus eſt, *l. 7. ff. manumiſſ. vindict.* Idem dicendum de negotiis, quæ cauſæ cognitionem non deſiderabant, *l. 2. ff. de offic. proconſul. l. 2. §. dies. ff. quis ordo in bonor. poſſ.* Quamobrem non reddebat jus Prætor more majorum, nec ſalva majeſtate imperii, quoties ipſe pronunciabat de ea re, de qua judicem pedaneum dare debuit.

Digitized by Google

buit. Huc applicare poſſumus illud Ciceronis ad Q. Fratrem: *Quid? Prætor ſoletne judicare deberi.* Ergo nec juris appellatione venit locus in quo judicia exercentur apud judices pedaneos. Verum quid ſi litigantes conveniant, ut alibi quam in loco majorum, jus reddatur? Et ſtatuit Bartolus, ut conventio ſubſiſtere debeat ad exemplum temporis prorogati. Verum diſſentit Jctus Forcatulus, *comment. ad h. t.* quia non eſt idem jus loci & temporis, cum ratio diſſimilis urget, ut in actionibus arbitrariis, *l. quod ſi Epheſi ff. de eo quod cert. loco.* & debitor citeriore tempore ſolvere poteſt, non propinquiore loco, *l. qui Romæ ff. de verbor. oblig.* Ratio autem diverſa loci forenſis a tempore, quia, ut ait Jctus Paulus, illic conſideratur majeſtas & reverentia publica remitti neſcia, *l. alia §. fin. ff. ſol. matrim.* niſi conſuetudo domi acta judicia approbet, cum ſit vice legis publicæ. Aliud dicendum in juriſdictione voluntaria, in ea privatus locus aptus eſt, quia pendet ex conſenſu partium, uti ſtatim diximus. Prætor itaque ſalva majeſtate imperii ſui ſalvoque more majorum, jus dicebat pro tribunali in ſede illa excelſa & in ſublimi poſita: non inſtar aliorum minorum magiſtratuum in ſubſelliis, ſedens, veſte trabea, purpurea ſcil. indutus, ceteriſque inſignibus adhibitis, quæ majeſtatis & dignitatis præ ſe ferebant notam, quorum in numero Lictores, Faſces, Apparitores, Sella eburnea curulis. Quippe cum Prætura erat inter magiſtratus majores, quamobrem & iiſdem auſpiciis cum Conſulibus comitiis centuriatis Prætor crearetur, ſummi honoris & imperii inſignia ei quoque, quæ illis tantum Magiſtratibus, quorum majus erat imperium, & maxima auſpicia conceſſa fuere. Vid. Alexandr. ab Alexandr. *dier. genial. lib.* 1. *cap.* 27. *lib.* 2. *cap.* 15. Erant enim Faſces inſignia majeſtatis & imperii ſui, quo decoratus erat: uti quoque jus utendi faſtigio tribunalis; quippe majoribus hoc duntaxat conceſſum magiſtratibus, ſcil. qui habebant imperium, *l.* 2. *ff. de in jus vocand.* quales erant Romæ Conſules, Prætores, Præfecti urbis: in provinciis Præſides & Proconſules. Minores vero Magiſtratus, ut alibi notavimus, quibus tantum nuda conceſſa juriſdictio abſque poteſtate & imperio, in

ſub-

Digitized by Google

ſubſelliis ſedentes jus reddebant. Tribunal itaque ejus erat, qui judicio præſidebat, qui imperium & juriſdictionem habebat, eminebatque inter ſubſellia minorum judicum, ut Prætoris majeſtas in Trabea & Prætexta magis conſpicua appareret. In tribunali fuiſſe curulem collocatam, in qua Prætores conſiderent, credendum putat Poletus *hiſtor. for. Rom.* Cujus autem formæ eſſent Tribunalia, apud Vitruvium deſcriptum invenimus, *lib.* 5. *cap.* 1. de Baſilica Julia ſermonem habens, cujus ipſe architectus. Admodum ſpatioſum fuiſſe vel ex eo ſatis apparere putat Poletus, quod duo Conſules ſedebant in Tribunali, & in eodem illis quidam Senatores aderant. Præterquam quod id ipſum ſatis conſtare poteſt ex deſcriptione formæ, quam tradit Vitruvius *d. l.* cum inquit: *Item Tribunal eſt in ea æde hemicycli ſchematis minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte eſt intervallum pedum quadraginta ſex, introrſus curvatura pedum quindecim, uti eos, qui apud Magiſtratum ſtarent, negociantes in Baſilica ne impedirent.* Adeoque ex hiſce patet, admodum amplum & capax fuiſſe, ejuſque magnificum fuiſſe aſpectum, nec immerito majoribus judicibus fuiſſe aſſignatum, ut inquit Budæus.

Lex XII.

Digitized by Google

Lex XII.

Nonnunquam jus etiam pro neceſſitudine dicimus; veluti eſt mihi jus cognationis, vel affinitatis.

Nonnunquam jus etiam pro neceſſitudine dicimus; veluti eſt mihi jus cognationis, vel affinitatis. Per jus hic intelligimus illam perſonalem qualitatem, quam inter homines ſive jus naturæ ſive civile in ſtatu vel naturali vel civili viventes introduxit; cujuſmodi qualitas, quia ex jure dimanat, juridica appellari poteſt, qua efficitur, ut alter ad alterum certam quandam habet relationem, adeoque qualitas illa reſpicit hominis ſtatum cum relatione ad ſtatum alterius; quamobrem nec a ratione alienum, ut juris vocabulum aliquando etiam pro neceſſitudine, ſive conjunctionis vinculo benevolentiæ vel propinquitatis vi contracto, *l.* 5. *§.* 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* dicamus.

In hac ſignificatione vocabulum *neceſſitudo* etiam apud claſſicos auctores quandoque uſurpari neminem fugere poteſt, qui in humanioribus literis verſatus eſt. Sic pro cognatione, pro affinitate apud Suëton. *in Auguſt. Remiſit tamen hoſti judicato neceſſitudines amicoſque omnes.* Et *cap.* 17. *Reliquos Antonii Reginæque communes liberos, non ſecus ac neceſſitudine junctos ſibi & conſervavit, & mox pro conditione cujuſque ſuſtinuit ac fovit.* Et *cap.* 2. Nonnunquam etiam pro neceſſitate & vi ipſa & cogente, *l.* 5. *pr. ff. de re milit.* Uti aliquando apud Ciceronem, cum inquit, *Neceſſitudo eſt, cui nulla vi obſiſti poteſt. l.* 2. *de invent.* quamvis minus frequenter. Vid. Gell. *lib.* 13. *cap.* 3. Plerumque itaque uſurpatur pro jure cognationis, ſcil. ſanguinis, ſive id per mares ſive per fœminas contingat. Quippe, uti DD. volunt, generatim cognationis verbum hic accipiendum, *l. non facile. §.* 1. *ff. de grad. affinit.* Quamvis contracta ſignificatione eam ſanguinis conjunctionem

Digitized by Google

ſignificet, quæ per fœminam deſcendit; quippe quæ per mares contingit, cognatio proprie, *l. 5. ff. unde legit.* §. *1. Inſt. de legit. tutel.* Affinitas autem eſt propinquitas perſonarum, quæ per cognatorum nuptias nobis conjunguntur, ita ut affines dicantur, juxta *l.* 4. *§.* 3. *ff. de grad. & affin.* viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Quamobrem etiam a ſe invicem diſtinguit Cic. 4. *in Verr. Quo quiſque te maxime cognatione, affinitate, neceſſitudine aliqua attingebat.*

F I N I S.



EXER-

EXERCITATIONES

IN

HISTORIAM POMPONII

DE

ORIGINE JURIS,

Et omnium Magiſtratuum & ſucceſſione prudentium.

Digitized by Google

EXERCITATIONES
IN
HISTORIAM POMPONII
DE
ORIGINE JURIS,

Et omnium Magiſtratuum & ſucceſſione prudentium.

INSCRIBITUR TITULUS DE ORIGINE JURIS, ET OMNIUM MAGISTRATUUM ET SUCCESSIONE PRUDENTIUM.

O*Rigine juris.*] Quamvis hujus tituli inſcriptio tam late pateat, ut & jus naturale & divinum morale, & poſitivum ampleſtatur; attamen de jure civili tantum intelligenda eſt: quoniam in hoc titulo nihil aliud docetur, niſi qua via jus civile in eam formam, quæ nunc habetur, redactum, ad Romanos pervenerit.

Originem juris nonnulli duplicem ſtatuunt, naturalem ſcil. quam

quam internam vocant, quæ conſiſtit in cauſis & principiis, ex quibus *jus civile* collectum eſt: Et civilem & Hiſtoricam Reipub. Rom. propriam; quæ etiam externa vocatur, poſita in exiſtentia ſeu tempore, quo jus Romanum ſeu civile incepit, & quomodo progreſſum habuerit; ut in hoc tit. videre eſt.

Prima origo, quæ *naturalis* vocatur, eſt naturalis ratio ſeu æquitas, fons omnis juris cum publici, quo omnes gentes utuntur; tum etiam privati, quod quis populus ſibi conſtituit, ſubnixum æquitate tanquam fundamento: quippe jus ſine æquitate ſumma eſt injuria; recta ratio ſive æquitas naturalis legis anima eſt; quare quemadmodum tantiſper homo vivere dicitur, dum animam circumfert; ita tantiſper vivit lex, quamdiu æquitas cum lege conjuncta pari paſſu ambulat, & ei tanquam aſſidua comes lateri adhæret. Hinc *legum periti* dicuntur boni & æqui notitiam profitentes, *l.* 1. *ff. de juſt. & jur.*

Cajus lib. 1. ad legem 12. Tabularum.

Facturus legum vetuſtarum interpretationem, neceſſario prius ab urbis initiis repetendum exiſtimavi: non quia velim verboſos commentarios facere, ſed quod in omnibus rebus animadverto id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtaret. *Et certe* cujuſque rei potiſſima pars principium eſt. *Deinde ſi in foro cauſas dicentib. nefas, ut ita dixerim, videtur eſſe, nulla præfatione facta, judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omiſſis initiis, atque origine non repetita, atque* illotis, *ut ita dixerim*, manibus, *pro-*

protinus materiam interpretationibus tractare? namque niſi fallor, iſtæ præfationes & libentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt: & cum ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum.

FActurus legum vetuſtarum interpretationem.] Leges vetuſtæ a *Cajo. Jcto* appellantur leges XII. Tabb. fons omnis publici privatique juris, ut inquit Liv. Vetuſtæ dici poſſunt, quatenus ſummam continent æquitatem, & cum naturali ſeu divino morali jure conſentiunt; eatenus enim æternam perpetuamque cauſam & originem habent: vel quatenus ſunt aliis legibus ex illis deſumptis anteriores & tempore priores. Hoc ſenſu legimus apud Tacit. 3. *Annal. cap.* 26. *Vetuſtiſſimi mortalium*, id eſt, *primi mortalium.* & 2. *Annal. cap.* 43. *Quia Silani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum pacta erat:* id eſt, *natu maximo, primo.* Sic *vetuſtas* dicitur *ætas ſuperior.* Et eo ſenſu *vetuſtæ* leges a Cajo vocantur leges XII. Tabb. quia longe anteriores & priores aliis legibus erant; ideo legum fontes a Cicerone appellantur: *Amo totam civilem ſcientiam, deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus* XII. *Tabb. contineri*, inquit *in* 1. *de Orat.*

Anno 299. miſſi ſunt in Græciam tres legati ad petendas leges: anno ab U. C. 302. creati Decemviri ad leges ferendas: unde primum decem tabulæ, poſtea adjectis duabus XII. tab. conflatæ ſunt, ex quibus fluere cœpit jus civile *l.* 2. *§.* 6. *h. t.* quod a parvis initiis ad tantam crevit magnitudinem, ut mole laboraret ſua; ad duo quippe librorum, & ter centena uſque verſuum millia tempore Imperatoris Juſtiniani excreverat. Quia autem verendum erat, neminem fore hominem, qui ad hanc excolendam ſcientiam animum applicaret, quam ſibi tanquam immenſum oceanum ob oculos ponebat, quo facile poſſet immergere, utpote quæ nullis librorum finibus concluderetur; tandem Sacratiſſimus Imperator Juſtinianus, bellis feliciter peractis, & hoſtibus ſuis domitis, faciliorem juris prudentiam addiſcendi viam nobis pan-

pandere voluit: itaque inutilibus rejectis, adjectis neceſſariis, tot librorum ac verſuum millia, cura & ſtudio viri magni & excelſi Triboniani, Magiſtri & Exquæſtoris ſacri Palatii, *Prœm. Inſt.* §. 3. & 4. in unum corpus collegit, & in unam redegit juris conſonantiam. §. 2. *eod.*

Interpretationem.] Interpretatur, qui rem exponit, explicat, explanatque. Cic. 2. *off. Nequicquam aliud eſt Philoſophia, ſi interpretari velis, quam ſtudium ſapientiæ.* Sic obſcure *dicta interpretari* apud Quinct. *lib.* 3. *cap.* 2. 4. id eſt, *explicare, exponere. Interpretari legem, & æquitate explicare.* Cic. 7. *Philipp. Interpretari* etiam dicitur is, qui corrigit, arctat, prorogat, extendit, ita ut interpretatio ſit correctio, prorogatio, &c. quæ nominis ſignificatio in hac lege huic voci quam cæteræ cunjunctior erit. vid. *l.* 1. §. 6. *ff. ad Senatusconſ. Tertull. l. fin. Cod. de leg. & conſ. & gloſſ. ad h. t.*

Urbis.] Urbs eſt oppidum muro cinctum: ita dicta ab *urvo* aratri curvatura: ſeu ut alii volunt ab *orbe*, qui ducebatur aratro, quo extruendi eſſent muri. Antiqui enim junctis bobus Tauro in dextra & Vacca in ſiniſtra, (Hetruſco ritu) in excitandis urbibus, interiore aratro circumagebant ſulcum, intra quem urbem conderent: *Hoc faciebant religionis cauſa die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita: terram, unde exſculpſerant, foſſam vocabant; & introrſum factum murum: poſtea quod fiebat orbis, urbs.* ait Varro 4. *de ling. Lat.* Et idem, *Oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo, urbes: & ideo coloniæ noſtræ omnes in litteris antiquis ſcribuntur urbes; quod item conditæ ut Roma.* Unde Virg. 5. *Æneid.*

Interea Æneas urbem deſignat aratro.

Et 2. *Georg.*

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro.

Confirmat idem Pomponius in *l.* 239. *ff. de verb. ſig. Urbs*, inquit, *ab urbo appellata eſt. Urbare eſt aratro definire. Et*

Varr.

Varr. ait; *urbem appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.* Unde territorium dictum quaſi tritorium, tritum bubus & aratro. Quemadmodum autem in condendis urbibus aratrum adhibere veteres ſolebant; ita in deſtruendis eo etiam utebantur, ut videre eſt in *l.* 21. *ff. quib. mod. uſusfruct. amitt.* Ita ut civitas amplius non eſſet, ubi aratrum inductum fuerat: morem hunc deſcribit Cic. 2. *Philipp.* cum inquit: *Ut vexillum videres & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pene perſtrinxiſti.*

Urbs aliquando pro ipſa civitate ponitur: ſcil. pro civibus, qui in ea degunt, ita apud Virg. 4. *Æneid.*

Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.

Per quandam antonomaſiam urbs proprie dicta eſt ROMA; quum cæteræ dicantur oppida, ut apud Quinctil. *lib.* 9. *cap.* 2. Quemadmodum cum Poëtam dicimus, apud Græcos *Homerum*, apud Latinos *Virgilium* ſignificamus, ut inquit *Imperator*; & quoties juris alicujus fit mentio, non addito cujus ſit civitatis, jus Romanum intelligitur: ita quando de urbe non expreſſo nomine civitatis alicujus ſermo eſt, Romana intelligenda civitas. Hinc Alphenus, *urbem* ait *eſſe Romam, quæ muro cingitur. l.* 82. *ff. de verb. ſig.*

Genitor urbis Quirinus. Apud Ovid. *Met.* 15. Iſidorus *lib.* 8. *cap.* 6. *Roma ſola urbs, cætera oppida.* Quæ ab Auguſtino de *civ. Dei lib.* 2. *cap.* 5. vocatur *urbs forum virorum. Lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium* vocat Cic. *in orat.* 4.

En hujus nate auſpiciis; illa inclyta Roma.
Imperium terris animas æquabit Olympo.

Urbis initiis.] Cum cœperit, cum nata fuerit Roma: ab infantia ejus, ut inquit Florus *lib.* 1. De origine ſive primordio ejus non conſentiunt ſcriptores. Sunt, qui *Romam* ante Romulum conditam volunt; & initio appellatam VALENTIAM: deinde ab Evandro Romam nominatam fuiſſe, Græco ſcil. nomine, ῥώμη, quod robur ſive valentia eſt. Alii

ſentiunt Troja capta, quoſdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma eſt, deveniſſe per Tiberim: deinde ſuadente nobiliſſima captivarum fœmina, cui *Romen* nomen erat, incenſis navibus poſuiſſe ſedes, & extructum oppidum *Romen* ab ea fuiſſe appellatum. Nonnulli & originem & appellationem urbis a *Romo* Æmathionis filio deduxere. Verum eorum opiniones ſolido deſtituuntur fundamento. Vero magis conſentaneum eſt, a Romulo & Remo fratribus Romam conditam eſſe anno primo ſeptimæ Olympiadis, 250. vel 252. ante nativitatem noſtri Salvatoris. vid. *Dionyſ. Halicarn. lib.* 2. *c.* 2. Liv. *lib.* 1. *cap.* 6. & *Flor. lib.* 1. *cap.* 1. *Primus ille urbis & imperii conditor Romulus fuit.* Romulus dictus quidam autumant ab arbore *Ruminali*, id eſt, *ficu*, ſub qua Romulus & Remus pueri inventi ſunt cum lupa, præbente infantibus *Rumen*, id eſt, mammam. Hinc ſubrumi, qui ſub mammis ſunt & iis aluntur. Ficus illa in Comitio ad tempora uſque Neronis nongentos circiter annos ſtetit. vid. Tacit. *lib.* 13. *cap.* 58. ubi inquit: *Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat: mortuis ramalibus & areſcente trunco diminutam, prodigii loco habitum eſt: donec in novos fœtus revireſceret.* Lipſius damnat illum numerum, quem vid. in notis ſuis ad hunc locum. Vel eandem potius, quam ſupra deſcripſimus, nominis originem retinebimus; ſcil. a Græco vocabulo ῥώμη Romam dictam vel nominatam fuiſſe, quod Latinis Robur, unde etiam dicti ῥῶμος: ῥώμυλος: ῥῶμος enim vir fortis, ut μῶμος irriſio dicitur. Sic ῥῶμος, & fortitudo & vir fortis. Latinis *Remus* a Ῥῶμος, Ῥώμυλος, inde Latinis priſcis Romulus: itaque ſi a Romulo & Remo Romam nominatam volumus, eandem nominis derivationem retinere poſſumus. *Romulus & Remus a virtute*, id eſt, *robore appellati.* Feſtus.

Perfectum eſſe quod omnibus ſuis partibus conſtaret.] Perfectum id judicat Cic. *in orat.* 2. cui nihil addi poteſt, cui nihil deeſt, ſed omni ex parte abſolutum eſt. *l. penult. Cod. ad Senatuſc. Silan. l.* 19. *§.* 11. *ff. de aur. & argent. leg.* Ariſt. *lib.* 15. Metaphyſicus perfectum ait eſſe, cum ſecundum

ſpeciem propriæ virtutis, nulla deſit particula, & finis adeſt. & Cic. 1. *de Nat. Deor. Aptum undique perfectum, expletum omnibus ſuis partibus & numeris.*

Cujuſque rei potiſſima pars principium eſt.] Principium rei cujuſque maximum eſt, quippe quod rei dimidium eſt; unde eſt quod ſemper dicere ſolemus, ſemper cujuſque rei initium, originis & cauſſæ rationem habendam eſſe. *l.* 8. *in p. ff. mand. l.* 1. *§.* 30. *ff. depoſ. l.* 12. *ad SC. Maced.* Principium plus eſt quam dimidium totius operis. *Ariſt. Ethic.* 1. cui convenit tritum illud Horatianum:

Dimidium facti qui bene cepit habet.

Contra vero vix feliciter procedunt, quæ male inchoata ſunt. Principium malum, malo etiam excipitur fine. *Ut mala poſuimus initia, ſic cætera conſequentur*, inquit Cic. ad *Attic. Enim vero cum dicebant veteres, principium eſſe dimidium totius, hoc nimirum docere nos voluerunt, in quacunque re, quam ſuſcipias, plurimum operæ eſſe ponendum, ut illam recte inchoes, merito ſi quidem non vereatur aliquis confirmare, principium non eſſe totius dimidium, ſed ad ipſum quoque operis finem pertinere.* Polyb. *Hiſt. lib.* 5. *cap.* 31.

Si in foro.] Forum dicendum non *forus*, ut barbare enuntiavit *Iſidorus.* Forum eſt, quo res venum ab annonariis, cauſæ diſtrahendæ a litigatoribus conferuntur. Sic Varro *lib.* 4. *Quo conferrent ſuas controverſias, & quæ vendere vellent, & quo quæque ferrent, forum generatim appellarunt, a ferendo nempe. Ita ut breviſſime poſſit definiri locus, quo res feruntur venales*, ut ait Feſtus. Saluſt. *in Jugurt. Erant haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vacca, forum rerum venalium totius regni maxime celebratum: ubi & incolere & mercari conſueverant Italici generis multi mortales.* Plenior eſt Etymologia, quæ duplex genus fori complexa eſt: fuit unum *judiciale*, alterum *venale.* Utrumque ſuos mores, ſua officia, ſuoſque præfectos ſortitum. Illi magiſtratus, qui juris diſceptandi, dicundi, jubendique poteſtatem habent, præerant. Unde

forum agere dicuntur magiſtratus, qui conventum juris dicundi gratia habent; hinc Cicero *epiſt.* 6. *lib.* 3 *fam. ad Appium: Cum interea, credo equidem, malevoli homines (late enim patet hoc vitium & in multis) ſed tamen probabilem materiam nacti ſermonis, ignari meæ conſtantiæ, conabantur alienare a te voluntatem meam, qui te forum Tarſi agere, ſtatuere multa, decernere, judicare dicerent.* Et ad Attic. *Epiſtola* 16. *lib.* 5. Huic Ædiles plebei, Curules, Præfecti annonæ præponebantur. Foro huic venali pro rerum varietate, quæ venales comportabantur, varia nomina impoſita fuere. Sic forum *Boarium*, in quo boves apud Liv. *lib.* 9. Forum *Suarium* in Varr. *lib.* 1. in quo ſues vendebantur. *Piſcarium Olitoriumque*, in quo cupedinarii negotiabantur. Sic forum *aleatorium* ab Auguſto vocatum, in quo ſolitus erat alea ludere. Ita enim apud Suet. *Luſimus per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus.* vid. Alexand. ab Alex. *dier. genial. lib.* 2. *cap.* 12. A Cajo vero hic forum judiciale intelligitur, in quo jus reddebatur; lites & judiciariæ controverſiæ exercebantur, quod Julius Paulus vocat Auditorium *l.* 4. *ff. ſi cert. pet. l.* 54. *ff. de re jud.* Hoc autem forum & cauſſarum officina, & veluti quoddam juris, quod cujuſque eſſet, diribitorium eſt. Non omnes autem lites coram eo ventilabantur tribunali; verum publicæ tantum: privatæ enim, quæ ad Centumviros pertinebant, ſub tecto in Baſilicis concertabantur: publicæ in aperto ſub dio perorabantur, eamque ob cauſam illæ *Baſilicanæ*; hæ *ſubdiales* vocabantur; Franc. Polet. *hiſt. for. Rom. lib.* 1. *cap.* 2. Populus Romanus diu unicum habuit forum, in quo lites dirimebantur, quod *Latinum* ſive *Romanum* & *Latium* appellabatur. Hinc Stat. Sylv. de equo Domitiani;

Stat Latium complexa forum.
Addita quid Latio Flavia templa foro.

apud Mart. *lib.* 9. *Epigram.* 4. Romani fori fit mentio apud Propert. *lib.* 4. *eleg.* 2.

Roma-

Romanum ſatis eſt, poſſe videre forum.

Alterum Cæſaris forum dictum eſt, ubi Veneris templum ab eo extructum fuit, in quo Cæſar paſſus eſt loricam ſtatuam ſibi fieri: de hoc foro canit Ovid. *lib.* 3. *triſt.* 1. *verſ.* 27.

Hæc ſunt fora Cæſaris inquit:
Hæc eſt à ſacris, quæ via nomen habet.

Vid. Appian. *bel. civ. lib.* 2. Tertium forum ab Auguſto excitatum eſt cum æde *Martis Ultoris.* Hæc tria fora judiciaria fuerunt. Hinc Ovid. *lib.* 3. *triſt.* 12. *verſ.* 25.

Scena viget ſtudiiſque favor diſtantibus, ardet:
Proque tribus reſonat Terna Theatra foris.

Et Martial. *lib.* 3. *epigram.* 38.

Cauſſas inquis agam Cicerone diſertius ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

De aliis foris vid. *Alex. ab Alex. dier. genial. lib.* 2. *cap.* 12.

Nulla præfatione uti.] ab hoc more olim Areopagitæ maxime alieni erant, nullum admittentes orationum procemium: quod ſuſpecta eſſent, quæ judicis animum afficere & commovere poterant. Cautum itaque apud eos fuiſſe conſtat, ut qui cauſſam dicat, neque procemio utatur, nec ad miſerationem, nec invidiam adducat: ne cui plus in miſericordia, quam in cauſa ſpei eſſet. Unde apud Apulej. *lib.* 10. *Placuit ſalubre conſilium, & illico juſſus præco, pronuntiat:* PATRES IN CURIAM CONVENIRENT. *Quibus protinus jure conſueta loca reſidentibus, rurſum præconis vocatu, primus accuſator incedit. Tunc demum clamatus inducitur reus: & exemplo legis Atticæ Martiique judicii, cauſæ patronis denuntiat præco, neque principia dicere, neque miſerationem movere.* Unde Quintil. *lib.* 6. *Athenis affectus movere per præconem etiam prohibetur orator.* Verum apud Romanos moris fuiſſe videtur, ut

ut in foro cauſas orantes aliqua præfatione utantur. Sed quali uti debeat vid. *in l. 3. ff. de his quæ in teſtam. del. vel induc. &c.* ſcilicet, ut cauſarum patronus judicem roget vel ſupplicet eum benigne audire. Ita Junius Zeno Anton. Auguſto, *Rogo domine Imperator audi me patienter.*

Illotis manibus.] id eſt, abrupte, temere, & nondum præparatis audientium vel legentium animis. Ducta Metaphora à ſacrorum cerimoniis, ad quas accedere non liceret, niſi ſumma cum puritate, ne ulla labe vel macula contaminarentur. Ita Cajus noluit ad interpretationem ſanctæ Themidis oraculorum, ſcilicet legum vetuſtarum, tanquam rei ſanctiſſimæ illotis & impuris manibus accedere.

Iſtæ præfationes.] rationem reddit, quare præfationem præmittere voluerit. 1. quia illæ præfationes nos ad lectionem materiæ invitant. 2. ut evidentiorem & dilucidiorem nobis præſtent intellectum. *Ut nobis mens legis & ſtatuentis conſtet, recurrendum ad præfationes & proœmia legum, ſtatutorum, aliarumque conſtitutionum.* Rebuff. *ad h. t.*

Pomponius.] fuit Pomponius Papiniani diſcipulus, Felicis Alexandri Severi Imperatoris tempore ann. 975. legum peritiſſimus, ut nominatur a Lampridio, vixit. Philoſophiæ Stoicæ præceptionibus imbutus fuit, ut declarant verba, *rerum mixtura* in *l. 30. ff. de uſurp. & uſuc.* quæ Senecæ doctrinam redolent *lib. 2. natural. quæſt. cap. 2.* Volunt nonnulli male hoc caput a Triboniano Pomponio attribui, propter ſtyli diſcrepantiam, & errores quoſdam, qui in eo occurrunt: cum iſtiusmodi ignorantiam rerum Reipub. ſuæ in virum eximium in conſilio Principis exiſtentem non cadere exiſtimandum ſit, Coccej. *de orig. jur.* ad *hunc T.* Verum cum aliunde non certum conſtet, quiſnam hujus legis auctor ſit, quare non æque in hoc, quam in cæteris, quæ nobis a Triboniano tradita ſunt, ei fidem haberemus: donec alter e cœlo ceciderit Tribonianus, qui de legis hujus auctore nos certiores fecerit. Quod enim in nonnullos incidimus errores, non ſtatim ideo accuſandus Tribonianus, quaſi nobis falſum obtrudiſſet auctorem: quippe divinum potius quam humanum eſt nunquam labi vel errare. Sapientia, doctrina, & eruditione florentiſſi-

rentiſſimi, maximos ſæpe admittunt errores. Vid. Henel. *de veter. juriſc. cap.* 30. & Bertrand. *lib.* 1. *de juriſp.* ubi inquit de Pomponio: *Is eſt, qui magiſtratuum & juriſconſultorum ſucceſſionem & quaſi juris civilis proſapiam eleganti & brevi ſtylo deduxit, &c.* Celeberrimæ illius legis ſecundæ de origine juris auctor, in qua initia & progreſſum Reip. Romanæ magiſtratuum & juriſconſultorum veterum nomina & ſucceſſionem, ad ſua uſque tempora eleganti ſtylo contexuit. Henel. *cit. loc.* & in ipſius laudem hoſce cecinit verſus:

Juris origo tibi ſic dicta ejuſque periti:
Ut ſummus dici juris mereare ſacerdos.
Ad diſcendum ætas tibi ſera haud ulla, parato
Diſcere, pes quanquam tumulo jam inſiſteret alter.

Ipſe enim declarat Pomponius *lib.* 7. *epiſt.* *Ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum ſeptuageſimum annum duxi.* Reliquit autem ſuæ eruditionis atque doctrinæ multa egregia & ſpecioſa monumenta, quæ paſſim in corpore juris extant.

Proceſſus] Proceſſus hic non barbare ſignificat viam ac rationem, qua utimur in foro in cauſis agendis. Verum eleganter ſignificat progreſſum juris civilis, quo ad eam magnitudinem, quæ hodie extat, pervenerit. Procedere enim eleganter dicitur de eo, qui magnos provectus & progreſſus in aliqua re, cui operam dat, facit. Ita Cic. *epiſt.* 16. *ad fam.* *Longius in dies diſcendo exercendoque procedere.* Idem *de claris Orat.* *Gradus tuos & quaſi proceſſus dicendi ſtudio cognoſcere.* Sic etiam Suet. *de claris Gramm.* *Scripſit ſe in Græcis litteris magnum proceſſum habere.* Eodem ſenſu apud Flor. *in prolog.* *Quatuor gradus proceſſuſque ejus inveniet.*

Civitas] cum multa & attentione & lectu digna de civitate ejuſque origine a diverſis auctoribus diſputata ſint, non abs re alienum fore perſuaſus ſum, hanc materiam paullo altius repetere, & in brevi quaſi tabella ejus originem ac fabricationem depictam lectori intuendam exhibere: fortaſſe aliquam voluptatem præbiturus ſum illis, qui juri publico dederunt ope-

operam: cum ejus juris objectum ſit, cui potiſſimum applicatur.

Eſt autem civitas liberorum hominum natura æqualium, naturalis libertatis, qua quiſque ſui juris eſt, jacturam facientium, ſub uno eodemque ſummo imperio ſociata & unita multitudo. Unio enim iſta ſeu ſocietas arctiſſimum civitatis vinculum eſt, quo rupto tota corruit ſocietatis fabrica. Diximus civitatem eſſe multitudinem liberorum hominum natura æqualium; quia natura omnes homines ſunt æquales: creavit enim initio Deus hominem liberum nullius niſi Creatoris imperio ſubjectum: unde acres adhuc ſtimuli quaſi innati ad libertatem, quam ſemel nactus eſt, conſervandam, niſi fortior ſuadeat ratio, ei renunciare, qualis eſt illa, qua ad ſemetipſum conſervandum & defendendum homo impellitur. Vocatur autem hæc libertas à Cicerone *poteſtas vivendi ut velis*, & a Juſtiniano definitur *facultas naturalis quod cuique facere libet: niſi lex aut vis ſit impedimento*, quæ a civitate vel ſummo imperio originem habet. Talis ſcilicet facultas, quæ a me ipſo dependet, & a nemine mihi poteſt eripi: ita ut meo, non alieno vivam arbitrio, & omnibus meis actionibus dictis ac factis regulam & modum ſtatuam, ad quam eas formare cupio. Quamobrem nemo jure mihi poteſt eſſe impedimento, ne exequerer, quæ exequi in animum induxi, & inclinationi contraria mihi imponere negotia. Quippe quoniam natura ſumus æquales, id eſt, liberi nati, alteri in alterum imperium exercendi nulla competit facultas, quo libertatem ſocii ſui aliquatenus imminueret. Quivis in ſtatu naturali ſibi imperat, & cuique pro ratione ſuarum actionum ſtat propria voluntas & arbitrium, conſentiens cum recta ratione & æquitate naturali: qua duce nullo pacto errari poteſt, ut inquit Cic. 1. *de ll.* Hanc libertatem poteſtatemque *naturalem* vocamus, quia cum ipſo homine nata eſt: per hominem autem marem tantum intelligimus, excepta fœmina: utpote quæ potius ad parendum, quam imperandum nata videatur, itaque ea libertate gaudere nequit, multis motus rationibus, de quibus inferius ſermo erit. Quoniam autem tali libertate caret, maribus æqualis non eſt, & conſequenter tanquam pars civi-

civilem ſocietatem conſtituens, conſiderari nequit. Diximus enim civitatem ex æqualibus eodem jure gaudentibus excitatam eſſe. Æquales autem ſibi invicem dici non poſſunt, quorum alter alterius imperio ſubeſt. Nullus autem dubito, quin omnes mihi conceſſuri ſint, fœminam maris poteſtati ſubjectam eſſe, & Deum & naturam voluiſſe: ideoque tanquam pars civitatem augens, non vero conſtituens conſiderari debet. Non deſtituti ſumus argumentis cum ex ſacris litteris, tum etiam ex ratione petitis, quibus hæc veritas adſtruitur. Qui a limine tantum ſacras paginas ſalutaverit, ignorare nequit, Deum Adamum totius humani generis parentem primum ex pulvere terræ finxiſſe. Deinde omnipotentem profundo ſomno eum obruiſſe, & de coſtis ejus tuliſſe unam, ex qua ædificavit Evam. Geneſ. 2. *cap.* 21. Non dicitur creata Eva, quia non ex nihilo erat producta: verum ædificata ex præexiſtente materia oſſibus & carne, ex quibus hominis conſtat corpus: rudem ſcilicet illam maſſam finxit in effigiem ſimilem & conformem viro. Quam autem aliam ob cauſam primo loco creatus Adamus, niſi ut ſecundum tritum illud proverbium (quod qui tempore prior, jure potior ſit) ſibi imperium jure vindicare poſſet, cum in mulierem, tum etiam in cæteras creaturas, jam antea ipſi a Deo conceſſum. Nam cum de natura ſummi imperii ſit, ut dividi non poſſit, rationi conſentaneum erat, illud in unum conferri. Deinde quamobrem ex coſta viri extructa, niſi ut poſſet inde concludere, ſe nihil habere a ſe, ſed ab alio ſcil. viro, ideoque ſe ad Adamum pertinere, utpote ex corpore ejus deſumtam; & conſequenter ſe ejus eſſe, cujus fuiſſet materia, ex qua ædificata erat; nihil enim magis rationi & æquitati convenit, quam meum id eſſe, quod ex re mea factum eſt; ex quo fluit imperium, quod mihi in illud, quod ad me pertinet, habeo, ſcilicet ut ſim arbiter & moderator rerum mearum; ideoque poteſtas de illis diſponendi pro arbitrio, mihi competit, modo caveam ne iis abutar. Concedit lex naturæ in ſtatu naturæ mihi rerum ad me pertinentium uſum, abuſum vero vetat. Re enim ſua male uti eſt contra bonos mores, ideoque a jure naturæ vetitum. Nulla igitur inter marem & fœmi-

Digitized by Google

fœminam intercedit æqualitas, tum juris, cum etiam virium, quibus indigent, qui in ſtatu naturæ vivunt; quamobrem Romani olim voluere, ut mulieres eſſent in perpetua tutela, ut legimus apud Cic. *orat. pro Muræn.* Stat itaque fixum, quando definimus civitatem eſſe multitudinem liberorum hominum natura æqualium, ſolummodo mares intelligi; mulierem, liberos a viro progenitos tanquam acceſſorium ejus, ſub una eademque perſona comprehendi. Verum ut diſtinctius civitatis ſtructuram lectori explicemus, ſciendum eſt, olim mortale genus in familias diviſum fuiſſe; cujus familiæ, quæ tanquam parva reſpublica erat, finis & caput erat vir ſeu pater familias, cæteri ut uxor & liberi membra & quaſi cives erant, a patrisfamilias tanquam principis civitatis nutu dependentes: ita ut monarchicum penes eum reſideret imperium: ipſi competebat facultas leges & jura dandi, quæ norma & regula eſſent ſecundum quam ceteri negotia peragerent; ei itaque ſoli incumbebat cura nequid familia aliquid detrimenti caperet; uxori & liberis obſequendi ſola gloria relicta. Ita ut ille totam haberet adminiſtrationem, ſolus omnibus imperaret, a nemine vero regebatur, a nullo enim niſi Deo imperium tenebat, quare nemini, niſi ſummo rerum omnium conditori, rationem ſuæ adminiſtrationis reddere obligatus erat. Hæc fuit humani generis conditio, antequam in civitatem coaluiſſent mortales. Quanquam vero hanc libertatem flagrantiſſime cupiant homines, tamen propter innumerabilia pericula & incommoda, quæ homini in ſtatu naturali ab homine imminent, pati debuerunt multum de illa detrahi, ſi ſalvi & incolumes eſſe vellent. Quis enim ignorat Saturno in Tartara miſſo aureaque delapſa ætate, ferream ſtatim prodiiſſe omnium ſcelerum matrem. Tum exui pudor & modeſtia cœpit, viſque & ambitio incedere; omnia ad ſe trahere, aliena tanquam ſua rapere mos erat, homo homini lupus erat, in mutuam advolabant perniciem, non hoſpes ab hoſpite tutus erat, ſibi invicem diffidentes. Tot tantiſque moleſtiis tandem fatigati mortales, cogitare cœperunt; qua potiſſimum ratione a ſe hæc pericula depellerent, ſuaſque poſſeſſiones & facultates in ſecuritatem aſſererent. Nullum autem efficacius remedium peti

peti potuit, niſi ab homine ipſo, a quo malum metuebant; ſcil. ut quiſque ſibi ſocios quæreret, quorum ope & auxilio adeo potens eſſet, ut, niſi ſummo cum invaſoris periculo, opprimi poſſe videretur: nam quoniam quiſque omnibus modis ſui ipſius conſervationi incumbit, ſumma ope declinare ſtudet ea, quæ ſibi nocitura videntur, quamobrem non ita facile illum oppugnaturus eſt, quem non ſine morte dubia debellare dubitat. Talem vero ſecuritatem acceſſio duorum vel trium præſtare nequit, cum additio vel conſpiratio unius vel paucorum ab altera parte iterum incitaret hoſtem ad impetum faciendum: quare oportet ut numerus in unam eandemque ſocietatem coëuntium tantus ſit, ut exiguam manum facile repellere poſſint. Poſtquam numerus ſatis validus eſt, nihil tamen efficiet, ſi ſingula ſocietatis membra libertatem naturalem conſervare vellent; quippe, ſi quiſque ad propriam defenſionem ſuis viribus, ſuo arbitrio utitur, nullaque ſit animorum concordia, ſumma oriretur confuſio, ſibique invicem eſſent impedimento, quo minus communis ſalus defenderetur, & ſingulorum utilitas promoveretur: ita ut tandem tota ſocietas mutua illa diſſenſione labefactaretur & ad interitum vergeret. Quemadmodum enim vis unita fortior, ita diſtracta debilior. Ergo ut communis ſalus conſervetur, ſingulorum actiones ad unum eundemque finem & ſcopum collimare neceſſe eſt, ita ut omnium ſit una voluntas, quod commode fieri nequit, niſi plures vel unus ſocietatis utilitati tuendæ ac promovendæ præponatur, cujus voluntati cæteri voluntatem ſuam ſubjiciant, ita ut illius voluntas, qui ſocietati præeſt, ſit pro voluntate omnium, & quicquid ille ad conſervationem communis ſaluſis pertinere ſtatuerit, id cæteri ratum habeant. Quemadmodum patrisfamilias in familia tantum conſpicitur majeſtas, cæterorum in obediendo partes conſiſtunt; ita in civitate ſummi imperantis tantum auctoritatem & majeſtatem venerari debemus. Ejus eſt leges condere, mandata dare, negotia civibus imponere, boni civis officium ea ſine mora exequi. Ex hac ſubmiſſione ſummus imperans ſatis validam acquirit poteſtatem, qua communem pacem, & ſalutem intactam & illibatam ab improborum hominum machinationibus conſervare queat. Si

Digitized by Google

quis morem gerere recuſat, eum tanquam perturbatorem ſocietatis & hoſtem e civitate ejicere, vel alio quocunque modo in eum animadvertere poteſt. Quid enim ſalvum, quid incolume eſſet, ſi cuique e plebe ſummam majeſtatem, ex qua noſtram pendere vitæ beatitudinem & ſalutem demonſtravimus, pedibus conculcaret, ad vetus Chaos iterum delaberetur Reſpub. omnium miſeriarum fontem & ſcaturiginem. Ut enim ſummum Olympi cacumen Poëtæ ſemper quietum eſſe ajunt, propterea quod altius ſit, quam ut eo ventorum tempeſtatumque vis perveniat, ita majeſtas atque auctoritas eorum, qui ſummo imperio ornati ſunt, ſublimior & excelſior exiſtimari debet, quam ut perditorum hominum peſtiferis flatibus & improbis machinationibus concuti & labefactari poſſit, ſi propriæ ſaluti & conſervationi inſerviamus. Ex illa igitur animorum concordia & voluntatum unione, & renunciatione libertatis naturalis perfecta naſcitur civitas, ſeu societas civilis, unicum præſidium, ad quod confugere neceſſe erat mortalibus, ſi ſemetipſos tot tantiſque periculis & miſeriis, quibus in ſtatu naturali viventes vexabantur, liberare vellent. Longius quidem quam par fuit de hac diſputavi materia, verum ſpero ut mihi lector hoc facile condonaturus ſit, ſi diligenter examinaverit, quanta ejus ſit utilitas.

---

2. Pomponius lib. ſingulari Enchiridii.

Neceſſarium itaque nobis videtur ipſius juris originem, atque proceſſum demonſtrare.

§. 1. Et quidem initio civitatis noſtræ populus ſine lege certa, ſine jure certo primum agere inſtituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.

Civitatis noſtræ.] Scil. Romanæ. Significat hic *civitas* habitatores, congregatam hominum multitudinem. Ita etiam in *l. 27. ff. ſi cert. pet.* Erat hæc civitas ex agreſtium homi-

Digitized by Google

hominum incondita multitudine a Romulo fundata. Liv. *lib.* 1. *cap.* 8. Legibus autem tum ad ſacra, tum ad politicum regimen pertinentibus, brevi Romulus populum ita formavit, ut cuilibet moratiori genti non tantum par eſſet, ſed jure præferri potuerit.

Populus ſine lege certa.] *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges fuit. Populus nullis legibus tenebatur. Arbitria Principum pro legibus erant*, inquit Juſtinus *lib.* 1. *cap.* 1. Per ora Principum divinitus jura emanabant. Quod juſtum illi judicaſſent, id pro lege erat. Dionyſ. Halicar. *lib.* 4. *cap.* 1. Cic. 3. *de ll. Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruere; quod genus imperii primo ad homines juſtiſſimos & ſapientiſſimos deferebatur.* Nonnulli ſentiunt melius & optabilius eſſe regi a Principe, quam lege ſcripta; quia Rex juſtus in ſingulis cauſis judicat ſecundum æquitatem, quæ ſibi videtur. Hinc Plato formavit Rempub. ſine lege ſcripta, ſed quæ regeretur a viris prudentibus. Et apud Liv. *lib.* 2. *cap.* 3. Regem hominem eſſe, a quo impetres, ubi jus ubi injuria opus ſit, gratiæ eſſe locum & beneficio: & iraſci & ignoſcere poſſe: inter amicum & inimicum diſcrimen eſſe. Leges rem ſurdam inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi, quam potenti: nihil laxamenti & veniæ habere, ſi modum exceſſeris, periculoſum eſſe. In tot humanis erroribus ſolam innocentiam vivere. Verum contraria opinio huic præferenda videtur. Debent enim certæ eſſe leges, quibus Reſpub. tanquam ſuo fundamento fundatur, & quæ regula & norma ſunt, ſecundum quam cives actiones ſuas dirigere, negotia & commercia peragere neceſſe habent. In hoc enim Reges cæteris hominibus æquales ſunt, ſcil. quod homines nati iiſdem humanæ naturæ imbecillitatibus, ut odio, iræ, invidiæ, aliiſque pravis animi agitationibus obnoxii ſint; iiſque agitati ſæpiſſime, ab eo, quod juſtum & æquum eſt, animus deflectitur, & amore proprio flagrantes ſæpe publicæ utilitati privata commoda anteponunt, non ſine gravi civium damno. Quamobrem nonnulli, inter quos Vaſquius, Ariſtoteles, aliique, melius, commodius ac tutius gubernari Rempub. per legem quam Principem cenſuere. *Ubi lex imperat*

Deum præeſſe, cum lex ſit imago Dei, ratioque pura & ab omni affectu libera: ubi vero homo imperat affectum ut immanem belluam adjungi, qui ira, odio, cupiditate poſſit agitari, inquit Ariſt. 3. *polit. cap.* 12.

Agere inſtituit] id eſt, incepit; ſæpius hoc ſenſu apud ſcriptores occurrit. Terent. *in prolog. Eunuch.* 19.

Quæ proferentur poſt, ſi perget lædere
Ita ut facere inſtituit.

Sic etiam Cic. in Vert. *Verum ut inſtitui dicere*, id eſt, cœpi. Et *pro Cluentio: Quæſo ut me, judices, ſicuti facere inſtituiſtis, benigne attenteque audiatis.* Notandum verbum *inſtituere* hic non ad populum referri eo ſenſu, quo ſignificat *decernere, ſtatuere*, quod imperii eſt, quaſi penes populum fuiſſet iſtius arbitrium: verum ſenſus eſt, quod populus Romanus initio civitatis, Romulo imperii habenas moderante, agere incepit ſecundum leges & jus incertum; ab ore quippe Romuli pendens; quod ex ſequentibus videre eſt.

Omnia manu à regibus gubernabantur.] nempe poteſtate & arbitrio regis. Libido regum pro legibus habebatur. *Juſtin. lib.* 2. *cap.* 7. & Tacit. 3. *Annal. Nobis Romulus*, inquit, *ut libitum, imperitaverat.* Vel enim uni, vel pluribus ſive concilio multorum permittitur rerum ſumma: porro illud concilium vel ex omnibus civibus, ita ut ſingulis ferendi ſuffragium jus ſit; vel ex quibuſdam tantum perſonis conſtat. Ex hiſce diverſis civitatum formis diverſa nomina orta ſunt. Si unus ſummæ rerum præeſt, *Monarchia* dicitur: ſi plures, non vero omnes imperii teneant gubernacula, *Ariſtocratia* vocatur; ſi omnibus denique adminiſtratio permiſſa ſit, *Democratia* appellatur. Reſpub Romana nunquam magis floruit, quam ſub unius imperio: pluribus eam adminiſtrantibus, ſeditionibus belliſque inteſtinis adeo ſæpiſſime divulſa atque dilacerata fuit, ut jamjam interitura videretur, & hoſtibus internecivo odio erga eam accenſis, prædæ futuram metuendum eſſet. Et meo judicio *Monarchicum* regimen abſtracte, ut Logici loquuntur, conſideratum, nulla habita

Digitized by Google

habita ratione perſonæ imperantis, qui eo ſæpiſſime abutitur, eamque ob cauſam periculoſum, cæteris civitatum formis præferendum exiſtimo.

Urbecula eſt felix, quæ præconem audiat unum. Olim oraculum Soloni redditum fuit. Qui de præſtantia dictarum ſpecierum plura deſiderat, adeat Hobbeſ. de civ. cap. 10. ubi quæ optima ſit ex contentione commodorum & incommodorum cujuſque regiminis oſtendit.

---

§. 2. *Poſtea aucta ad aliquem modum civitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta partes diviſiſſe, quas partes Curias appellavit; propterea quod tunc Reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe curiatas ad populum tulit. Tulerunt & ſequentes reges, quæ omnes conſcriptæ extant in libro Sexti Papirii: qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatus* jus civile Papirianum, *non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit, ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit.*

Aucta ad aliquem modum civitate] ſcil. aperto aſylo: *eo enim ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine liber an ſervus eſſet avida novarum rerum perfugit: id primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.* Liv. *lib.* 1. *cap.* 8. Quid enim urbs civibus orbata, quam urbis imago. Hinc Plin. *lib.* 7. *epiſt.* 31. *Cupio patriam omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero: id enim oppidis firmiſſimum ornamentum.*

Hoc primum urbis incrementum aliud excepit, ſcil. raptus virginum *Sabinarum*, *Antemnatium* aliarumque, quæ Romam profectæ erant, ſtudio cum ſpectandi ludos, quos Romani

Con-

Conſualia vocant, quia *Conſô*, id eſt, *Neptuno* conſiliorum Deo ſacra, tum etiam videndæ novæ urbis cupiditate flagrantes. Graviſſima inde orta bella, donec tandem mulierum precibus fatigati, ad quos injuria hæc pertinebat, non tantum pacem, ſed etiam ex duabus civitatibus unam fecere, regnum conſociarunt, & imperium omne Romam contulerunt. Liv. *dict. lib. cap.* 8. & 9. Ab eo tempore magis magiſque acceſſione aliarum nationum *Ceninenſium*, *Antemnatium*, *Cruſtuminum*, eo crevit civitas, ut decedens Romulus loco 3000. peditum, & 300. equitum, quos ſecum adduxerat, reliquerit peditum 46000. & equitum 1000. Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. *cap.* 16.

In triginta partes diviſiſſe.] Romulus, arrepto imperio, cogitavit non in civium multitudine, nec amplis profundisve foſſis, ſummam Rempub. ſitam eſſe: ſed aliud quid eſſe quod ſervet civitates, & ab exiguis profectas initiis magnas facit, boni ſcil. magiſtratus, & æquæ leges, ſine hiſce inſanit & furit ſemper bellua illa multorum capitum. Statum igitur, quem judicavit optimum Reipub. impoſuit, & quidem à ſe ipſo tanquam capite totius civitatis incepit; deinde ad cætera membra deſcendit. Primo itaque ſe ipſum ſummo imperio ornatum, venerabilem & auguſtum, ſumptis imperii inſignibus, tum maxime lictoribus, facere voluit: quamobrem trecentos etiam armatos circa ſe habuit, quos *Celeres* appellavit, non tantum ad cuſtodiam corporis, verum ad defenſionem quoque ſummæ majeſtatis adverſus omnes ſordidas & peſtiferas concuſſiones, quas homines perditi, novarum rerum cupidi, communis tranquillitatis perturbatores meditantur. Deinde ad univerſam multitudinem bene ordinandam animum applicuit: eam igitur diviſit in tres partes, unde tribus dictæ ſunt, ſingulas tribus in decem curias. Alii tribus a tributo dictas volunt, quod populus Romanus in tribus diviſus conferre ſolitus fuerat. Non conſentiunt de hac re Dionyſius & Livius, neque de tempore, quo tribus & curiarum nomen inventum fuerit. Dionyſius *Romulum*, Livius Regem *Servium Tullium* tribuum auctorem dicit. Ille ante bellum Sabinum, hic poſt illud peractum, populum

lum in tribus & curias diviſum memoriæ prodidit. Narrat quippe Dionyſius, Romulum univerſam multitudinem in tribus diviſiſſe, & ſingulis ſuos præfeciſſe duces; tribus ſingulas iterum in decem curias partitum fuiſſe: ſingulas curias ſingulos agros ſortiri juſſiſſe, excepta ea parte, quæ publicis & ſacris obeundis muneribus inſerviret. Livius contra, inito fœdere cum Sabinis & conſociato regno, tres equitum centurias & triginta curias a Romulo factas, iiſque a mulieribus Sabinis nomina impoſita fuiſſe, tradit. *Ex bello*, inquit, *tam triſti læta repente pax, cariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipſi fecit. Ita quum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis impoſuit. Id non traditur, cum haud dubio numerus aliquanto major hac mulierum fuerit, ætate an dignitatibus ſuis, virorumve, an ſorte lectæ ſint, quæ nomina Curiis darent. Eodem tempore tres equitum Centuriæ conſcriptæ ſunt. Ramnenſes a Romulo, Tatienſes a Tatio, Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt.* Dionyſius in ipſo civitatis primordio, antequam adverſus Sabinos bellum geſſiſſet, populum in tres tribus, & illas tribus iterum in triginta curias diviſiſſe, Livius poſt bellum peractum, in triginta curias populum diviſum fuiſſe ſcribit. Nonnulli hac in re Dionyſii, alii Livii opinionem amplectuntur. Nos autem videbimus, num hæc diſſenſio aliqua ratione tolli poſſit. In eo ambo conſentiunt, Romulum auctorem tribuum fuiſſe, verum de tempore non conveniunt, quo populus in tribus diviſus fuit. Legimus apud Livium Romulum, civitate jam condita, ſtatim Reipub. curam ſuſcepiſſe, & vocata ad CONCILIUM multitudine jura dediſſe populo, legeſque condidiſſe: quod univerſam multitudinem convocaverit, id cauſæ fuiſſe videtur, nimirum, ut omnium conſenſu & voto leges promulgarentur & comprobarentur, quod jus hoc ipſo tempore populo conceſſum, deinde ipſi ſemper integrum inviolatumque manſit. Neminem hominem adeo inſanum fore mihi perſuadeo, ut crederet illud concilium ſine ullo ordine concurriſſe: quippe tanta fuiſſet orta confuſio, ut ab illa præſertim incondita agreſtium multitudine nullum negotium peragi potuiſſet. Itaque nullus dubito, quin Romulus, an-

Digitized by Google

quam illam multitudinem ad concilium vocavit, optimam quam potuit excogitaverit rationem, qua convenirent & ſuffragia darent; hanc autem rationem eo tempore Reipub. utiliſſimam & optimam fuiſſe, nemo negabit. Præterea admodum veroſimile eſt, illud *concilium*, cujus mentio fit in *cap*, 8. *lib*. 1. idem eſſe quod *comitia*, propterea quod ſæpiſſime hæc nomina confundit. Sic enim inquit *lib*. 3. ubi de Cæſonis Quintii judicio: *Judicii die quum excuſaretur ſolum vertiſſe exilii cauſſa, nihilominus Virginio comitia habente, collegæ appellati dimiſere concilium.* Idem agens de Manlii judicio: *In Lucium Petilinum concilium populi indictum eſt.* Et *lib*. 5. de multa agens, quæ M. Poſthumio publicano a Carviliis dicta erat, ita ſcribit: *Multæ certandæ cum dies adveniſſet, conciliumque tam frequens adeſſet, ut multitudinem area Capitolii vix caperet.* Et paulo poſt *Comitia* vocat, quod antea *Concilium* plebis appellaverat. Et *Comitia*, inquit, *quæ vi, armis prohibitum erat.* Ex quibus clare perſpicimus, apud Livium ſæpiſſime comitium idem quod concilium eſſe. Unde conſequenter fluit, idem illud concilium ſive comitium ex triginta partibus conſtitiſſe, ideoque idem fuiſſe quod Comitia Curiata; nulla enim ante ea comitia inſtituta fuiſſe legimus. Eſt autem Concilium *concio plebis coacta comitiis curiatis per Tribunos & minores magiſtratus*. Polet. *Hiſt. for. Rom. lib*. 3. Itaque ſi eodem ſenſu concilium in dict. cap. octavo explicemus, commode Dionyſius cum Livio conciliari poſſe videtur. Si talis fiat ſenſus explicatio, ſcil. Romulum ab initio quidem populum diviſiſſe in tres tribus, & has iterum in triginta curias, ex quibus illud comitium ſive concilium conſtabat, verum illis, poſt datam Sabinis civitatem, omnemque Sabinum populum per ſingulas tribus & partes diſtributum, a mulieribus Sabinorum nomina impoſuiſſe, & vocaſſe Ramnenſes a Romulo, Tatienſes a Tit. Tatio Sabinorum Rege, Luceres a Lucumone Etruſco, ſive ab Ardeatibus, qui cum Lucero, Romulo regnante, fortunarum ſuarum domicilium Romæ collocarunt. Vid. Sig. *lib*. 1. *de antiq. jur. civ. Rom.* Pigh. *lib*. 1. *annal. Rom.* Has autem tribus Livius centurias equitum vocat, quod ex ſingulis tribubus ſingulæ equitum

Digitized by Google

tum centuriæ conſcriptæ erant. Vid. Onuphr. Panvin. *in deſcrip. civit. Rom. lib.* 2.

Quas partes Curias appellavit.] Ita Dionyſ. *lib.* 2. *cap.* 2. In tres partes diviſa multitudine ſingulis ſingulos præfecit duces præclariſſimos. Deinde unamquamque iterum in 10. partitus, totidem iis duces præpoſuit. Harum autem partium majores tribus, minores curias appellavit : a cura ſcilicet, propterea, ut ſubjicit Pomponius, quod Reipub. curæ per ſententias partium earum expediebantur. Hinc Varro de *ling. lat. lib.* 5. *Curia*, inquit, *ubi Senatus Rempub. curat. Illa etiam curia dicitur, ubi cura ſacrorum publica.* Item Feſtus *lib.* 3. *Curia locus eſt, ubi publicas curas gerebant. Curiæ etiam nominantur, in quibus unuſquiſque partis populi Rom. quid geritur, quales ſunt hæ, in quas populum Romulus diſtribuit, numero triginta.*

Hinc Curiones ſunt, qui conſumuntur & marceſcunt curis. Plaut. in *Aulularia* :

Volo ego ex te ſcire, quid ſit Agnus Curio.
Eucl. *Quia oſſa atque pellis eſt, ita curis macet.*

Eſt autem Curiæ triplex ſignificatio, ut videre eſt apud Sigon. *lib.* 2. *cap.* 3. *de antiq. jur. civ.* Vel ſignificat locum, vel cœtum quendam civium, qui inde Curiales dicti ſunt, vel jus quo ipſi Curiales donati ſunt. Fuit Curia Romæ duplicis generis. Una, in qua Sacerdotes res divinas, ſacra, & ceremonias cultuſque Deorum curabant. Ita apud Var. *de ling. lat. lib.* 4. *Curiæ duorum generum. Nam & ubi curarent ſacerdotes divinas, ut Curiæ veteres, & ubi Senatus humanas, ut Curia Hoſtilia, quod primus eam ædificavit Hoſtilius Rex ſub veteribus.*

Ita in Calabria Curia tantum ſacrorum ratio gerebatur ; teſte Sex. Pompejo *lib.* 2. *de verb. ſig.* Hinc etiam Curia Saliorum in Palatio. Altera eſt, ubi Senatus conveniebat, deliberaturus de Repub. Quamobrem Curia domus Senatoria nuncupata eſt, nobis *Stadthuys*, imo aliquando pro ipſo Senatu accipitur. Ut ait Cic. *in* 3. *de orat.*

Leges quaſdam tulit.] ferebat leges, qui rogabat populum per verba VELITIS, JUBEATIS. Et is, qui rogabat populum, legiſlator vocabatur. Ita ut hodie perperam legiſlator dicatur, qui ex plenitudine poteſtatis ſuo arbitrio condit legem; hi non legumlatores, ſed conditores vocandi ſunt: qualis poteſtas ſolis ſummis imperantibus conceſſa eſt, *l. ult. Cod. de ll.* Formula rogandi populum occurrit apud Gell. *lib.* 5. *cap.* 19. VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES. UTI. LUCIUS VALERIUS. LUCIO. TITIO. TAM. JURE. LEGE. FILIUS. SIBI SIET. QUAM. SI. EX. EO. PATRE. MATRE. Q. FAMILIAS. EJUS. NATUS. ESSET. UTI. Q. VITÆ. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. UTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HÆC. ITA. UTI. DIXI. ITA. VOS. QUIRITES. ROGO. Item illa apud Livium *lib.* 22. *cap.* 10. rogatus in hæc verba populus eſt: VELITIS JUBEATIS, *hoc ſic fieri, ſi res pop. Rom. Quiritium, ad quinquennium proximum, ſicut velim eam ſalvâ ſervata erit, hiſce duellis, datum donum duit, populus Romanus Quiritium.* Si populus intellexiſſet Rogationem, vel eam approbabat, vel rejiciebat ſuffragiis ſuis. Suffragiorum autem genera tria erant: *Voce, manu, pedibus vel tabellis.* Tabella judicum, fuit voce, pedibus Senatus uſus eſt, unde pedaria ſententia dicebatur: voce etiam populus in comitiis. Si populo placeret, quod continebatur in ſuffragio voce aut tabella, obſervandum in legibus jubendis UTI ROGAS. vetandi, ANTIQUO dictum ſcriptumve eſſe. Ita apud Livium lib. 6. *Cum uti rogaſſent primæ tribus dicerent.* Et idem *lib.* 30. *De pace uti rogatæ omnes tribus erant juſſerunt.* lib. 8. cap. 37. *M. Flavius Tribunus plebis tulit ad populum, ut in Tuſculanos animadverteretur: quoniam eorum ope ac conſilio Veliterni Privernateſque populo Romano bellum feciſſent. Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem:* id eſt, vetarunt ne quid crudelius in eos conſuleretur. Et Cic. *lib.* 1. *ad Attic. In hac cauſa Piſo, amicitia P. Clodii ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipſe fert, & fert ex SC. & de religione antiquaretur:* id eſt, abrogaretur. Idem *lib.* 1. *epiſt.* 14. *Cum dies veniſſet rogationi ex SC. ferendæ, concurſabant barbatuli*

juve-

juvenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis, & populum ut antiquarent rogabant. Niſo autem conſul, lator rogationis, idem erat diſſuaſor. Operæ Clodianæ pontes occuparant. Tabellæ miniſtrabantur, ita ut nulla daretur UTI ROGAS. Tota lex in æs incidebatur, & publice populo legenda proponebatur. Unde Ovid. 1. *Metam.*

> - - - - *Nec verba minacia fixo*
> *Ære legebantur.*

Æs autem, in quo leges incidebantur, in tot tabulas ſecabatur, quot commodum erat. Sic duodecim tab. lex appellationem accepit: non quia duodecim tantum leges eſſent, ſed quot totidem tabulis continebatur. Ant. Auguſt. *de leg.* Leges, quas Romulus tulit, ex Dionyſio aliiſque ſcriptoribus colligi poſſunt, quarum quaſdem nonnulli ab æquo jure alienas exiſtimarunt; inter quas ea numeratur, qua ſancivit, NE MULIERI JUS DIVORTENDI ESTO. Cum tamen viro permitteret uxorem repudiare, ſi ſtuprum commiſiſſet, aliudve quid peccaſſet. Item qua patri ſummam auctoritatem poteſtatemque concedebat in liberos, venundandi & occidendi permittebat libertatem: ita tamen, ſi poſtea ab emptore manumitteretur, in poteſtatem patris filius rediret; niſi tertia ſecuta eſſet venditio: ita verba legis ſeſe habent; SI PATER TER VENUM DUIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. Tulit & alias leges, quas omnes ſtudioſe collegit Lipſius.

Curiatas.] Leges, quas Romulus tulit ad populum, *Curiatæ* a Pomponio vocantur, quia populus in triginta Curias diviſus, curiatim convocatus ſuffragia dabat. Vid. ſup. Sic Centuriatæ leges dicebantur, quæ comitiis centuriatis a S. Tullio Romanorum rege inſtitutis ferebantur. Is enim poſtquam cenſum inſtituiſſet, *rem ſaluberrimam tanto futuro imperio*, ut inquit Livius, univerſum populum ſecundum illum cenſum pro fortunarum facultate diviſit in Claſſicos & infra claſſem. Claſſicos in quinque claſſes diviſit, claſſes iterum in 193. centurias: quarum prima claſſis eorum fuit, qui habebant centum

 millia

millia æris, id eſt, ſecundum noſtram computationem, mille philippeum, ſeu ter mille florenorum; & eorum fuerunt equitum centuriæ 18. peditum 80. 40. juniorum & totidem ſeniorum; juniores dicebantur, qui annum attigerant 17. ſeniores qui annum exceſſerant 46. quibus addidit duas centurias fabrorum ad machinas bellicas faciendas. Obſervandum vero, interjecto tempore primæ hujus claſſis cives tantum claſſicos fuiſſe dictos, aliarum claſſium, ut ſecundæ, tertiæ, quartæ & quintæ, infra claſſem vocatas fuiſſe.

Secundæ claſſis eorum erat, qui non habebant minus quam 75000. æris, noſtrorum 750. philippeum ſive 1950. florenorum, eorum fecit centurias viginti, decem juniorum, decem ſeniorum.

Tertia claſſis eorum erat, qui non infra 50000. æris vel 500. philippeos poſſidebant, eorum viginti centurias fecit, decem juniorum, & totidem ſeniorum.

Quarta claſſis eorum erat, qui non infra 25000. æris ſive 250. philip. habebant, quorum etiam 20. fuere centuriæ, decem juniorum, & totidem ſeniorum.

Quinta claſſis eorum erat, qui non minus habebant quam 11000. æris, quorum fecit triginta centurias, quindecim juniorum, & totidem ſeniorum. Qui erant infra claſſem, id eſt, qui hoc cenſu minus poſſidebant, ab omni Reipub. adminiſtratione remoti erant, & jure ſuffragii carebant, neque militatum ire poterant; hujus generis erant *proletarii* & *capite cenſi*. *Proletarii* appellati, qui prole juvabant Rempub. & ſic dicebantur tenuiſſimi & pauperrimi ex plebe, non amplius quam mille quingentum æris in cenſum deferentes. *Capite cenſi* vocabantur, qui nullo aut perquam exiguo & parvo ære cenſebantur. Gell. Noct. Att. lib. 13. cap. 10. *Claſſicis* vero, ſcilicet quinque primarum claſſium civibus, poteſtatem Rex concedit ſecum tractandæ Reipub. per *comitia centuriata*, in quibus ſingulæ centuriæ ſuum faciebant ſuffragium. Verum pro hoc honore tenebantur ſuo ſumptu ire militatum, & pro cenſu tributum pendere, a quibus oneribus immunes erant, qui infra claſſem eſſe dicebantur, ut *proletarii* & *capite cenſi*. Hæ vero *centuriæ* licet initio nihil com-

Digitized by Google

commune habuerint cum *curiis* & *tribubus*, poſtea tamen claſſes tribuum partes eſſe inceperunt, ita ut tandem qui tribum eſſet adeptus, eodem tempore & claſſem & centuriam obtinuiſſet. Sig. *de antiq. jur. civ. lib.* 1. *cap.* 4. Centuriata comitia indicendi tres fuere cauſæ: *Magiſtratuum creatio, Legum latio, & Judiciorum exercitatio.* Dionyſ. *lib.* 4. Magiſtratus autem apud Romanos alii erant majores, alii minores: illi his creabantur comitiis, hi non item. Erant autem majores magiſtratus, *conſules, prætores, cenſores*, eo quod majoribus fierent auſpiciis. Gell. *Noct. Att. lib.* 13. *cap.* 14. Conſules hiſce comitiis creari, videre eſt apud. Liv. *lib.* 1. *in fin.* ubi inquit: *Duo conſules comitiis centuriatis à præfecto urbis ex commentariis Servii Tullii creati ſunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.* Qui ſe paullo poſt conſulatu abdicavit, propter nomen Tarquinii civitati inviſum. Liv. *lib.* 2 *cap.* 2. Prætores illis comitiis creatos fuiſſe, teſtis eſt, Gellius *cit. loc.* iiſdem quippe auſpiciis, quibus conſul creari mos erat: id eſt, iiſdem comitiis. De *cenſoribus* ita inquit *lib.* 13. *cap.* 14. *Patriciorum auſpicia in duas diviſa ſunt poteſtates. Maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum, &c.*

Verum aliquis fortaſſe nobis objiciet, *Dictatorem, Interregem, Magiſtrum equitum*, magiſtratus eſſe majores, attamen hiſce comitiis non fuiſſe creatos? Reſponderi poteſt hiſce comitiis tantum fuiſſe creatos magiſtratus majores ordinarios, non autem extraordinarios, quales ſunt illi. Creabatur *Dictator* a Conſule: jubebatur enim Conſul, ſi Senatui videretur Dictatorem dicere, ſuo pro arbitrio, (modo eſſet vir conſularis.) Dictator autem dicebat Magiſtrum equitum, qui habebat ſummum jus in equites & *accenſos*; id eſt, milites in mortuorum locum ſubrogatos. Num *Proconſules* comitiis centuriatis fuerint creati? non puto. Sed legimus apud Livium *lib.* 26. *cap.* 18. Cornelium Scipionem centuriatis Proconſulem in Hiſpania dictum fuiſſe. Verum reſponderi poteſt, hiſce comitiis P. Cornelio Scipioni non magiſtratum, ſed ſolummodo imperium ad bellum mandatum fuiſſe. Quidam enim mittebantur ad jus in Provincia & bellum adminiſtran-

ſtrandum, alii ad bellum tantum mittebantur, & hi non dicebantur magiſtratus, ſed eſſe dicebantur cum imperio: qui creari ſolebant tributis comitiis ſine auſpiciis, quare illam Scipionis creationem extraordinariam fuiſſe dicimus, fortaſſe propter cladem acceptam in Hiſpania. Vid. Sig. *de antiq. jur. civ. lib.* 3. *cap.* 14. *Decemviri* legum auctores, & *Tribuni militum conſulari poteſtate*, hiſce comitiis etiam fuere creati. Alteram cauſam comitia centuriata indicendi diximus fuiſſe legumlationem: docet id Liv. *lib.* 8. Leges, quæ hiſce comitiis ferebantur, veræ leges dicebantur, diſtinctæ ideoque a plebiſcitis. Hinc legimus *in Inſt. lib.* 1. *tit.* 2. *Legem eſſe id quod populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante* (veluti Conſule) *conſtituebat.* Plebiſcitum plebs plebejo magiſtratu (veluti Tribuno) conſtituebat. Tertia cauſa fuit judiciorum exercitatio. Verum notandum, non omnia judicia ad comitia centuriata pertinuiſſe: *Verum tantum crimen perduellionis.* Nam *majeſtatis judicium* in foro a Prætore exercebatur. Perduellionis in *Campo Martio* a populo. Perduelles dicuntur, qui hoſtili animo adverſus Remp. vel Principem animati ſunt, *l. fin. ff. ad L. Jul. majeſt.* Hos quia populus tanquam hoſtes habebat, poſtea hoſtes perduelles dicti ſunt. Hinc Cajus *in l.* 234. *ff. de verb. ſig.* inquit, quos nos hoſtes appellamus, eos veteres perduelles appellabant. Sic *bellum* ab antiquo verbo *duellum* originem habet. Perſonæ autem, quibus jus erat convocandi comitia, erant *Conſules*, *Prætores*, *Cenſores*, *Dictatores*, *Interreges*, *Tribuni militum poteſtate conſulari*, *Decemviri.* Liv. *lib.* 10. & Dionyſ. paſſim. Verum notandum, *Interreges* & *Cenſores* non in omnibus jus comitia convocandi habuiſſe: quippe legum ferendarum cauſa comitia Cenſores habuiſſe nullibi occurrit. Itaque cum legum cenſoriarum apud auctores fiat mentio, Cenſorum ſubſcriptio tantum intelligenda eſt: ſic etiam *Interreges* neque judiciorum, neque legum cauſa unquam comitia habuere, cum imperii brevitas eas promulgandi non permitteret. Jus ſuffragia ferendi omnibus competebat, qui in centuria erant deſcripti, tam in urbe quam extra urbem in Italia morantes, ſcilicet civitate & jure ſuffragii donati. Locus,

quo

quo habebantur Comitia, inauguratus eſſe debebat; erat autem extra *pomœrium* in *Campo Martio*, inauguratus locus dicitur ab *Auguribus* ad eam rem dicatus. Augures erant ejus generis ſacerdotes, qui ex avium volatu & cantu, ex pullorum & gallinaceorum paſtu, aliiſque ſimillimis ſignis nunciabant, num res quam erant facturi, feliciter ſuccederet, nec ne. Horum tanta Romæ erat auctoritas, ut nihil majoris rei, niſi illis adhibitis, publice privatimque gereretur. Tempus Comitiis deſtinatum *Dies comitiales* vocabantur. Sed notandum quod diebus ſacrificiorum, ludorum, & feriarum, ea haberi vetitum erat: neque etiam haberi poterant niſi præmiſſis auſpiciis. Vide Gell. *lib.* 13. *cap.* 14. Hæc de legibus, quæ Curiatis & Centuriatis comitiis ferebantur, ideo leges Curiatæ & Centuriatæ dictæ. Tributam legem nunquam a nemine dictam contendit Sig. lib. 3. *de antiq. jur. provinc.* Contra Nicol. Gruch. *Lex enim*, inquit, *tantum curiata & centuriata dicta eſt. Pro tributa plebiſcitum dixerunt.* Plebiſcitum eſt quaſi plebis ſtatutum: & definitur quod plebs plebejo magiſtratu interrogante (veluti Tribuno) conſtituebat. §. 4. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Et in eo differt a lege, quod lex Senatorio magiſtratu interrogante (veluti Conſule) ab univerſo populo lata, omnes omnino cives tam Patricios & Senatores, quam plebem obligaret. *Plebiſcitum* vero non Patricios, id eſt, qui ex origine Senatoria erant, nec Nobiles Romanos, verum plebem tantum obligabat. Differt enim in eo Plebs a Populo, quo ſpecies à genere: quippe appellatione Populi univerſi cives continentur connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus: Plebis autem appellatione cæteri cives, exceptis Patriciis & Senatoribus, ſignificantur. §. 4 *eod.* Eſt enim vilior pars populi: unde Cic. *pro Mil. plebs & infima multitudo.*

Plebiſcitum igitur eſt lex, quam plebs, non populus accepit. Gell. *lib.* 13 *cap.* 20. Nam & *plebiſcita* & *privilegia* tranſlato nomine leges appellaverunt. Donec primum tandem ad tollendas diſcordias inter Patres & Plebem *L. Valerio* & *M. Horatio coſſ.* lex centuriatis comitiis lata fuerit, qua ſanciebatur: *Ut quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret:*

qua lege Tribuniciis rogationibus acerrimum telum datum eſt. Liv. *lib.* 3. *cap.* 55. Deinde *Q. Hortenſius* Dictator poſt ultimam ſeceſſionem legem tulit; *Jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.* Gell. *lib.* 15. *cap.* 27. Sig. *in faſt. ab U. C.* 467. Plin. *lib.* 16. Liv. *lib.* 17. Plebiſcita itaque deinde leges appellata fuere, & univerſum populum tenuere.

Tulerunt & ſequentes Reges.] Sex poſt Romulum numerantur Reges, qui, prout Reipub. facies poſtulabat, diverſas & varias tulerunt leges. Numa Pompilius imprimis, cujus inclita religio & juſtitia erat, conſultiſſimus vir, ut illa quiſquam ætate poterat, omnis divini humanique juris peritus. Liv. *lib.* 1. *cap.* 18. varias tulit leges, quarum plurimæ reſpiciebant rem divinam, nonnullæ quoque ad civilem ſocietatem pertinebant; quas partim collegit Juſtus Lipſius, partim habet Gellius *lib.* 4. *cap.* 3. Plin. *nat. hiſt. lib.* 14. *cap.* 12. *Dionyſ. Halicar. lib.* 2. Miror quoties illarum legum harmoniam & conſonantiam, non tantum cum legibus divinis moralibus, verum etiam legibus Ebræorum ceremonialibus conſidero, ita ut non in totum a vero aberrare mihi videatur, quiſquis ex Moſis divinique fontis præceptis hauſtas fuiſſe aſſerit. Quamobrem ipſum Numam Pompilium, quem Pythagoreum vocarunt ob diſciplinæ ſimilitudinem (quamquam non ſine errore, cum multis ante Pythagoram annis eum floruiſſe ex Cic. *lib.* 2. *de orat.* & Liv. *lib.* 1. *cap.* 18. conſtet) a Judæis inſtitutum, eorumque imbibiſſe doctrinam cenſet *Clemens Alexandrinus*, eamque legem, qua cavetur, *Ne Dii cum ſimulacris colerentur*, ex legibus Moſaicis deſumtam putat. Ita enim inquit *Strom.* 1. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ a Moſe tradita ſunt, adjutus, probibuit Romanis, ne homini aut animali ſimilem Dei facerent imaginem.* Et Plutarch. *in Numa epiſt.* 65. *Jam hujus de ſtatuis ſcita undequaque Pythagoræ placitorum ſunt germana: Neque enim ille ſenſui aut dolori ulli expoſitum rerum principium eſſe, ſed inviſibile, incorruptum, ſola mente exiſtimavit apprehenſibile, hinc vetuit Romanis, ne hominis vel beſtiæ formam tribuerent ipſi Deo.*

Quæ

Quæ lex tam ſancte Romæ ſervata fuit, ut in centum & ſeptuaginta annis nullam imaginem nec effictam nec depictam fecerint: idem teſtatur Clemens. Et Plutarch. *in Numa. Neque fuit apud eos ante vel poſt picta vel ficta imago Dei, ſed primos centum ſeptuaginta annos templa extruxerunt & templa Diis: Simulacrum per id tempus nullum habuerunt, nefas eſſe putantes exprimere auguſtiora humilioribus, neque adſpirari aliter ad Deum quam mente poſſe. Sane*, inquit Seldenus, *quiſquis credere velit, libros illos ſeptem de diſciplina ſapientiæ, Græce conſcriptos, in agro Petilii Scribæ circa annum ab* U. C. DLXX. *ſub Janiculo repertos, Numæ ex arculæ inſcriptione tributos, & poſtmodum Senatus juſſu crematos, ipſius Numæ revera fuiſſe, is, Numam in iis, ſive diſciplinam aliquam Ebraicam, ſive ejuſdem propaginem tradidiſſe, non immerito forſan exiſtimabit. lib.* 1. *cap.* 2*: de jur. nat. & gent.* Vid. Liv. *lib.* 40. *cap.* 29. Neque ulla in eis ſcripta fuiſſe, niſi Pythagoricæ diſciplinæ conſona tradiderunt *Caſſius Hermina* & *C. Piſo*. Sane ſi Pythagoræ diſciplinam redolerent, quæ iſtis libris continebantur, quis dubitare poteſt, quin illa Ebræorum doctrinæ conſentanea fuerint: quippe conſtat Pythagoram multa eorum, quæ a Judæis recepta ſunt, in ſuam tranſtuliſſe diſciplinam. Origenes adverſus Celſum *lib.* 1. *Fertur Hermippum in libro primo de legiſlatoribus prodidiſſe, Pythagoram philoſophiam ſuam a Judæis ad Græcos traduxiſſe.* Imo adjicit *Clemens Alexandrinus* eum circumciſum fuiſſe, & quidem ritu Judaico, ut vult Laërtius *de vitis philoſop. lib* 8. De eodem ita Ambroſius, *Cum ex populo Judæorum genus Pythagoras duxerit, ut plerique arbitrantur, ex ejus diſciplina derivavit etiam magiſterii præcepta, merito magnus apud Philoſophos habitus, qualem, ut ajunt, vix repereris ullum.*

Sic etiam lex illa, qua cautum erat a piiſſimo rege Pompilio, *ut quis feſtis diebus ab omni opere abſtineret*, ex iiſdem divini fontis præceptis, id eſt, Ebræorum legibus deſumpta videtur, ejuſque auctorem Numam nuncupat Plutarch. *in ejus vita. In profeſtis & omnino in Sacerdotum feſtis, per urbem præcones præcedebant, qui ut quieſcerent & ab omni opere abſtinerent jubebant.* Hinc Servius ad Virgil. *lib.* 1. *Georg.* annotavit,

tavit, quod Pontifices ſacrificaturi, præmittere calatores ſuos ſolebant, ut ubi viderint opifices adſidentes opus ſuum prohibeant, ne pro negotio ſuo, & ipſorum oculos & ceremonias Deûm attaminent, feriæ enim Deorum operæ creditæ ſunt. Ex quibus perſpicimus non a vero alienum videri debere, & leges & inſtituta quædam Numæ Pompilii ex divini fontis præceptis & Ebræorum legibus deſumpta fuiſſe, unde illa harmonia & conſonantia, quam eorum cum divinis præceptis animadvertimus, originem ducit.

Superbus Demarati Corinthii filius.] Errat Juriſconſultus quod *Tarquinium Superbum Demarati Corinthii* filium nuncupat: quippe Demarati filius non *Superbus* fuit, ſed *Tarquinius Priſcus.* Gothofredus ad hunc locum annotat Priſco etiam nomen Superbi tributum fuiſſe, ideoque *Pomponium* demonſtrationis vel diſtinctionis cauſa Demarati patris adjeciſſe nomen, quando de Tarquinio Priſco ſermonem eſſet habiturus. Teſtes citat *Livium, Victorem, Plinium:* apud Livium vel Victorem id me legiſſe non memini, vel Plinium id teſtari nullibi invenire potui: quippe quæ apud Plinium de Tarquinio Superbo occurrunt, ultimo Regi, qui jure Superbus appellatus eſt, applicantur. Quidam aliam invenerunt rationem, ad Pomponii errorem tegendum; ſcilicet Tarquinium Superbum non quidem fuiſſe Demarati Corinthii filium, verum a Tarquinio Priſco genitum, nepotem fuiſſe Demarati, & conſequenter ſub verbo *filii* ſatis poſſe comprehendi, juxta *l.* 84. *ff. de verb. ſig.* ubi inquit *JCtus, Filiorum appellatione omnes liberos intelligi*; ergo & nepotes: quippe liberorum appellatione nepotes & pronepotes cæterique, qui ex his deſcendunt, continentur. *l.* 220. *ff. eod.* Pomponius qui JCtus fuit, eadem vel ſcribendi vel loquendi ratione uſus eſt, ideoque facile excuſandus.

Verum notandum, quod filiorum appellatione omnes liberi continentur, & conſequenter nepotes & pronepotes, id ex interpretatione contingit, non ex proprietate ſermonis: unde qui filiis tutorem dedit, nepotibus dediſſe non videtur, quia aliter filii, aliter nepotes appellantur *l.* 6. *ff. de teſtam. tut:* Cum autem in recenſendis Hiſtoriis maxime verborum proprietas

Digitized by Google

prietas attendatur, alioquin ſemper eſſemus incerti, quid proderet Hiſtoria: veroſimilius eſt, Pomponium in concinnanda juris Hiſtoria idem obſervare voluiſſe: præterquam quod illa extenſio in jure tantum quibuſdam in caſibus obtinet legibus expreſſis, ideoque ad conſequentias trahi non debet. Filium enim definimus, qui ex viro & uxore ejus naſcitur *l.* 6. *ff. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Non mirum videri debet Pomponium hic erraſſe, cum ſæpiſſime *JCti* in iis, quæ ad Hiſtoriam pertinent, fallant. Ita Ulpianus craſſe erravit, dum a Domitia Neronis filia Paridem Pantomimum decem, quæ ei dederat pro libertate repetiiſſe, ex Neratii ſententia ſcripſit. *l.* 3. *§.* 5. *ff. de condict. cauſ. dat.* Quoniam conſtat, Domitiam amitam Neronis filiam fuiſſe, ut annotavit Gothofredus, & teſtatur Tacitus *annal. lib.* 3. *cap.* 19. *Hæc Iturius & Calviſius a Timeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt.* Iiſdem erroribus obnoxius fuit ipſe Cicero, ut conſtat ex Gellio *lib.* 15. *cap.* 6. *Cum Ajacem pro Hectore acceperit.* Fuit igitur Damaratus Tarquinii Priſci pater, ex nobiliſſima *Bacchidarum* ortus familia, negotiator dives, ob ſeditiones domo profugus, Cypſelli dominationem fugiens, in Hetruriam commigravit. Liv. *lib.* 1. *cap.* 34. Plin. *nat. hiſt. lib.* 33. *cap.* 3. & *lib.* 25. *cap.* 12. Cic. 5. *Tuſc. quæſt.* comparatis opibus luculentis, a Tarquinienſibus populis benigne receptus fuit, duxitque uxorem ex illuſtri & generoſa apud Hetruſcos familia, ex qua duos progenuit filios, Lucumonem atque Aruntem. Aruns prius quam pater moritur, nec diu manet ſuperſtes filio pater, cui Lucumo ſuperfuit omnium bonorum hæres; Liv. *lib.* 1. *cap.* 39. Hic uxorem duxit *Tanaquil* ſummo loco natam, & quæ haud facile iis in quibus nata erat humiliora ſineret ea quæ innupſiſſet: itaque cum animadverteret maritum velut exulem advena ortum ſperni ab Etruſcis, ferre indignitatem non potuit: cumque ad aures ejus perveniſſet fama, Romæ virtutis magis quam nativitatis rationem haberi, ibique *Tatium Sabinum*, *Numam Pompilium*, *Ancum Martium* omnes peregrino loco ortos ad regiæ dignitatis faſtigium fuiſſe evectos, oblita ingeniti erga patriam amoris, dummodo virum honoribus auctum videret, conſi-

lium migrandi a Tarquiniis cepit: ſublatis itaque rebus Romam commigrarunt, & jus civitatis nacti pro Lucumone Lucii, & ab oppido Tarquiniorum Tarquinii nomen aſſumpſit, Priſci autem cognomen non tulit, niſi poſtquam L. Tarquinius Superbus florere cœpiſſet, Sig. *in notis ad Liv.* aliquamdiu Romæ moratus, propter opes, ingenii dexteritatem, & liberaliter dextreque obeundo officia, ut inquit Liv. *lib.* 1. *cap.* 34. in Anci Regis amicitiam inſinuatus eſt, voluitque Rex publicis pariter ac privatis conſiliis eum intereſſe, imo per omnia expertus, a Rege moribundo teſtamento liberis tutor inſtitutus eſt. Quorum commodis proprias rationes anteponens, brevi effecit, ut ingenti conſenſu Populus Romanus eum regnare juſſerit, ſuaque virtute effecerit, ut nunquam pœnituerit Romanos, quod de finitimis potius quam de ſuis Regem creaviſſent. Egregia ejus facinora, & ſpecioſa virtutis documenta hic enarrare nimis longum foret, de iis vid. Liv. *lib.* 1. *cap.* 34. *Dionyſ. Halicar.* Flor. *lib.* 1. *cap.* 5.

---

§. 3. *Exactis deinde Regibus*, lege Tribunicia *omnes leges hæ exoleverunt: iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine ali, quam per latam legem; idque prope viginti annis paſſus eſt.*

Exactis Regibus] id eſt, excluſis, ejectis, expulſis, quaſi extra actis. Sic apud Virgil. 2. *Æneid.* 34.

- - - - quos improba ventris
Exegit cæcos rabies.

& Cic. Philipp. 78. *Mimam illam ſuam, ſuas res ſibi habere juſſit, ex* XII. *Tabb. cauſam addidit, exegit.* Sic apud Terent. in eadem ſignificatione occurit *in prolog. Andr.*

Favete, adeſte æquo animo, & rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis, ecquid ſpei ſit reliquum,

Poſt

Poſthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ ſint vobis prius.

Exigendæ, id eſt, *excludendæ*, quia diſplicent. Sic etiam *Hecyr. prolog.*

Novas qui exactas feci ut inveteraſcerent.

Et mox ſubjungit:

Partim ſum earum exactus, partim vix ſteti.

Cic. *lib.* 1. *de orat. Quid in Numa Pompilio, quid in Servio Tullio, quid in cæteris regibus? quorum multa ſunt eximia, ad conſtituendam Rempub. Quid exactis regibus? tametſi ipſam ejectionem, mente non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus.*

Lege Tribunicia.] Quænam hæc lex Tribunicia fuerit, non adeo manifeſtum eſt: putat Cujacius intelligi legem, qua primum Tribunicia poteſtas conſtituta eſt, ſed a vero aberrat; quippe Tribuni ſeptimo decimo demum anno poſt ejectos Reges creati ſunt: & Pomponius intelligit legem, qua populus imperium Regi abrogare exulemque eſſe juberet, Lucium Tarquinium cum conjuge ac liberis.

Goveanus *variar. lect. lib.* 1. *cap.* 21. putat legem fuiſſe *Terentillam* a *C. Terentilla Arſa* Tribuno plebis promulgatam, de *quinqueviris creandis, legibuſque de imperio conſulari ſcribendis.* Verum & hanc opinionem amplecti nequeo, propter eandem rationem, quam ſtatim allegavi: quippe 47. annis poſt libertatem adeptam hæc lex lata fuit, anno ſcilicet ab *U. C.* 291. *T. Lucretio Tricipitino, & Veturio Gemino coſſ.* Liv. *lib.* 3. *cap.* 9.

Si meam ſententiam dicere liceat, puto duplici modo *legem Tribuniciam* explicari poſſe. Vel lex Tribunicia vocatur illa, qua populus per præconem ad *L. Brutum Tribunum celerem* vocatus, juſſit regi Tarquinio cum conjuge ac liberis exilium indici: vel dicitur lex Tribunicia, qua populus poſt reges jam exactos, interrogante L. Bruto Tribuno Celerum,

ne

ne unquam Romæ alius Rex regnaret. Hanc potius quam alteram a Pomponio intelligi puto, quoniam hac lege lata, recte demum Reges exacti dici poſſunt.

Omnes hæ leges exoleverunt.] id eſt, paulatim leges a Regibus latæ in deſuetudinem abiere; mutata enim Reipub. forma, ut novæ condantur leges neceſſe eſt; quæ præſenti ſtatui accommodantur. Veroſimile tamen eſt, populum ejecta dominatione regia, ſtatim illas abrogaſſe leges, quæ a *Tarquinio Superbo* latæ fuerant, tanquam injuſtæ & perperam promulgatæ, & tyrannicam redolentes dominationem: quippe nullus dubito, quin, quemadmodum populo bellum indicendi, fœdus feriendi; ita quoque leges ferendi, ceteraque jura ademerit. Hinc inquit Liv. *lib.* 1. *cap.* 49. *Regum primus traditum a prioribus morem, de omnibus Senatum conſulendi ſolvit. Domeſticis conſiliis Rempub. adminiſtravit, bellum, pacem, fœdera, ſocietates, per ſe ipſum, cum quibus voluit, injuſſu populi & Senatus fecit, diremitque.* Ideoque leges illas tanquam vim ſuam non habentes, quoniam populi conſenſu, & Senatus auctoritate deſtitutæ erant, abrogatas ſtatim fuiſſe opinor. Ut & eas, quæ ad Regium imperium pertinebant. Nam quædam leges, licet a Regibus promulgatæ, Reipub. tamen utiles, non modo ſublatæ, verum & reſtitutæ fuere, ut ex Dionyſ. conſtat. Quæ legum revocatio ſeu reſtitutio, debet conſiderari tanquam nova promulgatio a populo facta, ideoque licet ratione originis regiæ appellari poſſint, tamen omnem vim a populi conſenſu auctore Senatu ut cæteræ leges in duodecim Tabb. tranſlatæ habent, & idem ſortitæ nomen, atque merito dicit Pomponius, omnes leges regias tribunicia lege exoleviſſe, & incerto jure populum Rom. uti cœpiſſe; nam licet quædam leges regiæ non ſublatæ fuerint, ut dicere incepimus, attamen legis vim non habuere, antequam a populo approbatæ & receptæ ſunt.

Incerto jure.] Incertum jus vocatur, quod non ſcriptum, nec definitum eſt, verum ex arbitrio legiſlatoris pendet, & ab eo pro re nata & tempore, prout ipſi æquum videtur, conſtituitur.

Prope viginti annis.] Errat hic iterum *JCtus* in calculo, nam

nam quomodocunque computes, errorem invenies; ſive ab exactis Regibus uſquead conſulatum *Lucretii* & *Veturii*, quo de quinqueviris creandis actum eſt, computationem incipias, numerabis 46. annos: ſi ad tempus legationis ſpectes, quo tres legati ad leges a Græcis civitatibus petendas miſſi ſunt, 55. annos computabis: ſi tempus promulgationis reſpicias, 59. invenies; itaque quomodocunque rationes ineas, longe numerum vicenarium calculus excedet. Sed excuſemus Juriſconſultum, quem hominem fuiſſe novimus, cujus labilis ſæpiſſime eſt memoria, ideoque multis erroribus obnoxia.

---

§. 4. *Poſtea ne diutius hoc fieret: placuit publica auctoritate decem conſtitui viros, per quos peterentur leges a Græcis civitatibus, & civitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt. Ut poſſent leges apertius percipi datumque eſt iis jus eo anno in civitate ſummum: uti leges & corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur, neque provocatio ab iis, ſicut à reliquis magiſtratibus, fieret. Qui ipſi animadverterunt aliquid deeſſe iſtis primis legibus: ideoque ſequenti anno alias duas ad eaſdem tabulas adjecerunt, & ita ex accidenti appellatæ ſunt* leges duodecim tabularum: *quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.*

Publica auctoritate] univerſi populi conſenſu, penes quem ſummum jus reſidebat; non excluſa tamen auctoritate Senatus. Auctoritas erat in Senatu, ſicuti penes populum poteſtas & majeſtas: propterea populus *ſciſcere* & *jubere* dicebatur; Senatus vero *cenſere* & *auctor eſſe*. Quod conſtat

ex Liv. *lib.* 1. *cap.* 17. *Decreverunt enim, ut, cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent. Hodieque obſervatur in legibus magiſtratibuſque rogandis idem jus, vi adempta.* Ultima hæc Livii verba cum hac diſtinctione intelligenda ſunt, ſcil. quod patres hoc noſtro ſeculo, ſi ordine res geratur, quidem auctores fiunt, ita tamen, ut aliud jubeat populus, quam Senatui viſum eſt, non poſſunt irritum reddere quod actum eſt, quemadmodum olim. *Gronov.* ad illum locum. A primo enim urbis ortu, & poſt exactos Reges de nulla re populus judicavit, aut ſuffragia tulit, niſi ex conſulto Senatus: prius enim jubebat populus, deinde confirmabat Senatus. Quod Livius affirmare videtur in Numa *lib.* 1. ubi inquit: *Quirites Regem create, ita patribus viſum eſt: Patres deinde, ſi dignum, qui ſecundus a Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* & *lib.* 6. *Omnium comitiorum eo anno patres auctores facti ſunt.* Et Alex. ab Alexand. *Dier. genial. lib.* 4. *cap.* 11. *Leges quoque a populo latæ, haud aliter ratæ fuerunt, quam ſi patrum conſenſu approbarentur.* Verum hoc jus diu Senatus tenere non potuit. Nam de iis, quæ plebs ſciverat, non Senatus, ut prius, dijudicabat, ſed depravato uſu, de his quæ Senatus cognoverat, populus judex erat. *Quod patres apud majores noſtros tenere non potuerunt, ut eſſent reprehenſores comitiorum.* Cic. *pro Planc.* Et Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. ita inquit: *Ferebat autem ſuffragia, non univerſus populus, ſed per curias, & quicquid viſum fuit pluribus curiis, id ad Senatum referebatur. Qui mos noſtra ætate mutatus eſt: non enim Senatus plebiſcita, ſed plebs Senatuſconſulta ſuo aſſenſu comprobat.* Factum hoc lege *Mænia* a Mænio Tribuno plebis lata, qua cavebatur, ut ante initum ſuffragium patres auctores eſſent ejus rei, quam populus juſſurus erat: ita fiebat, ut quicquid populus juſſiſſet, ex auctoritate patrum actum videretur: cum antea poſt lata ſuffragia patrum auctoritas requireretur. Qua lege antiqua patrum auctoritas enervata fuit, & inutilis reddita.

Decem conſtitui viros.] Cujus rei cauſam attulit *C. Terentius Arſa*, de quo ſupra mentionem fecimus, qui anno ante undecimo *L. Lucretio*, & *T. Virginio*, cum conſulum imperium

rium nimium civitatique grave contenderet, legem promulgavit de quinqueviris, qui leges conſulari imperio ſcriberent, creandis: cui rogationi cum conſules & patricii acriter repugnarent, vix poſt longas graviſſimaſque inter Patricios & plebem contentiones, *Romilio, Veturioque coſſ.* in plebem militiam detrectantem impotentius ſe gerentibus, tandem eo ventum eſt, ipſo Romilio auctore, ut communis quædam iniretur legum ferendarum ratio: placuit itaque ex Senatuſconſulto, ut tres crearentur legati, qui a Græcis civitatibus jura peterent. Legati creati fuere *Sp. Poſthumius*, *A Manlius*, & *P. Sulpitius Camerinus.* Diſſentit Pomponius a Livio, Dionyſio aliiſque fide dignis ſcriptoribus, dum ſcribit decem conſtitutos fuiſſe viros, ad leges petendas, cum tres, ut jam diximus, duntaxat fuerint miſſi. Clarus Sylvius in ſuis commentariis ad *ll.* XII. tab. putat, tres illos legatos ex decemviris fuiſſe, qua ratione aliquo modo defendi poſſet Pomponius; ſcilicet, Pomponium illos tres legatos dixiſſe decemviros, quia repræſentabant decemviratum, & ita partem poſuiſſe pro toto. Verum iſta conciliatio admitti nequit, quoniam ex Livio luce meridiana clarius conſtat, quod poſtquam legati rediiſſent, decemviros creari placuerit. Inter quos *Sp. Poſthumius*, & *A. Manlius* quoque numerantur. Profecti ſunt legati *Sp. Tarpejo*, & *A. Aterio coſſ.* ſeque Athenas contulerunt, quia tum erat bonis moribus & inſtitutis florentiſſima Athenienſium civitas, & ſapientia virtuteque præſtantem habebat gubernatorem *Periclem*, pauloque ante duces habuerat, belli ac pacis artibus adeo inſignes, ut nominis fama non tantum mare, ſed & terras impleverit, *Themiſtoclem*, *Ariſtidem*, *Cimonem.* Neque magis opportune Athenas venire potuiſſent, quippe ſi ſerius veniſſent, non vidiſſent illum civitatis & Reipub. florem, cum interjecto aliquo tempore, bello Peloponneſiaco tam miſere lacerata & attrita fuerit, ut nunquam priſtinum decus recuperare potuerit. Dionyſius tradit, miſſos quoque legatos ad eas Græcorum civitates, quæ in Italia erant, in ea ſcilicet parte, quæ olim magna Græcia dicta eſt: nam & ea habebat civitates bonis moribus & inſtitutis florentiſſimas. Nulla tamen earum bonis diſcipli-

ſciplinis & æquis legibus ditior erat Athenis, quare hanc potiſſimum elegerunt, unde jura peterent. Vigebant adhuc *Solonis* ſapientiſſimi legiſlatoris *tabulæ*, quibus vel æquiores, vel honeſtiores excogitari nullæ poterant. Ita ut tunc temporis Athenienſis illa civitas eſſet quaſi bonarum artium & diſciplinarum officina, quæ univerſam Græciam erudiret: cujus mores cæteræ civitates imitarentur, & quæ nata videretur ad leges aliis populis dandas. Tucydid. *lib.* 2. Hinc Cic. *pro Flacco*. ***Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrinaque, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*** Poſt trium annorum decurſum, *Mænenio* & *Seſtio coſſ.* legati cum legibus revertuntur. Inſtant Tribuni, ut legum ſcribendarum fieret initium. Res refertur ad Senatum, Patres in utramque partem inclinantes, varias dixere ſententias: quidam ſuis moribus, alii ſcripto ac certo jure Rempub. tranctandam eſſe opinabantur. Vicit tandem *Appii Claudii* ſententia, qui Conſul in eum annum deſignatus erat, & Senatuſconſultum factum eſt, ut reliquis magiſtratibus abrogatis, *decemviri* crearentur cum imperio conſulari & regio ſine provocatione, qui ex patriis moribus, legibuſque etiam regiis, & peregrinis optimas ſeligentes nova jura conderent, quæ ubi Senatus populuſque probaſſet, in perpetuum populum Romanum obligarent. Notandum autem omnes antiquas leges hiſce legibus non fuiſſe abrogatas, ſed quædam cum iis manſerunt: Liv. *lib.* 6. *Imprimis fœdera & leges* (*erant enim eæ duodecim tabulæ, & quædam regiæ leges.*) Sic *leges ſacratas*, & legem *Iciliam* non ſuſtulerunt. Liv. ibidem, ſed quædam leges regiæ in XII. tabb. redactæ ſunt, & reſcriptæ, ita ut reſtituantur: nec immerito quis eas vocaverit leges XII. tabb. quoniam iis ſunt quaſi reſtitutæ & reparatæ, nec abs re eſt etiam regias appellari, ratione originis. Clarus Sylvius *in ſuis comment. ad leg.* XII. *tabb.* Hi decemviri decimo die ſinguli jus promptum & veluti ex oraculo incorruptum populo dicebant, dabantque. Interea univerſi legibus condendis operam dabant: donec tandem ingenti hominum exſpectatione propoſitis decem tabulis, populum ad concionem advocarunt: & quod bonum, fauſtum, felixque Reipub. ipſis

Digitized by Google

ipſis liberiſque eorum eſſet, ire & leges legere propoſitas juſſerunt. Se, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus ſummis infimiſque jura æquaſſe. Plus pollere multorum hominum ingenia conſiliaque. Verſarent in animis ſecum unamquamque rem, agitarent deinde ſermonibus, atque in medium quid in quaque re plus minuſve eſſet, conferrent. Has leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium non juſſiſſe magis quam tuliſſe videri poſſet. Quum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito, ſatis correctæ viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ ſunt.

In tabulas Eboreas.] Non Eboreas, ſed æneas cum Livio & Dionyſio fuiſſe cenſeo. Liv. teſtatur prius quam urbem egrederentur (ſcil. Conſules ad bellum profecturi) *leges decemvirales, quibus tab. duodecim eſt nomen, in æs inciſas in publico propoſuiſſe.* Dionyſius in baſes æneas vel æreas columnas inciſas ſcribit. Et apud Diodor. Sicul. legimus, *jura populi Romani ſic abſoluta*, XII. *tabulis æneis inciderunt, eaſque pro curiis roſtris adfixere.* Hanc conſuetudinem incidendi leges in æs affirmat quoque Plin. *lib.* 34. *cap.* 9. ubi inquit: *Uſus æris perpetuitatem monumentorum jam pridem tranſlatus eſt, tabulis æreis in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.* Et Suetonius *in Cæſare, Romani veteres, ſuas leges ex jure decemvirali promulgatas, atque in æs inciſas, in ærarium condebant.* Hinc canit Ovid. 1. *Metam.*

> - - - *Nec verba minacia fixo*
> *Ære legebantur.*

Per quæ verba intelligit leges, quæ æreis tabulis inſcriptæ, & loco conſpicuo adfixæ, publice legendæ proponebantur. Unde *leges figere*, & *refigere*, pro leges *ferre* & *abrogare*.

> - - - *fixit leges pretio, atque refixit.*

Virgil. *Æneid. lib. 6.* Et Cic. *Philipp.* 3. *Falſas leges C. Cæſaris nomine, & falſa decreta in æs incidenda, & in Capi-*

Digitized by Google

tolio figenda curavit. Et idem, *acta Antonii reſcidiſti; leges refixiſti per vim.* Sic etiam in *l.* 8. *ff. ad L. Jul. pecul. Qui tabulam æream, leges, formamque agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde mutaverit, lege peculatus tenetur.* Vetus mos incidendarum in æs conſtitutionum & legum, uſque ad poſteriorum Cæſarum tempora duravit, ut videre eſt in *l.* 2. *Cod. de frument urb. Conſtant.* ubi Imperatores *Theodoſius* & *Valentianus* jubent tabulis æneis incidi legem ſuam de frumento urbis *Conſtantinopolitanæ.* Et in Codice *Theodoſiano, lib.* 11. *tit.* 27. extat lex *Conſtantini*, qua voluit, ut *tabulis æreis, vel Ceruſſatis aut Linteis mappis ſcripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex*, &c.

Pro roſtris compoſuerunt.] Poſtquam tabulæ jam compoſitæ & in æs inciſæ erant, pro roſtris propoſuerunt illuſtri loco in foro ante *Curiam Hoſtiliam*, in quo loco erat extructum ſuggeſtum ex roſtris navium, quas Romani ab *Antiatibus* cepiſſent Liv. *lib.* 8. *cap.* 15. *Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum, adornari placuit: Roſtraque id templum appellatum.* Et Plin. *lib.* 16 *cap.* 4. *Ante Roſtra navium tribunali præfixa fori decus erant, velut populo Romano ipſi corona impoſita.* Cic. *pro lege Manil. In eum ipſum locum aſcendere, quem majores exuviis nauticis, & claſſium ornatum reliquiſſent.* In eo loco & leges ferri, & conciones ad populum haberi, & magiſtratus ſedere, & clarorum virorum imagines, qui Reipub navaſſent operam, pro immortali gloria coli ſolebant. Cic. *pro Rabir. Si lex ferretur, convolaretis ad Roſtra.* Et Plinius. *Concionaturi Roſtra aſcendebant.* Et Cic. in Philipp. teſtatur, *Q. Octavii clari & magni viri, qui prius in familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, conſulatum attulit, ſtatuam videmus in roſtris.* Haſce tabulas pro roſtris incolumi ſculptura propoſitas, ſua adhuc ætate perduraſſe ſcribit Diodorus Siculus, *lib.* 12. qui Auguſti vixit temporibus. Imo Cyprianus pluſquam ducentis poſt eum annis, referente Balduino in *lib. de leg.* XII. *tabb.* ſuo tempore nondum expunctas fuiſſe teſtatur, in *lib.* 2. *epiſt.* 2. *ad Donatum.* cum ita ſcribit: *Inciſæ ſint licet leges* XII. *tabulis, & publico ære præ-*

Digitized by Google

præfixo jura perſcripta ſint, inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illic, ubi defenditur, reſervatur.

Jus eo anno in civitate ſummum.] Summum jus vel ſummam habere poteſtatem in civitate ille dicitur, cujus actus alterius juri vel poteſtati non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſent reddi. Grot. *de jur. bel. & pac. lib.* 1. *cap.* 3. qualis fuit poteſtas decemvirorum, utpote qui diſſolutis omnibus magiſtratibus, & ad populum provocandi jure, illuſtriſſima ſummæ poteſtatis nota, ſublato, abſolute, nullum ſuperiorem agnoſcentes, Rempub. tractabant. Hinc leges corrigendi & interpretandi jus apud eos, tanquam ſumma poteſtate ornatos, reſidebat. *Jus enim* (inquit Pomponius) *eo anno in civitate ſummum eis datum eſt: ut leges corrigerent ſi opus eſſet, & interpretarentur.* Quemadmodum condere & ferre leges, ita eas interpretari & corrigere, ſummi imperantis eſt. *Si enim in præſenti condere leges ſoli Imperatori conceſſum eſt: & leges interpretari, ſolo dignum imperio eſſe oportet:* inquit Juſtinianus in *leg. ult. Cod. de leg.*

Neque provocatio ab eis.] Merito inquit Pomponius, ſummum Decemviris jus in civitate fuiſſe datum, quia ab eis ſicut a reliquis magiſtratibus provocatio nulla concedebatur. *Placet*, inquit Liv. *lib* 3. *cap.* 32. *creari decemviros ſine provocatione.* Imo quidam ampliorem habuiſſe poteſtatem, atque olim ipſi Reges, licet eximio pollebant imperio, volunt. Quippe ab ipſis provocandi ad populum jus fuiſſe, docere nos voluiſſe videtur Liv. in judicio Horatiano *lib.* 1. & Dionyſ. Halicarnaſſeus *lib.* 3. Quæ provocatio meo judicio non debet conſiderari tanquam jus populo quæſitum, verum tanquam ſpontanea & ex libera Regis voluntate profecta conceſſio. Quippe conſtat, ſummam poteſtatem, ut ſuperius diximus, liberumque nulliſque legibus circumſcriptum imperium habuiſſe Romanos Reges, atque in eorum manu, ut Pomponius loquitur, omnia fuiſſe. Hinc Dionyſius *lib.* 2. ſermonem habens de Romuli legibus atque inſtitutis, teſtatur, eum legum & juris cuſtodiam judiciaque criminalia penes ſe & ſequentes Reges retinuiſſe. Diſſentiunt

à ſe

Digitized by Google

à ſe invicem hic ſcriptores. Tradit Liv. *lib.* 1: Horatium ad Regem Tullum Hoſtilium raptum in jus fuiſſe, verum Regem, ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus judicii, ac ſecundum judicium ſupplicii auctor eſſet, concilio populi advocato, *duumviros, qui Horatio perduellionem judicarent, feciſſe.* Dionyſius Halicarnaſſeus teſtatur, Regem Tullum Hoſtilium cognitionem criminis ſuſcepiſſe, verum cum neque condemnare vellet civem, qui optime de Repub. meritus erat, neque nocentem abſolvere, eam cognitionem ad populum remiſiſſe. Valerius ſibi non conſtat *lib.* 6. *cap.* 2. refert enim, Horatium cum ſororem ſuam virginem Curiatii ſponſi mortem profuſius quam illa ætas debebat, flentem vidiſſet, gladio, quo patriæ rem bene geſſerat, interemiſſe, *hoc nomine reum ad populum actum fuiſſe*, nullam de Rege mentionem faciens. Cum *lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 1. tradit, *M. Horatium interfectæ ſororis crimine a Tullo rege damnatum, ad populum provocato judicio abſolutum fuiſſe.* Quibus ex verbis perſpicimus cognitionem ſive criminale Horatianum judicium quidem pertinuiſſe ad Regem, verum a Rege ad populum provocandi jus reo fuiſſe, idque ſcripſerat Tullius in libris de Repub. referente Seneca *epiſt.* 108. *Ciceronis libros de Republica*, inquit, *cum prehendit philologus, provocationem ad populum etiam a regibus fuiſſe notat.* Et M. Fabius apud Liv. *lib.* 8. *cap.* 33. ad dictatorem orationem habens: *Quandoquidem* (inquit) *apud te nec auctoritas Senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitaſque magiſtri equitum a te ipſo nominati valet: nec preces, quæ ſæpe hoſtes mitigavere, quæ deorum iras placant: tribunos plebis appello, & provoco ad populum, eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti Senatus judicium, judicem fero, qui certe unus pluſquam tua dictatura poteſt polletque; videro ceſſuruſne provocationi ſis, cui rex Romanus Tullus Hoſtilius ceſſit.* Videamus quo pacto hæc omnia conciliari poſſint: Quippe, ut ſuperius ex Dionyſio retulimus, conſtat, penes Reges ſummum fuiſſe imperium poteſtatemque adnimadvertendi in homines facinoroſos, rerumque criminalium cognitionem & judicium habuiſſe; idque a ſe ipſis, nullo interveniente populi conſenſu vel ſuffragio: nam ut Pomponius teſtatur *l.* 2. *ff. de orig.*

orig. jur. §. 19. *initio urbis omnem Reges poteſtatem habuere.* Et Liv. *lib.* 2. tradit, *Tarquinium Superbum cognitionem rerum criminalium per ſe ſolum ac ſine conſilio exercuiſſe, perque eam cauſam occidere, in exilium agere, bonis multare potuiſſe.* Itaque quum omnem populus in Principes poteſtatem, quæ merum imperium, & judicia criminalia amplectitur, ut videre eſt in *l.* 3. *ff. de juriſdict.* contulerit, quorſum ad populum provocatio? Verum ſi diligenter examinemus, quæ ſupra allegati ſcriptores de ab Rege ad populum provocatione tradunt, facile ex illis colligimus, Horatianæ cædis cognitionem ad Regem Tullum quidem pertinuiſſe, ut & ad Reges ſequentes judicia criminalia ſpectarunt, verum ne tam triſtis ingratique judicii invidiam ad populum ſubiret, vel auctor eſſet ſubvertendi judicii ſi abſolviſſet, Tullo Regi optimum factu viſum eam cognitionem ad populum referre. Tradit Livius concilio populi advocato Duumviros creaſſe Regem Tullum Hoſtilium, qui Horatio ſecundum legem perduellionem judicarent. Quod idem eſt, ac ſi ipſe cognitionem ſuſceperit; quippe quod ad ſe pertinebat, Duumviris demandavit, qui ſua vice fungerentur; quod quis enim per alium facit per ſe feciſſe videtur. Dionyſius nullam quidem de concilio a Tullo Rege convocato, neque de Duumviris, quibus cognitionem de Horatiana cæde demandavit, ſive de provocatione mentionem facit, verum Regem ipſum primo ſuſcepiſſe cognitionem, & tandem poſt longam hæſitationem ipſi viſum factu optimum eam ad populum referre, propter rationem jam dictam. Ideoque Regem criminalem juriſdictionem ſive merum imperium habuiſſe privative ut ita dicam a ſe ipſo; quamobrem poſt admiſſum facinus ſtatim raptum Horatium ad Regem fuiſſe affirmat Liv. in eo cum Dionyſio conſentit. Verum minus accurate formam procedendi a Rege Tullo Hoſtilio adhibitam deſcribit, quam cum omnibus ſuis circumſtantiis tradere nobis voluit Livius. Atque parum intereſt, an per viam provocandi a Duumviris, vel directe a Rege ad populum per provocationem cauſæ cognitio delata fuerit: dummodo probemus, populum de Horatiana cæde judicium non habuiſſe, niſi interveniente conſenſu Regis, & quod Dionyſius minus dicit, hoc petendum & ſup-

plendum ex Livio; non inter ſe pugnant magis & minus. Et eo ſenſu intelligenda, quæ tradit Valerius *cap.* 1. *lib.* 8. *M. Horatium interfectæ ſororis crimine a Tullo Rege damnatum.* Nulla mentione Duumvirorum facta, quamvis *cap.* 2. *lib.* 6. nullum de Rege habens ſermonem, dicit *hoc nomine apud populum reum actum Horatium.* Scil. permittente & volente Tullo Hoſtilio, cujus conſenſus & permiſſionis rationem jam ſupra ex Dionyſ. & Liv. perſpeximus. Itaque ſponte & voluntarie ceſſit Tullus Hoſtilius provocationi. Quippe Horatio Regem auctorem fuiſſe, ut ad populum provocaret, conſtat ex iis, quæ a Liv. & Dionyſ. narrantur, *Acceſſerat lictor, injiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo clemente legis interprete,* PROVOCO *inquit.* Liv. citato loco. Itaque quod ſemel contigit in judicio Horatiano, Principe volente, ex eo non deducere poſſumus jus aliquod populo quæſitum, quo ipſi cognitionem rerum criminalium per provocationes competere affirmare quis vellet; conſenſus enim ultra illum caſum ſingularem extendi nequit, niſi accedat ipſius Principis benigna interpretatio. Ex quibus concludimus, provocandi ad populum ſub Regibus niſi ſpeciali conſenſu Principis jus non fuiſſe, cujus exemplum nullum, niſi illud Horatii apud auctores tempore Regum occurrit, quod me legiſſe memini. Sed poſſint nobis objici illa, quæ M. Fabius dictatorem alloquens profert, cum inquit, *Videro ceſſurnſne provocationi ſis? Cui Rex Romanus Tullus Hoſtilius ceſſit.* Ubi Regem Romanum comparat Dictatori, quem ex Livio patet ceſſiſſe provocationi. Sponte autem an neceſſario id factum dubitari poſſet. Notandum olim a Dictatore non magis atque a Rege non conſentiente provocari licitum fuiſſe. Liv. *lib.* 2. quod & Feſtus affirmat, cum inquit: *Optima lege cum dicebatur, in magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet jus ſignificabatur, ut fuit M. Valerii, M. Fabii Voluſinæ gentis, qui primus magiſter a populo creatus eſt. Poſtquam vero provocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, eum optima lege eſſe, utpote imminuto jure priorum magiſtratuum.* Ex quibus verbis reſpondebimus, olim ante legem Valeriam de provocatione, a Dictatore provocari non licuiſ-

licuiſſe, poſt latam autem legem illam Valerii generalem, *ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet. Qui creaſſet, eum jus faſque eſſet occidi, neve ea cædes noxæ haberetur.* Liv. *lib.* 3. (ſpecialis autem lex qua cautum fuit; *ne Dictatorem quis ſine provocatione crearet*, nullibi quod memini reperitur) provocari licuiſſe; dicendum ideoque, quod ante jus illud novum, cujus mentionem facit Feſtus, fuit voluntatis, poſtea fuit neceſſitatis. Sed quare non ab ea lege Valerii exceptum atque ſolutum fuiſſe Dictatorem, ideoque ſponte ut Reges ceſſiſſe provocationi dicemus propter ea; quæ Titum Quintum Conſulem apud Livium ita in Senatu differentem legimus *lib.* 4. *Conſules immerito increpari, qui conſtricti legibus de provocatione ad diſſolvendum imperium latis, nequaquam tantum virium; in magiſtratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. Opus eſſe non ſolum forti viro, ſed etiam libero exſolutoque legum vinculis, itaque ſe Dictatorem L. Quintum dicturum, ibi animum parem tantæ poteſtati eſſe.* Dicere poſſumus legem Valeriam vetuiſſe, ne quis magiſtratum ſcil. ordinarium ut Conſulem, ſine provocatione crearet. Ita ſupra demonſtravimus, Comitiis Centuriatis creatos fuiſſe magiſtratus, ſcil. ordinarios, ut *conſules, prætores, cenſores.* Dictatorem vero voce magiſtratus reſpectu creationis non contineri, quia erat extraordinarius, ideoque hiſce quoque comitiis non creabatur. Veroſimile enim eſt, quia Dictator non erat magiſtratus ordinarius, verum in ſumma Reipub. neceſſitate creabatur, quando bellis inteſtinis & ſeditionibus jactata, neceſſe erat illi per unum conſuli, omnibus legibus majorem poteſtatem habentem, cæteris magiſtratibus ceſſantibus ſpeciali aliqua lege datum provocandi a Dictatore jus fuiſſe. Idque eo magis, quod illam provocandi libertatem dolet Tullius tanquam legum omnium diſſolutionem, quæ adhortabatur adoleſcentes & cives, *ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi eſſe velint.* Itaque vix credere poſſum ab eo magiſtratu, qui creabatur ut ſeditio, bella inteſtina e Repub. tollerentur, provocandi licentiam, eorum incommodorum cauſam, ulla lege datam reis fuiſſe, ſaltem nulla ſpecialis lex extat. Et diſerte Pomponius §. 18. teſtatur, a Dictatoribus provocandi jus non fuiſ-

 ſe

ſe indiſtincte, & quidem eo tempore, quo appellatio a Dictatore ex mente Feſti. Itaque concludimus, argumento a Dictatore ad Regem non probari a Regibus provocandi jus fuiſſe. Verum ab uno & altero provocari jure non potuiſſe putamus, donec fortioribus argumentis & rationibus victus, contrariam ſententiam amplecti cogor.

Leges duodecim tabb.] *Non eſt mea auctoritas tanta, meo ut teſtimonio valde commendari, meiſque nunc verbis ornari, ſicut merentur, poſſint*, inquit Balduin. *in comment. ad LL.* XII. *tabb.* Haſce leges *veteres* appellat Cajus in principio *h. t.* Et in *l.* 1. *ff. de petit. hered.* *Antiquam legem* vocat Antoninus Imperator in *l.* 1. *Cod. de except.* *Legum fontes* appellantur a Cicerone. A Livio *lib.* 3. *cap.* 34. *Fons omnis publici privatique juris*. *Finis æqui juris* a Tacito vocatur. Præclarum vero extat teſtimonium Craſſi apud Ciceronem 1. *de orat.* ubi ita inquit: *Sive quem hæc aliena ſtudia delectant, plurima eſt in omni jure & in pontificum libris, & in duodecim tabulis antiquitatis effigies. Quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur & actionum genera quædam majorum conſuetudinem vitamque declarant. Sive quis civilem ſcientiam contempletur, quam Scævola non putat oratoris eſſe propriam: ſed cujuſdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus* XII. *tabb. contineri videbitis. Sive quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, quæ jure civili & legibus continentur. Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur* XII. *tabb. libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit & auctoritate & pondere & utilitatis ubertate ſuperare.* Imo tantam olim exiſtimarunt earum utilitatem, ut ipſi etiam pueri male inſtituti viderentur, niſi a teneris annis haſce imbibiſſent, atque memoriæ mandaſſent. Teſtatur Cicero ſeſe adhuc puerum hiſce ediſcendis continuo applicaſſe, & cum jam ad provectiorem perveniſſet ætatem, & multo rerum uſu eſſet prudens, ſibi eo nomine gratulatum, & doluiſſe alios in hac re fuiſſe negligentiores. *Diſcebamus* (inquit) *duodecim ut carmen neceſſarium, quas jam nemo diſcit, lib.* 2. *de ll. cap.* 23. Ferunt Favorinum quoque philoſophum ſoli-

ſolitum dixiſſe, ſeſe non minus leges duodecim tabularum legiſſe, quam Platonis decem libros de legibus. Gell. *lib.* 10: *cap.* 1. Et merito talibus decorantur laudibus: hiſce enim univerſi juris divini humanique partes comprehenſæ ſunt; unde canit Auſonius:

Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, & populi commune quod uſquam eſt.

Unde factum eſt propter juris præſtantiam, cum quid in lege ſcriptum eſſe diceretur, de XII. tabb. intelligatur: & legitimæ hereditates, & legitimæ tutelæ appellarentur, quæ legibus duodecim conſtituerentur, & legis actiones, quæ ex iis originem habebant. Sig. *lib.* 1. *cap.* 6. *de antiq. jur. civ. Rom.*

Quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium, in Italia exulantem, quidam retulerunt.] Hujus Hermodori Epheſii neque Dionyſius, neque Livius mentionem faciunt: Pomponius hanc Hiſtoriam neque affirmat, neque negat, verum refert tantum, quæ alii de hac re tradiderunt, propterea fortaſſe, quod huic relationi fidem habere non potuerit: quippe illarum legum aliam occaſionem & compoſitionem paulo ante prodiderat, cujus etiam Livius & Dionyſius meminerunt. Fuit autem iſte Hermodorus, ut Strabo, Diogenes Laërtius, Plinius reliquere, vir ſingulari probitate inſignis, ab Epheſiis vitiis inquinatiſſimis, ideoque neminem frugi vivere tolerantibus, ut inquit Alex. ab Alex. *lib.* 5. *cap.* 18. *dier. genial.* urbe exactus, *quod neminem ipſorum inæqualem eſſe, id eſt, cæteris excellere vellent*, ut teſtatur Diog. Laërt. *in Heraclito Epheſio.* Unde Cic. *lib.* 5. *Tuſc. Eſt apud Heraclytum phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro; univerſos ait Epheſios morte mulctandos, quod cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: nemo de nobis unus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit.* Et apud Strab. *lib.* 14. *pag.* 42. legimus ſequentia: *Viri in ea memorabiles nati ſunt, antiquis temporibus Heraclytus, qui Scoteinus, id eſt, tenebricoſus fuit cognominatus, ob obſcuritatem ſermonis: & Hermodorus, de quo ſic Heraclytus: Digni ſunt*

 Ephe-

conſuetudiniſque ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum periti eſſent: ex quorum conſilio & auctoritate jus redderetur. Ex illis igitur multi prudentia longo rerum uſu comparata, & juris peritia conſpicui, ad eas populo interpretandas ſe contulerunt, & capita inter ſe conferentes fori diſputationem introduxerunt. Sig. *lib.* 1. *cap.* 6. *de antiq. jur. civ.* Diſputationem hanc non modo inter litigatores, ſed nonnunquam inter ipſos etiam prudentes fuiſſe credendum eſt, donec poſt multas varietates tandem apparuit quid prudentibus, & peritioribus magis probaretur. Fab. *in rational. lib.* 1. *cap.* 2. Hinc eſt, quod Hermog. *in l. fin. ff. pro legat.* inquit, *pro legato uſucapit, cui recte legatum relictum eſt. Sed & ſi non jure legatum relinquatur, vel legatum ademptum eſt, pro legato uſucapi, poſt magnas varietates obtinuit.* vid. etiam *l.* 32. *ff. de oblig. & act.* ubi eadem phraſis occurrit.

Quod ſine ſcripto venit.] Sine ſcripto venire jus dicitur, quod non a ſcripto, quemadmodum jus ſcriptum, ſumebat auctoritatem, ſed a prudentum ſolummodo eruditione & dignitate. Imperator Juſtinianus jus univerſum in duas deſcribit partes, *in ſcriptum*, & *non ſcriptum*; ſcriptum vocat legem, non ſcriptum conſuetudinem ſeu mores §. 3. *inſt. de jur. Nat. gent. & civ. l.* 32. *ff. de leg.* Verum notandum, quod etiamſi lex opponatur juri non ſcripto, attamen ſcripturam ad eſſentiam legis minime pertinere, ſed eam ab expreſſa voluntate & ſanctione ſummi imperantis dependere. Lex enim eſt decretum ſummæ poteſtatis, quæ plerumque quidem ſcribitur, ut eo facilius innoteſcat populo, verum & lex eſt antequam ſcribitur, modo conſtet de voluntate ejus, qui ferendi legem jus habet. Confirmant id evidentiſſime Lacedæmoniorum leges, quæ licet non erant ſcriptæ, attamen leges vocabantur. Contra, quanquam reſponſa prudentum in ſcripturam redigebantur, & vel litigatoribus ſignata dabantur, vel judicibus ipſis ſcribebantur, tamen jus non ſcriptum vocabantur. Verum quare lex jus ſcriptum dicitur? ſcilicet, quia Romani leges ſcribere, & ſcriptas promulgare ſolebant, id eſt, in tabulis inciſas publice proponere, quemadmodum leges

leges XII. tabb. in æs inciſæ pro roſtris publice proponebantur, ut ab omnibus poſſent videri, & unicuique conſtare quid legibus ſanciebatur. Quemadmodum itaque Juſtinianus jus ſcriptum ſive legem opponit conſuetudini ſeu juri non ſcripto, ſic Pomponius prudentum reſponſa opponit legibus XII. tabb. quibus illa tempeſtate *jus ſcriptum* continebatur, utpote quibus omnia requiſita applicari poſſunt, quæ legibus ſeu juri ſcripto tribui ſolent. Verum poſſet nobis objici, a Juſtiniano reſponſa prudentum inter partes juris civilis ſcripti quoque numerari, ut videre eſt in §. 3. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Sed reſponderi mihi poſſe videtur, initio inſpecto, jus hoc ſcil. prudentium reſponſa ſine ſcripto veniſſe; verum interjecto tempore poteſtas reſpondendi de jure juriſprudentibus a Cæſaribus conceſſa fuit, eorum reſponſa pars juris civilis eſſe cœperunt, præſertim cum Theodoſius vim legis ipſis tribuerit *l. 1. Cod. Theod. de reſpon. prud.* & deinde Juſtinianus vicem legis obtinere voluerit, & juri ſcripto annumerari. *l. 1. §. 6. Cod. de veter. jur. enucl.*

Compoſitum a prudentibus.] Occurrit hic nobis quæſtio examinanda: An quædam ſit ſtatuenda differentia inter *juriſperitum*, & *juriſprudentem?* Affirmat Conring. in opere *de Fin. imp. exer.* Juriſperitum rectius vocari eum, quem quidem juris, quod in Repub. obtinet & obſervatur, non fugit notitia, verum ignorat num illud Reipub. expediat nec ne: juriſprudentem autem illum eſſe, qui non tantum jus novit, ſed etiam quid Reipub. utile eſt, ejuſque conſervationi inſervit, quid iterum huic nocet, providit, & proinde leges præſenti Reipub. ſtatui conſentaneas ferre ſollicitus eſt. Alii in contrariam adducti opinionem, omne diſcrimen rejiciunt, moti §. 8. *inſt. de jur. nat. gent & civ.* Alii iterum diſtinctione litem dirimere conantur, quorum in numero habetur Amad. Echolt. *in comment. ad pand. lib. 1. cap.* 2. ubi diſtinguit inter juris publici prudentiam, quæ jus ſtatum Reipub. ejuſque gubernationem ac conſervationem concernens, applicatur illis negotiis & actionibus, quæ directe ad Reipub. ſtatum pertinent, & inter juris privati prudentiam, qua jus negotia civium privata dirigens, ad iſtiuſmodi negotia accommoda-

modatur. Verum quid de Juriſconſulto & Juriſperito dicemus, Frantzius *in comment. ad D. lib.* 1. *cap.* 2. ſtatuit; nimir. quod etſi Juriſconſultus quoque ſit Juriſperitus, proprie tamen a jurisperito differre, quod olim Juriſconſulti vocabantur Anteceſſores, qui jus publice profitebantur, & ſtudioſi juris, qui & candidati, iique plerumque adſeſſores erant *l.* 1. §. 1. *Cod. de aſſeſſ. l.* 2. *ff. quod quiſque jur. in alter.* vel etiam libris ſeu orationibus principalibus legendis vacabant *l. unic. ff. de offic. quæſt.* juriſperiti autem erant pragmatici, qui & formularii & leguleji vocabantur, propterea quod in formulis componendis occupati erant, & quaſi mercenarii, Echolt. *cit. loc.* Verum hæc differentia mihi a quibuſdam excogitata potius videtur, quam ſolidis rationibus ſubnixa; neque in corpore noſtro juris, neque apud ullos probatæ notæ antiquorum monumentorum ſcriptores ullum hujus differentiæ extat veſtigium. Verum contra promiſcue hiſce denominationibus utuntur, & eandem illis ſignificationem tribuunt, patet illud ex hoc noſtro titulo, cujus explicationi incumbimus, §. 3. ubi auctores & conditores juris civilis a Pomponio jurisperiti vocantur, quos in hoc paragrapho prudentes appellat, *Conſtare jus non poſſe* (inquit) *niſi aliquis ſit juriſperitus, per quem poſſit quotidie in melius produci.* Sic etiam Cic. 1. *de orat. legum conſuetudiniſque ejus, qua privati uterentur in civitate, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum periti eſſent.* Quem hic peritum vocat, alio loco iterum appellat Juriſconſultum, ut 3. *de orat. De jure prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota eſſent venditori: nam cum* XII. *tabb. ſatis cautum erat, ea præſtari, quæ eſſent lingua nuncupata; quæ qui inficiatus eſſet, duplici pœnam ſubiret, a Juriſconſulti reticentia pœna eſt conſtituta.* Et in orat. pro Muræn. *Poſſet agi lege nec ne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim vulgo non habebant; erant in magna potentia qui conſulebantur, a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur: Juventus & ſcriba, quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis Juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit.* Et

 vid.

vid. *l.* 40. *ff. de reb. Cred. Lecta eſt* (inquit) *in auditorio Æmilii Papiniani Juriſconſulti cautio*, &c. Quod juriſperitos proprie legulejos, & formularios vocari nonnulli ſtatuant, a vero alienum eſt, ut patet ex Cicerone 1. *de orat.* ubi traditurus definitionem Juriſconſulti, ita inquit: *Juriſconſultus ipſe per ſe nihil niſi legulejus quidam cautus & acutus, præco actionum, cautor formularum, & auceps ſyllabarum.* Verum notandum hic, falſe Ciceronem exagitare formularem iſtam juriſprudentiam, cui nonnulli ſeſe applicabant ex Juriſconſultorum ſive juriſperitorum turba, qui juris diſciplina abutentes, linguam & doctrinam venalem habebant. Veram autem & ſublimiorem juriſprudentiam laudibus ornat, & ſemper ejus magna fuit Ciceroni commendatio. Hinc 2. *off.* inquit, *Cum multa præclara majorum, tum quod optime conſtituti juris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio.* Et in orat. pro Cæcinn. *Nihil*, ait, *in civitate tam diligenter retinendum, quam jus civile; quo ſublato nihil cuique exploratum eſſe poteſt, quid ſuum, quid alienum ſit.*

Sed ad rem redeamus, quid fuit munus Juriſprudentis, quam vel judicibus, vel partibus de jure conſulentibus reſpondere, quamobrem Imperator §. 8. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.* reſponſa prudentum vocat ſententias, & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere, nonne idem fuit munus Juriſconſulti, unde Cicero 1. *de orat. domum Juriſconſultorum oraculum civitatis* vocat.

---

§. 6. *Deinde ex his legibus, eodem tempore fere, actiones compoſitæ ſunt; quibus inter ſe homines diſceptarent, quas actiones ne populus, prout vellet, inſtitueret, certas ſolemneſque eſſe voluerunt, & appellatur hæc pars juris* legis actiones, *id eſt, legitimæ actiones. Et ita eodem fere tempore tria hæc jura nata ſunt; leges duodecim tabularum: ex his fluere*

fluere cœpit jus civile: ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Omnium tamen harum & interpretandi ſcientia & actiones, apud Collegium Pontificum erant; ex quibus conſtituebatur, quis quoquo anno præeſſet privatis, & fere populus annis prope centum hac conſuetudine uſus eſt.

Actiones compoſitæ ſunt.] Miror hic tam multos viros eruditos cæcutire, ut contendant omnes actiones & quoad formulæ ſolennitatem, & quoad originem ex jure civili eſſe: jure gentium olim nullas fuiſſe actiones, teſtemque citant Pomponium, qui in hoc §. affirmat, ex ll. XII. tabb. deſcendiſſe, quorum in numero ſunt BARTOLUS, SALICETUS, JASON, ANTONIUS FABER in *Rationalibus*, aliique magni viri. Quis adeo ſtupidus eſſe poteſt, ut non videat Pomponium hic loqui de forma juris Romani propria, quæ a prudentibus inventa, & excogitata eſt, compoſitis certis ac ſolennibus quibuſdam formulis, quibus virtute legis XII. tabb. quiſque rem ſuam perſequi judicio poſſet, quod ſatis confirmat verbum *componere*, quo ſolennitas aliqua ſignificatur. Præterquam quod ab omni ratione, & recta legum interpretatione alienum eſſet, ſi ſtatueremus, omnia, quæ ex ll. XII. tabb. deſcendunt, ex jure civili originem habere: cum ſatis diſtincte dicatur in §. 41. *inſt. de rer. diviſ. Quanquam caveatur ex ll.* XII. *tabb. tamen recte dicitur jure gentium, id eſt, jure naturali effici.* Sic jus patriæ poteſtatis civium Romanorum eſſe dicitur §. 2. *inſt. de patr. poteſt.* quatenus ſcilicet Romani ſingularia quædam jura ſive commoda patri in liberos tribuerunt conceſſeruntque, originem vero ejus juri naturali adſcribendam eſſe neminem hominem negaturum mihi perſuadeo. Imo quam multa ll. XII. tabb. capita, ex puriſſimo juris naturalis fonte hauſta ſunt, quæ juris civilis dicuntur, quod civitas Romana ea ſibi fecit propria conſtituitque, qualis diſpoſitio non rem ipſam mutat, ſed alienam ei tantummodo induit formam. Quamobrem vero magis,

Digitized by Google

& rectæ rationi conſentaneam eorum opinionem exiſtimo, qui actiones ex jure naturæ ſeu gentium dimanaſſe ſtatuunt, eodemque jure proveniſſe, quo obligationes natæ ſunt; fruſtra enim fuit hominum inter ſe invicem obligatio, niſi cuique eſſet facultas perſequendi, quod obligatione ſibi quis acquiſiverat, quam perſecutionem actionem appellari luce clarius conſtat. Actio enim ab Imperatore Juſtiniano definitur §. 1. *inſt. de action. Jus perſequendi in judicio quod ſibi debetur.* Quod ut evidentius conſtaret lectori, non inutile fore judicavimus, ut rem paulo altius repetamus. Superius, ubi de origine ſocietatis vel civitatis diſputavimus, diximus mortales, antequam in civilem ſocietatem coiviſſent, ſegreges in familias diviſos, vitam traduxiſſe, cujus familiæ caput ac princeps erat paterfamilias, qui ſummo imperio eoque monarchico ornatus, ſummæ rerum præerat, juſſa dabat, leges ad familiæ ſeu parvæ civitatis ſalutem pertinentes, ferebat, quibus uxor, liberi, ſervi, familiæ membra morem gerere, & ſecundum ea actiones & negotia dirigere ac formare obligabantur: quædam autem obligationes immediate ex legibus naturalibus deſcendebant, quædam facto eorum, qui familiam conſtituebant, interveniente: omnes autem producebant actionem, ſi actio erat inſtituenda, coram patrefamilias ventilari debebat, tanquam ſupremo judice; quæ actiones quodam reſpectu civiles etiam vocari poterant, tanquam ex eo jure profectæ, quod familiæ gubernator (quam tanquam parvam Rempub. ſeu civitatem conſideramus) proprium ſibi fecerat. Imo conſideremus homines nullius imperio ſubjectos, ſuo viventes arbitrio, ideoque tot principes, quot homines, tamen in illo ſtatu naturali efficere nequirent, ne leges naturales ſibi locum vindicarent. Ex illis autem multæ & variæ profluunt obligationes, quarum quædam vocantur mutuæ, quædam non mutuæ: non mutua vocatur obligatio, quando unus alteri quidem aliquid præſtare tenetur, ita tamen, ut in illo altero, cui quid debetur, nulla ſit obligatio iſti reſpondens, & ad æquipollens aliquid præſtandum adſtringens, cujus naturæ ſunt obligationes hominum erga Deum. Obligationes vocantur mutuæ, quæ ſibi invicem reſpon-

reſpondent, ita ut in eo, cui quid ex obligatione debetur, alia ſit obligatio, cujus intuitu viciſſim alteri quid præſtare debeat, Puffend. *de jur. nat. & gent.* Et vix aliqua extat lex naturæ, quæ non reciprocam continet obligationem, exceptis iis, quæ Deum reſpiciunt. Illæ autem obligationes ex legibus naturalibus deſcendentes unicuique tribuunt jus (quatenus leges homini tanquam animali rationali, & ſociabili applicantur) perſequendi quod ex iſtis obligationibus alter alteri ut ſocio, & ejuſdem conditionis participi debet, quæ perſecutio revera actio eſt, judex autem Conſcientia. Verum, ut ſuperius notavimus, quædam obligationes immediate ex legibus deſcendunt, quædam ex facto & actionibus hominum proveniunt. Quæ immediate a lege producuntur, vel ejuſmodi ſunt, ut, ſi quis adimplere declinat, quæ ab ipſo ſecundum obligationis tenorem peto, vim adhibere mihi liceat: quale jus competit parentibus in liberos ex obligatione naturali, qua liberi tenentur obedientiam præſtare genitoribus, marito in uxorem ex obligatione, qua adſtricta eſt ipſi exhibere debita officia: vel ejuſmodi ſunt conditionis, ut tametſi lex quædam jubeat, tamen obligatio ex ea proficiſcens mihi tantum jus tribuit ea placide exigendi vel perſequendi, quæ obligatione continentur, cujuſmodi ſunt caritatis, humanitatis, aliaque id genus officia. Ita pro diverſa obligationum natura, una actio altera magis limitata eſt atque circumſcripta.

Obligationes, quæ ex facto hominum oriuntur, vel ex contractu, vel pacto, vel fœdere, vel alio ejuſmodi negotio deſcendunt; atque etiam vel mutuæ ſunt, ita ut ab utraque parte aliquid ſit præſtandum, vel non; hoc enim a voluntate contrahentium dependet: idem jus ex illis competit ſcilicet perſequendi, quod mihi debetur, & quidem fortius, ut ita dicam, ad conſequendum id, ad quod præſtandum ſeſe alter alteri obligavit. Ita ut, ſi ultro vel ſæpe interpellatus contractum adimplere declinaverit, vim adhibere poſſim, & omnibus uti mediis, quibus tergiverſantem cogi poſſe arbitror, ad præſtandum quod debet. In ſtatu naturali quiſque rerum ſuarum arbiter eſt & moderator, id eſt, quiſque ſecundum

propriam conſcientiam ſibi jus dicit, & ſententiam propriis viribus exequitur; ita tamen, ut in omnibus negotiis peragendis habenda ſit ratio æquitatis naturalis, ſcil. ut juxta eam perficiantur, quæcunque aguntur, ne a recta recedatur ratione: quemadmodum enim contractus vel pactum ſecundum hanc regulam initum validum eſt, & obligationem producit; ita quoque parit actionem, id eſt, mihi dat jus perſequendi, quod ex illo contractu ſeu pacto debetur: & hæc eſt obligatio, quæ in jure dicitur naturalis, quæ etiamſi in foro civili actionem non pariat, attamen conſcientiam hominis adſtringit, ad præſtandum vel ſolvendum, ſive faciendum, ad quod ſemetipſum obligavit; nihil enim æquitati ſive legi naturali convenientius eſt, quam ſtare promiſſis, & ſolvere id quod debitum eſt; omnis autem obligatio eſt debitum, ideoque obligatum adſtringit ad ſolvendum, quod alteri debet, & obliganti jus tribuit perſequendi, quod ſibi debetur.

Poſtquam vero homines libertati naturali renunciantes, in civitatem coaluiſſent, & jus ſuum ac omnem poteſtatem in ſummum imperantem tranſtuliſſent, alia quidem ratio jus ſuum perſequendi introducta fuit, fons tamen idem manſit, ex quo actiones derivantur, ſcilicet æquitas naturalis, quæ ſuadet pactis ſtandum, ſuum cuique tribuendum eſſe. Sin autem de negotiis, quæ inter cives peraguntur, jam oriatur controverſia, nulli jam civitatis membro amplius facultas competit jus ſibi dicendi, ſed ubi judicem (id eſt, eum, cui de civium controverſiis ſeu litibus cognoſcendi poteſtas data eſt) adeundi copia eſt, ipſum adire, ejus auxilium implorare, coram eo actionem inſtituere, omnem quæſtionem ventilare neceſſe eſt, qui, ubi & unam & alteram audivit partem, jus litigatoribus dicit: qui mos actiones inſtituendi, & cognoſcendi de civium negotiis, jam diu ante leges XII. tabb. apud omnes gentes, Aſſyrios, Perſas, Medos, Ægyptios, Græcos invaluerat, imo cum ipſa civitate introductus eſt. Et conſtat apud ipſos Romanos vetuſtiſſimo ſæculo, initio ſcil. civitatis, jus litigantibus dictum, adeoque & actionum uſum fuiſſe, quamvis non ea ſolennitate vel ea formula, qua poſt leges

leges XII. tabb. judicia exerceri cœperunt, verum Regum arbitrio, vid. Liv. *lib.* 1. & Dionyſ. *lib.* 1. & 2. Sic Romulum ipſum purpura ornatum, & toga inſuper purpurea amictum, ac in excelſa ſede conſpicuum ſedentem, dediſſe jura populo & judicia exercuiſſe, ſcribit Plutarchus in Romulo. Et Dionyſ. *lib.* 10. *Quamdiu regnatum eſt in urbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, quod tunc erat pro legibus.* Et ut ait Pomponius, *omnia manu a Regibus gubernabantur.* Hoc autem jus incertum vocabatur, quia ex Regum vel ſummorum imperantium pendebat arbitrio, eoque jure non ſolum ſub Regibus, ſed iis etiam exactis ſub conſulibus aliquo tempore populus uſus eſt §. 2. & 3. *h. t.* donec hujus juris pertæſus, populus certum jus poſceret, & ita poſt magnas inter patres & plebem contentiones, (ut ſuperius diximus) tandem res eo devenit, ut communis quædam legum ferendarum iniretur ratio. Ex Senatusconſulto itaque tres fuere creari legati, qui ad leges petendas in Græciam miſſi, & poſt trium annorum decurſum cum legibus reverſi, decem conſtituere viros placuit, qui leges conſcriberent, & populo ferrent, quas leges XII. tabb. appellarunt, fontem omnis publici privatique juris. Jam certum quoddam jus in Repub. vigebat, quod ſcriptum vocari poſſet. Ex hoc jure ſeu legibus XII. tabb. emanarunt legis actiones, non quoad originem, ut modo enarravimus, ſed quoad ſolennitatem & formam, quatenus jus civile ex his legibus fluens, eas actiones antea informes perpolivit & concinnavit, certis quibuſdam formulis conſtitutis, ſecundum quas litigatores in judiciis experirentur. Hinc Cicero pro *Roſc. Comœd.* *Sunt jura, ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut in ratione actionis errare poſſit. Qui non ſecundum formulam accuratiſſime ſervaſſet, cauſa cadebat. Ita jus civile habemus conſtitutum, ut cauſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.* Cic. *lib.* 2. *de invent.* Itaque quot actiones, tot formulæ. *In actione in perſonam* hæc erant concepta verba: AJO TE MIHI DARE AUT FACERE OPORTERE. *In actione in rem*, ut rei vindicatione, & quidem rei immobilis hæc erant concepta verba: *Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur,*

tur, meus eſt: eum ego ex jure meum eſſe ajo: Ibi ego te ex jure manu conſertum volo. Cui alter reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocaſti, inde ego te revoco.* Cic. *pro Muræn.* Rei vero mobilis ita inſtituebatur vindicatio; qui rem vindicabat, manu eam exhibitam tenens, dicebat: *Hanc ego rem ex jure Quiritium meam eſſe ajo.* Cui reus: *At ego contra eam vendico.* vid. *l.* 1. §. 1. *ff. de rei vind.* Sig. *lib.* 1. *cap.* 10. *de antiq. jur. civ.* ubi fere omnes formulæ, quibus in actionibus inſtituendis Romani uſi fuere, occurrunt. Juſtinianus ſeptem actionum veterum attulit diviſiones, quarum aliæ in rem ſunt intentæ, aliæ in perſonam, aliæ in utrumque. In rem, cum egerunt cum iis, qui nullo ſibi jure obligati erant, ſed iis de aliqua re intulerunt litem. Ut in re corpus habente; Si Titus fundum ſuum eſſe affirmaſſet, Sempronius autem poſſeſſor Dominum ejus ſe eſſe dixit. Actio in perſonam, cum egerunt cum iis, qui ſibi obligati erant, vel ex contractu vel maleficio, atque contenderunt dare ſibi aut facere oportere, §. 1. *inſt. de action. l.* 25. *ff. de obl. & act.* Secunda diviſio eſt, quod aliæ *legitimæ* dictæ ſint, aliæ *honorariæ.* Legitimæ vocantur, quæ ex ll. XII. tabb proficiſcuntur, ut ſuperius annotavimus. Honorariæ, quas Prætor ex ſua jurisdictione comparatas habet, tam in rem, quam in perſonam, qualis *Publiciana*, *Pauliana*, *Serviana*, a Prætorum nominibus ita appellatæ. Tertia diviſio eſt, quod aliæ *perſequendæ rei cauſa, aliæ pœnæ, aliæ utriuſque cauſa inſtitutæ ſint.* Quarta, quod *quædam in ſimplum conceptæ ſunt, ut* ex mutuo, locato &c. Quædam *in duplum*, ut furti nec manifeſti, damni injuria dati; aliæ *in triplum*, ut rapinæ; nonnullæ in *quadruplum*, veluti furti manifeſti, item de eo quod metus cauſa, §. 21, 22, 23, 24, 25. *inſt. de act.* Quinta diviſio, *quod quibuſdam actionibus ſemper ſolidum, quibuſdam modo ſolidum,* modo minus perſequamur, ut actio de peculio filii, de dote. Sexta diviſio, Actiones quædam *natæ ſunt ex contractibus*, & maleficiis Dominorum, & patrumfamilias: *quædam ex contractibus*, & maleficiis ſervorum, de primo modo dictum. Ut actio quod juſſu, exercitoria, inſtitoria, tributoria, quæ actiones locum ſibi vendicabant, ſi ſervi con-

Digitized by Google

ſenſu Domini negotiati fuerant: ſi ſine conſenſu negotiati fuerant, actiones de in rem verſo, & de peculio proditæ erant. Septima diviſio eſt, quod quædam actiones ſint *bonæ fidei*, ut ex empto, locato, vendito; quædam *ſtricti juris*, ut ex ſtipulatu; quædam *arbitrariæ*, quæ ex judicis arbitrio pendebant, in quibus niſi arbitrio judicis, is, cum quo agitur, actori ſatisfacit, veluti ſi rem reſtituat, vel exhibeat, vel ſolvat, vel ex noxali cauſa ſervum dedat, condemnari debeat: & hæ actiones fuerunt tam in rem, quam in perſonam; in rem velut Publiciana, Serviana de rebus coloni, quæ etiam hypothecaria vocabatur. In perſonam, quod vi aut metus cauſa, aut dolo factum eſt. §. 28, 29, 30, 31. *inſt. de action.* Hæ fuerunt actiones antiquæ, ex quibus, qui jus ſuum perſequi judicio voluerunt, aliquam neceſſario inſtituerunt. Singulis controverſiis ſingulæ erant actiones conſtitutæ, ſingulis actionibus certæ ac ſolennes formulæ præſcriptæ, a quibus ne latum unguem, uti diximus, recedere licuit.

Legis actiones.] Vocantur legis actiones certæ ac ſolennes agendi formulæ, compoſitæ ex legibus XII. tabb. quibus formulis, ſi quis apud magiſtratum, vel eum, qui dicendi habebat poteſtatem, agere vellet, utendum erat. Legis actiones dictæ ſunt, quod earum rerum, de quibus lex duodecim tabb. ſcripta erat, privatim agendarum formulam præſcribebant. Sig *de jud. cap.* 9. *lib.* 1. Ut autem legis actiones variæ, & multæ erant, ſic quoque multiplex erat juriſdictio. *Lege autem agere* nihil aliud erat, quam aliquid eorum, quæ lege continerentur, apud Prætorem, vel apud eum, qui talem juriſdictionem haberet, in jure obire, nempe vindicare, atque in jure cedere, filium ſuum emancipare, alienum adoptare, ſervum manumittere, tutorem, bonorum poſſeſſionem, interdictum, & actionem poſtulare. Sig. *eod. loc.* Lege igitur agere dicebatur is, qui a magiſtratu, ut jus ſibi de eo dicatur, petit; ubi igitur legis actio eſt, ibi magiſtratus ſit oportet. Differunt itaque *actus legitimi*, de quibus in *l.* 77. *de reg. jur.* a *legis actionibus*. Illi enim extra jus, & ſine Prætore vel alio magiſtratu expediuntur; legis autem actiones nunquam niſi apud magiſtratum. Jus vero dicere eſt aliquid horum,

quæ ſtatim enumeravimus, aut dicere, aut addicere, aut dare. Quod etiam lege agere commode dici poteſt, quatenus illa verba referuntur ad judicem, qui ex formula, & præſcripto legum, judicat, decernit, & de cauſa cognoſcit. *Lege agi, ut opinor ego, id olim ſignificabat, quod nunc jus a magiſtratu reddi, aut judicium exerceri dicimus.* Coraſ. *in comment: ad tit. de adopt.* Hinc Livius de Flavio, qui faſtos divulgavit, ſermonem habens, inquit *lib.* 9. *cap.* 46. *Jus civile repoſitum in penetralibus pontificum evulgavit: faſtoſque circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet ſciretur.* Faſtus autem dies vocabatur, quo jus dicere aut judicium exercere, vel tria illa verba a Prætore, qui judiciis præerat, fari licitum erat, *Do, Dico, Addico.* Hinc Ovidius. *lib.* 1. *Faſt.*

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Sic magiſtratus quidam dicuntur, apud quos eſt legis actio, quidam, apud quos ea non eſt *l.* 4. *ff. de adopt.* *l.* 1. *Cod. eod.* *l.* 3. *ff. de offic. proconſ.* magiſtratus, apud quem legis actio eſt, is eſt, qui plenam habet juriſdictionem, contentioſam & ordinariam, apud quem experiri actione adverſus unumquemque poteſt. Budæ. *in annot. ad pand. ad tit. de adopt.* Hinc in *l.* 2. *ff. de offic. proconſ.* dicitur apud Proconſulem, poſtquam urbem egreſſus eſt, manumitti & adoptiones fieri poſſe, quia voluntariam habet juriſdictionem: apud legatum proconſulis adoptari non poteſt, quia apud eum omnino non eſt legis actio, ſcil. antequam Proconſul provinciam ſuam eſt ingreſſus, *l.* 2. *ff eod.* Nulla apud eum eſt juris exercitium, idque quia nullam habet juriſdictionem, niſi mandatam a Proconſule. *l.* 13. *ff. de offic. proconſ.* non mandatur autem, niſi Proconſul provinciam ſuam intraverit, nec enim prius ei competit. *l.* 4. *§. ult. ff. eod.* eſſet enim perquam abſurdum, antequam ipſe juriſdictionem nanciſcatur, alii eam mandare; tales autem actus, quorum mentionem fecimus, peragi nequeunt, niſi apud eum, cui plena competit juriſdictio, uti con-

Digitized by Google

conſtat ex *l.* 1. *Cod. de adopt.* Lege agere etiam dicitur lictor, cum ex officio ſuo agit & ſententiam in damnatos exequitur, Valerius *lib.* 3. *Deligatis ad palum hoſtibus, litteras a P. C. nequicquam Capuanis ſalutares accepit, in ſiniſtra manu enim ſicut erant traditæ repoſuit, ac juſſo lictore lege agere, tum demum aperuit; poſtquam illis obtemperari non poterat.* Eodem modo Livius *lib.* 26. *cap.* 15. *Et Fulvius id ita eſſe ratus, acceptas litteras neque reſolutas quum in gremio repoſuiſſet, præconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet.* Et paulo poſt in capite ſequenti: *Sub hæc dicta, juſſu Proconſulis præconem ita pronunciaſſe: lictor viro forti adde virgas, & in eum primo lege age. Lege agere* Cic. alibi dicit, *facere judicatum*, id eſt, exequi, implere latam ſententiam. Plautus in Mercat. *act.* 5. *ſcen.* 4.

> - - - Eutyc. *Imo dicamus, ſenibus leges cenſeo,*
> *Quas leges teneant contentique ſunt priuſquam abeamus.*
> *Annos natus ſexaginta qui erit, ſiquem ſcibimus*
> *Seu maritum, ſeu hercle adeo cœlibem, ſcortarier,*
> *Cum eo nos hic lege agemus: inſcitum arbitrabimur.*

Id eſt, pœnas legibus indictas infligemus, & legem in eum exequemur.

Collegium Pontificum.] Quod a Numa fuit inſtitutum. *Ultima in ſacris ordinibus a Numa inſtitutis claſſis eſt Maximi apud Romanos ſacerdotii, & cujus poteſtas eſt ampliſſima, hi ab uno ſuorum operum reficiendo ſcil. ponte ſublicio, ipſorum lingua vocantur pontifices ſumma auctoritate præditi.* Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. Huic nominis derivationi etiam ſubſcribit Varro *lib.* 4. *de ling. lat. Pontifices ego a ponte arbitror dictos: Nam ab iis ſublicius eſt factus primum, & ſæpe reſtitutus, quùm ideo ſacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Verum hæc nominis derivatio non videtur vero conſentanea, quia Numa Pompilio regnante nullus pons fuit, qui refici potuit. Demum, poſtquam ad Ancum Martium regnum devolviſſet, pons primum Tiberi impoſitus fuit. Quod ex eodem Dionyſ. conſtat *lib.* 3. ubi de rebus ab Anco Martio geſtis ſermonem

Digitized by Google

monem habens, ita inquit: *Sublicium quoque pontem, quem ſolis lignis ſine ære ac ferro contineri fas eſt, ille impoſuiſſe Tiberi dicitur: qui uſque in hunc diem conſervatur, & ſacer habetur ob omnibus, cujus ſi qua pars laboret, Pontifices eam reficiendam curant, patria quædam in ejus inſtauratione peragentes ſacrificia.* vid. quoque Liv. *lib.* 1. *cap.* 33. Quamobrem Pomponius Lætus de *ſacerdot. Rom. cap.* 10. a Numa non Pontifices, ſed ſacerdotum principes nominatos, & inde regnante Anco Martio, quando pons ſublicius factus fuit, a ponte Pontifices appellati, & ideo ſacra ab iis trans Tyberim non mediocriter ad pontem fiunt. Verum & antea quoque Pontifices dictos fuiſſe Livius teſtatur *lib.* 1. *cap.* 20. ubi inquit: *Pontificem deinde Numam Marcium Marci filium ex patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus erogaretur, cætera quoque omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit.* Niſi vellemus ſacerdotum Principes appellari, quod eorum erat ſummum, & primarium ſacerdotum collegium. Potius itaque Pontifices dictos arbitramur a *poſſe* & *facere*, ut Scævola apud Varronem contendit. *Pontifex enim eſt, qui poteſt facere, id eſt, ſacrificare. lib.* 4. facere enim ſæpe ſacrificare; *unde canit Virgilius:*

Cum faciam vitula pro frugibus ipſe venito.

id eſt, ſacrificabo offerens vitula. Vid. Plutarch. *in Numa. pag.* 65. Horum quatuor a Numa inſtituti, ex patriciis lecti, quem numerum, & eligendi rationem retinuerunt uſque ad annum ab U. C. 454. quo Q. *Appulejo Panſa* & *M. Valerio Corvo* coſſ. Q. & *Cn. Ogulniis Trib. pleb.* rogationem promulgarunt, ut cum quatuor Augures, quatuor Pontifices ea tempeſtate eſſent, placeretque augeri numerum ſacerdotum, quatuor Pontifices, quinque Augures, de plebe omnes adlegerentur. Ita auctior Pontificum numerus eſt factus, qui uſque ad *L. Syllæ Felicis* dictaturam manſit: is enim inter multa, quæ abrogavit vel addidit, Pontificum numerum auxit, ut eſſent 15. Pontifices, & totidem Augures. Pontifices vero diviſit

Digitized by Google

viſit in *majores* & *minores*. Majores vocabantur octo priores, & qui in eorum locum erant ſurrogati, minores reliqui dicebantur. Univerſus Pontificum cœtus collegium vocabatur. A Collegio itaque Pontificum primorum ſucceſſores cooptari ſoliti ſunt uſque ad annum U. C. circiter 451; poſt autem legem Domitiam latam *Cn. Domitio, Ænobarbo Trib. pl. C. Mario. L. Aurelio Areſte coſſ.* qui pontificibus offenſus erat, quod alium quam ſe, in locum patris ſui ſurrogaſſent, jus ſurrogandorum Sacerdotum a Collegis ad populum tranſlatum fuit, ita ut non Collegarum cooptatione, ſed tributis comitiis crearentur. Suet. *in Nerone cap.* 2. Et Vellejus Paterc. *lib.* 2. *Quo anno Cn. Domitius Tribunus legem tulit, ut ſacerdotes, quos antea Collegæ ſufficiebant, populus crearet.* Cum vero interjecto tempore abrogaſſet illam legem L. Sylla, plebi parum æquus, reſtituit, abrogata Cornelia, Domitiam, *T. Attius Labienus Trib.* anno ab U. C. DCXC. *M. Tullio Cicerone, & Antonio coſſ.* teſte Dione *lib.* 37. Abrogavit eam iterum *C. Antonius* Conſul anno DCCIX. Reſtituit ſecundo Senatus, *C. Vibio Panſa, & A. Hirtio coſſ.* Cic. *Philipp.* 13. Poſtea iterum ſub Auguſto, abrogata lege Domitia, Collegiorum primo, deinde Romanorum Principum arbitrio Pontifices, & reliqui Sacerdotes cooptari cœperunt. Plin. 4. *epiſt.* 8. *Gratularis mihi, quod acceperim auguratum, jure gratularis, primum quod graviſſimi Principis judicium, in minoribus etiam rebus conſequi pulcrum eſt; deinde quod ſacerdotium ipſum cum priſcum, & religioſum, tum hoc quod ſacrum plane, & inſigne eſt, quod non adimitur viventi,* &c. De muneribus, & dignitatibus Pontificum hæc legimus apud Dionyſium *lib.* 2. *Pontifices de omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus judicant, tam inter magiſtratus ſacrificos, quam inter privatos homines; novaſque leges de ſacris ſuo arbitratu condunt: & magiſtratus penes, quos ſunt ceremoniæ, & ſacrificia, Sacerdoteſque omnes examinant: miniſtros quoque ſacrorum in officio continent, ne quid contra ſolennes faciant ritus, a profano etiam, & imperito vulgo conſuluntur de cultu, & genio Deorum, aliiſque religionibus, quod ſi quem animadvertant præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti multitudine: ipſi nullius poteſtati*

ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem, vel Senatui, vel populo. Id genus Doctores ſive ſacri doctores; ſive ſacrarum legum conſulti, ſive ſacrorum cuſtodes recte dicendi ſunt. Ego Hierophantas noſtris appellari dixerim. Vide quoque Cic. *pro dom.* ubi inter alia ait, *omnis Reipub. dignitatem, omnium ſalutem, vitam, libertatem, aras, focos, Deos, Penates, bona, fortunas, domicilia, eorum ſapientiæ, fidei poteſtatique commiſſa ac cred.ta eſſe.* Duravit hoc Pontificum Collegium uſque ad Theodoſii Senioris tempora, quibus Chriſtiana religione jam omnia obtinente, Imperatoribus antiquis ſuperſtitionibus adverſantibus, uno Edicto omnium ſacerdotum reditus fiſco applicati fuere, teſte *Zoſimo.* Unus erat, qui omnium erat ſupremus, ideoque *Maximus* vocabatur; cui Numa maximarum rerum, quæ ad ſacra, & religionem pertinebant, curam judiciumque commiſit, eum vindicem eſſe juſſit contumaciæ privatorum, & magiſtratuum, ut tradit Dionyſius. Primus Pontifex creatus fuit Marcius, Marci filius, ut teſtatur Liv. *lib.* 1. *cap.* 20. *Pontificem* (inquit) *deinde Numam Marcium, Marci filium, ex patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit; ut eſſent quo conſultum plebs veniret: ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinoſque adſciſcendo turbaretur. Nec cœleſtes modo ceremonias, ſed juſta quoque funebria, placandoſque manes, ut idem Pontifex edoceret.* Apud eum quoque tabula eſſe dicitur, in qua Solis, & Lunæ defectus, quoties luminis caligo fit, & anni, & menſium faſtorumque ratio perſpicitur. Feneſtella *cap.* 8. *lib.* 1. Animadvertendi quoque poteſtatem habebat in Virgines Veſtales, veluti ſi paſſæ fuiſſent ſacrum extingui ignem, verberibus & flagris puniebantur: quæ virginitatem prodiderat, viva ad portam, quam *Collinam* vocant, defodiebatur: vir, cum quo concubuerat, verberibus necabatur. Feſt. Pomp. in verbo *probrum.* Apud hoc Pontificum collegium erant etiam legum actiones, & interpretandi ſcientia, uti conſtat ex hoc §. id eſt, ſolennes formulæ, quibus cuique eſſet experiundum, de quibus ſupra dixi-

Digitized by Google

diximus, ita ut in *eorum penetralibus*, ut ait Liv. *lib.* 9. *abditum eſſet jus civile, abdita dierum ratio, quibus lege agi poterat.* Leges condebat de ſacris, quæ non erant ſcripta, aut moribus recepta; etiam de religione ac jure divino conſulebantur, tam a Senatu, quam a reliquis civibus, nam & ſacra curabant, ut Pontifices, & de jure reſpondebant ut Juriſconſulti: inde Juſtinianus jurisprudentiam vocat divinarum & humanarum rerum ſcientiam, quia eaſdem partes apud Romanos ſuſtinebant; itaque juris univerſi quaſi cuſtodes, interpretes, ac diſpenſatores erant. Creabatur Pontifex Max. a Collegio Pontificum, non collegarum cooptatione, ut in cæteris ſacerdotiis, ſed Tributis populi comitiis: neque etiam niſi ex patriciis, donec omnibus cum plebe communicatis honoribus, ex plebe etiam Pontifex Max. creatus eſt T. Coruncanus. Ad quam dignitatem deinde multi tam patricii quam plebeji provecti ſunt, uſque ad *Jul Cæſarem.* Quo mortuo Pontificatum per vim invaſit M Lepidus, poſt ejus obitum in Auguſtum iſta dignitas tranſlata fuit. Cæteri deinde Imperatores Pontifices Max. ſe appellari paſſi ſunt. Donec Gratianus edicto vetuit, ſe Pontificem Max. appellari, quo factum eſt, ut hæc dignitas in Imperatoribus extincta ſit, & ad Eccleſiaſticos tranſierit.

---

§. 7. *Poſtea cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones: Cnæus Flavius ſcriba ejus libertini filius ſubreptum librum populo tradidit, & adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur* jus civile Flavianum: *ſicut ille, jus civile Papirianum, nam nec Cnæus Flavius de ſuo quicquam adjecit libro. Augeſcente civitate, quia deerant quædam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium* Sex-

Sextus Ælius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum.

Appius Claudius.] ſcilicet Cæcus, orator Romanus, a quo Appia via, ſecundum quoſdam: factus hic cæcus eſt, cum munus ſacrificandi Herculi a gente Potitiorum antiquiſſima ad ſervos tranſlatum iviſſet. Unde Livius *lib.* 9. *cap.* 29. *Eodem Appio auctore Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi cauſa, ſolennia ejus ſacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimovendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet, quum duodecim familiæ ea tempeſtate Potitiorum eſſent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos: nec nomen tantum Potitiorum interiiſſe; ſed cenſorem etiam Appium, memori Deum ira poſt aliquot annos luminibus captum.* Antiqua & illuſtris fuit Romæ gens Claudia, orta ex Regillis, oppido Sabinorum, Dionyſ. Halic. *lib.* 11. Prius itaque peregrina, verum poſtea a patribus in patricios cooptata, ſexto fere anno poſt Reges exactos. Suet. in *Tiberio.* Liv. *lib.* 6. *cap.* 40. Duo & triginta in eo numerantur Conſulatus, Dictaturæ quinque, Cenſuræ ſeptem, Triumphi ſeptem, duæ Ovationes, quas adepta eſt.

Cnæus Flavius ſcriba ejus, libertini filius, ſurreptum librum populo tradidit.] A ſordidis initiis ad ſummum honoris ac dignitatis faſtigium provectus eſt Flavius, cujus hic mentionem facit Pomponius; quippe humili fortuna ſcil. patre libertino ortus, ædilitate curuli fuit ornatus, idque, ut Livius ſcribit, *quod jus civile repoſitum in penetralibus pontificum evulgavit, faſtoſque circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur. lib.* 9. *cap.* 46. Quo contigit, ut tantam apud populum adeptus fuerit gratiam, ut Ædilem curulem ipſum crearerint, *jus civile per multa ſæcula inter ſacra ceremoniaſque Deorum immortalium abditum, ſoliſque Pontificiis notum, Cn. Flavius libertino patre genitus & ſcriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Ædilis curulis, vulgavit, ac faſtos pene toto foro expoſuit.* Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 1. vid. Gell. *lib.* 6. *cap.* 9.

Non

Nonnulli ex hoc Valerii & Livii loco probare conati ſunt, hanc faſtorum divulgationem cauſam neque Tribunatus, neque Ædilitatis fuiſſe; Flavium enim ante Ædilem fuiſſe, quam divulgatio fieret, Valerius cit. loc. teſtis eſt. Verum contrarium teſtantur ea, quæ legi apud Cic. *pro Muræn.* & *epiſt.* 1. *lib.* 6. *ad Attic. Poſſet agi lege nec ne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui conſulebantur, a quibus etiam dies, tanquam a Chaldæis petebantur. Inventus eſt ſcriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis JCtis eorum ſapientiam compilarit.* Et *epiſt.* 1. *lib.* 6. *ad Attic. Unum* ἱϛορικὸν *requiris de Cn. Filio. Ille vero, ante Decemviros non fuit, quippe qui Ædilis Curulis fuerit; qui magiſtratus multis annis poſt Xviros inſtitutus eſt. Quid ergo profecit, quod protulit faſtos? Occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actioneſque compoſuiſſe; ne me hoc (vel potius Africanum. is n. loquitur) commentum putes.* vid. quoque Plin. *lib.* 33. *nat. Epiſt. cap.* 1. Verum qui contrariam tuentur ſententiam, ita argumentantur; primo quod ante Ædilitatem Tribunus fuerit, ut conſtat ex Liv. *lib.* 9. *cap.* 46. ubi inquit: *Invenio in quibuſdam annalibus, cum appareret Ædilibus,* (de Flavio ſermonem habens) *fierique ſe pro tribu Ædilem videret, neque accipi nomen quod ſcriptum faceret, tabulam poſuiſſe, & juraſſe ſe ſcriptum non facturum, quem aliquanto antea deſiſſe ſcriptum facere, arguit Macer Licinius, Tribunatu ante geſto, Triumviratibuſque; nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* Secundo, quod ante Ædilis fuerit, quam divulgatio facta eſt, ut conſtat ſupra ex Valerio, vel ſaltem quod eodem anno facta eſt, quo Ædilis fuit. Verum notandum quod legimus apud Plin. *lib.* 33. *cap.* 1. *Frequentior uſus annulorum non ante Cn. Flavium, Annii filium deprehenditur. Hic namque publicatis diebus faſtis, quos populus a paucis principum petebat, tantam gratiam plebis adeptus eſt, alioquin libertino patre genitus, & ipſe Appii Cæci ſcriba, cujus hortatu exceperat eos dies, conſultando aſſidue ſagaci ingenio, promulgaveratque, ut Ædilis curulis*

crearetur cum Q. Anicio Præneſtino, qui paucis ante annis hoſtis fuiſſet, præteritis C. Petilio & Domitio, quorum patres conſules fuerunt. Additum Flavio, ut ſimul & Tribunus eſſet, quo facto, tanta Senatus exarſit indignatione, ut annulos ab eo abjectos fuiſſe in antiquiſſimis reperiatur annalibus. Itaque ut merito opinari liceat, divulgationem & Tribunatus, & Ædilitatis fuiſſe cauſam, quoniam hiſce honores uno eodemque tempore in eum collati fuerint. Neque obſtant, quæ ſcribit Liv. Quippe qui non affirmat eum primo Tribunatum, deinde Ædilitatem geſſiſſe, ſed tantum refert quid in annalibus invenerit; ita ut nihil certi inde poſſimus concludere. Admodum quoque veroſimile, populum contra mores atque ritus hanc Ædilitatem in Flavium non contuliſſe, niſi aliquid ab ipſo perpetratum fuiſſet, quod tanta populi gratia dignum erat.

Scriba ejus.] Scriba, ut teſtatur Feſtus, nomen erat apud Romanos librarii, qui rationes publicas ſcribebat in tabulis. Habebant enim ſinguli Magiſtratus ſuos ſcribas, qui res in magiſtratu geſtas, in tabulas referrent, & leges actaque omnia perſcriberent. Hinc dixit Cic. *in Verr. Scribarum ordinem honeſtum eſſe, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committantur.* Sic igitur Cn. Flavius fuit Appii Cenſoris ſcriba, unde occaſionem habuit divulgandi faſtos. Leges quodammodo in manibus ſcribas habuiſſe, & magiſtratibus jus ſuggeſſiſſe oſtendit Cic. de *ll. lib.* 3. *Animadverto* (inquit) *quoſque in magiſtratibus ignoratione juris ſui tantum ſapere, quantum apparitores velint.* Quod de ſcribis intelligendum docet Plutarchus, ubi ſcribarum arrogantiam a M. C. minore fractam, & repreſſam eſſe tradit, cum inquit: *Cato cum quæſturam iniiſſet, miniſtros & ſcribas coercuit, qui publicas tabulas legeſque tractantes, cum adoleſcentes nacti eſſent, quibus magiſtratibus apparerent, quod ii propter inſcientiam magiſtris egerent, poteſtate non cedebant, ſed ipſi erant magiſtratus. Eos vero Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit: cum alios fraudis, alios inſcitiæ inſimularet. Cumque illi auxilio collegarum Catonis uſi reſiſterent, Cato primum eorum damnatum defraudata hereditate ab ærario expulit, alterum vero de inertia poſtulavit, qui cum gratia Caſuli cenſoris*

eva-

Digitized by Google

evaſiſſet, eo nunquam uſus eſt Cato. Non deſunt, qui hoc ſcribarum munus vile atque abjectum Romæ fuiſſe ſtatuunt. Nam mercenarii erant, vel ſervi, vel libertini, ut videre eſt de Cn. Flavio apud Plin. *lib.* 33. *cap.* 1. & Liv. *lib.* 9. *cap.* 46: qui eum libertino patre genitum, hoc munere functum aſſeverant. Præterea quod Probus in Eumene, ſcribarum munus apud Græcos multo honorificentius quam apud Romanos fuiſſe tradidit. Quod non mirum, quoniam apud Græcos nemini ad hoc munus patebat aditus, niſi illi, qui præter prudentiam, & probatam fidem honeſtos & claros habebat natales. *Fulgebat jam in adoleſcentulo indoles virtutis: Itaque (Philippus Amyntæ fil.) eum habuit ad manum ſcribæ loco; quod multo apud Grajos honorificentius eſt, quam apud Romanos: nam apud illos ad id officium nemo admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſſe eſt, omnium conſiliorum eſſe participem,* inquit Cor. Nepos. Verum quod apud eos honoratiores ſcribæ fuerint, quam apud Romanos, ideo non concludere poſſumus vile, & abjectum fuiſſe Romæ ſcribarum munus, cum expreſſe Cicero affirmat honeſtum eorum fuiſſe ordinem. Verum notandum, non omnes ſcribas ejuſdem fuiſſe dignitatis; quippe ſcriba navalis omnium minimæ dignitatis erat, minoris quoque notæ erant ſcribæ privati. Cum vero multi eſſent in civ. ſcribæ, factum eſt, ut in varias transferrentur decurias, ut Quæſtoriorum, Ædilitiorum, Prætoriorum: prout a Quæſtoribus, Ædilibus, vel Prætoribus lecti ſunt, quibus jus hoc competebat. Aliquot etiam decurias pretio fuiſſe emptas docet Cic. *in Verr.* ubi ita diſſerit: *Ad eos me ſcribas revoca, ſi placet, noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis, ac de ſceniorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordinem civitatis ſe veniſſe dicunt, eos ſcribas tecum diſceptatores hujus criminis habebo, qui iſtos ſcribas eſſe moleſte ferunt, tametſi cum in eo ordine videamus multos eſſe non idoneos, qui ordo induſtriæ præpoſitus eſt, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo eſſe, quo cuivis licet pretio pervenire.* Poſtquam vero Reſpub. in Principatum verſa eſt, in majori pretio iſta dignitas habita eſt, cum ad Principum arcana admiſſi ſunt,

 unde

Digitized by Google

unde *Notarii Principis* apud Caſſiodorum appellantur, qui iidem cum Macedonum ſcribis, ſcil. ejuſdem dignitatis.

Et Senator.] Ædilem curulem fuiſſe teſtatur Liv. *lib.* 9. *cap.* 46. Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 1. Gell. *lib.* 6. *cap.* 9. Tribunum etiam fuiſſe teſtis eſt Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. Verum Senatoria dignitate ornatum fuiſſe nullibi legitur. Nullus enim dubito, quin hujus dignitatis mentionem feciſſent ſcriptores, utpote qui honor, & gravior, & præſtantior eſt, quam ut a Livio cæteriſque veterum monumentorum ſcriptoribus ſilentio præteriri debuerit. Tribunis plebis jus fuiſſe habendi Senatum, quanquam Senatores non eſſent, conſtat ex Gell. *lib.* 14. *cap.* 8. ubi inquit, *Nam Tribunis plebis habendi Senatus jus erat, quanquam Senatores non eſſent ante Attinium plebiſcitum.* Ex quibus verbis colligimus, poſt Attinium plebiſcitum demum Tribunos plebis in Senatorium ordinem cooptatos fuiſſe. Verum cum *C. Attinius Labeo* Trib. pleb. hujus plebiſciti auctor ſit, vixeritque anno ab U. C. 623. *Q. Claudio* & *Ap. Pulchro coſſ.* longe poſtquam *Cn. Flavius* Ædilis factus eſt, quod accidit, *P. Sulpicio Saverrione*, & *P. Sempronio Sopho coſſ.* anno ab. U. C. 449. virtute hujus plebiſciti Senatoriam dignitatem obtinere non potuit; itaque vel errat hic iterum Pomponius noſter, vel verba *& Senator* ſubdititia ſunt.

Ædilis Curulis.] De hoc munere inferius ſuo loco diſputabimus: obiter tamen hic notandum, quod hujus dignitatis in Cn. Flavium collationis certum eſt teſtimonium, eum apud plebem in ſumma exiſtimatione fuiſſe, utpote qui contra mores & leges eum ad hanc dignitatem provexerat, qua indignus erat, quia ſcriba vel tabularius cenſoris Appii, vel etiam quia libertino patre ortus.

Actiones continet.] Id eſt, jus civile. Per actiones denotantur illæ formulæ certæ ac ſolennes a JCtis olim inventæ, quibus virtute legum XII. tabb. quiſque in judicio rem ſuam perſequi poſſet, ab Appio Claudio deinde in formam redactæ. vid. quæ de hiſce diſputavimus ad §. 6.

Juris civile Flavianum.] Non, ut inquit JCtus, quia de ſuo aliquid adjecit vel addidit, verum quod ſurreptum librum populo tradiderit, ita quaſi auctor fuerit quod populus ejus juris,

Digitized by Google

juris, quo utebatur, copiam habuerit. Itaque in honorem Flavii Flavianum appellatum; ex quo perſpicimus, ex dolo ſuo aliquem interdum præmium conſequi.

Quædam genera agendi.] Id eſt, quædam novæ agendi formulæ a JCtis noviter excogitatæ, & notis quibuſdam ſignificatæ, quæ ab omnibus intelligi non poſſunt: ita ut ſi forte evulgarentur, tantum non paterentur damnum, quantum ipſis adtuliſſet Flavii formularum divulgatio; verum ut ſemper ab iis petenda neceſſario eſſet interpretatio. *Itaque irati illis, quod ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent.* Cic. *pro Muræn.* Notarum ejuſmodi uſum apud Romanos antiquiſſimum fuiſſe conſtat; quibus etiam in ſcribendis epiſtolis uſos fuiſſe teſtatur Cic. 13. *ad Attic.* Et Suet. *in Julio Cæſare cap.* 36. *Extant* (inquit) *epiſtolæ ad familiares domeſticis de rebus, in quibus, ſi quæ occultius perferenda erant, per notas ſcripſit:* id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet. Per notas igitur literas intelligimus, quæ ſingulæ vel binæ & inverſo ſæpiſſime ordine poſitæ, ut pro D, A, integrum aliquod verbum deſignabant. Hiſce notis non diſſimiles ſunt noſtrorum Rabularum forenſium quædam adulterinæ loquendi, & in cauſis patrocinandis agendi formulæ; quippe ut ab iis petendum ſit omne auxilium, tot Barbaris vocibus prætexantur agendi ſua genera, ut omnia pragmaticorum hiſce contineri videantur arcana: ita ut in forum deſcendere quis non audeat, vel in pragmaticorum ordinem cooptari non mereatur, qui non magnam harum in cerebro collegit copiam, & in forum propellere valeat. Tales ſubtilitates merito vocat Cicero *Inaniſſimas prudentiæ, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſimas.* Ad haſce pertinet illa JCti definitio, quam tradit Tullius 1. *de orat.* nimirum, *quod ipſe per ſe nihil aliud eſt quam legulejus quidam cautus & acutus, præco actionum, auctor formularum, auceps ſyllabarum.*

Jus Ælianum.] Qui alias quaſdam actiones compoſuit, id eſt, agendi formulas excogitavit. Summus fuit enim juris peritus, teſte Cic. 1. *de orat.* prudentia & ju-

Digitized by Google

ris ſcientia inſignis hoc carmine celebratur ab Ennio:

Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Catus appellatus a præſtantis ingenii acumine & prudentia, quippe veteres providum, cautum, & acutum hominem Catum dixere. Ita Cic. 1. *de legibus: Quis igitur prudentem, & ut ita dicam Catum non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua re externa judicet.* Cenſuram cum M. Cethego egit, in qua, in ſpectaculis Senatum a populo ſecrevit, cum antea in promiſcuo ſpectabant. *lib.* 4. *decad.* 4. Cum legati Ætolorum in Conſulatu, prandentem in fictilibus adiiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quam duo pocula, quæ Lucius Paulus ſocer ei ob virtutem, devicto Perſeo Rege, donaverat. Plin. *lib.* 33. *cap.* 11.

---

§. 8. *Deinde cum eſſet in civitate lex duodecim tabularum, & jus civile: eſſent & legis actiones: evenit, ut plebs in diſcordiam cum patribus perveniret, & ſecederet, ſibique jura conſtitueret, quæ jura plebiſcita vocantur: Mox cum revocata eſt plebs: quia multæ diſcordiæ naſcebantur de his plebiſcitis, pro legibus placuit & ea obſervari, lege Hortenſia, & ita factum eſt, ut inter plebiſcita, & legem, ſpecies conſtituendi intereſſent: poteſtas autem eadem eſſet.*

Deinde cum eſſet in civitate lex duodecim tabularum & jus civile, eſſent & legis actiones: evenit ut plebs in diſcordiam cum patribus perveniret, & ſecederet, ſibique jura conſtitueret, quæ plebiſcita vocantur.] Errat hic iterum Pomponius, quod ſcribit poſt legem duodecim tabularum, plebem ſibi jura quædam conſtituiſſe, quæ plebiſcita vocantur:
cum

Digitized by Google

cum ex Livio, Dionyſio, aliiſque Hiſtoricis conſtet, primam ſeceſſionem in ſacrum montem, longe antequam leges duodecim tabularum compoſitæ ſint, factam fuiſſe; atque ab illo tempore plebiſcita originem duxerunt; quod ut clarius conſtet lectori, rem paulo altius repetemus. Tres legimus apud Hiſtoricos factas fuiſſe ſeceſſiones; quarum prima accidit anno ab U.C. 159. cum plebs ære alieno ob diuturna bella contracto, nec diſſoluto, ſe demerſam, a nobilibus creditoribus in vincula, & ſervitutem rapi, queſta, auctore Sicinio Belluto, raptis ſignis, in ſacrum montem trans Anienem amnem, tria ab urbe millia paſſuum, ſeceſſit. Ibique vallo foſſiſque communitis caſtris, quietos, rem nullam niſi neceſſariam ad victum ſumendo, per aliquot dies neque laceſſiti, neque laceſſentes, ſe tenuere, non ſine patrum ingenti trepidatione; qui urbem robore militum orbatam periclitari, ſi qua vis belli erumperet, aperte providebant. Itaque placuit tandem Senatui, ut decem legati eligerentur, inter quos etiam Menenius Agrippa, cujus tantum mentionem facit Liv. *lib.* 2. *cap.* 3. Dionyſius vero decem enumerat. Hi inquam, ad plebem revocandam miſſi ſunt. Eorum autem primus Menenius Agrippa vir ſummæ auctoritatis, & plebi chariſſimus, quod inde oriundus erat, qui facunda uſus oratione, ducta ab inteſtina membrorum cum otioſo, & quieto ventre ſeditione, & comparando quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexit ac lenivit hominum mentes: ita ut tandem de concordia agi cœptum ſit, conceſſumque in conditiones: *Ut plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſent. Neve cui patrum eum magiſtratum capere liceret.* Hanc legem ſacratam vocat Livius, & merito plebiſcitum dicitur, utpote quod plebe advocata interrogante Bruto Trib. pleb. ſcriptum ſit. Vid. Dionyſ. *lib.* 6 *pag.* 410. juramento ad hoc perpetuo obſervandum omnes adſtringebantur cives, & per omnia adigebantur ſacra, hac lege in perpetuum uſuros ſe & poſteros: additabatur imprecatio, ut ejus obſervatoribus ſuperi & inferi eſſent propitii, transgreſſoribus vero a Diis, & dæmonibus accideret contrarium, tanquam graviſſimo obſtrictis

Digitized by Google

ctis piaculo. Itaque & ante leges duodecim tabularum plebiſcita obtinuiſſe luce meridiana ex hiſce conſtat clarius. Secunda ſeceſſio accidit anno ab U. C. 305. ob inſolentiam Decemvirorum & ſcelus Appii Claudii decemviri; qui puellam L. Virginii filiam libidinis cauſa per calumniam in ſervitutem vocaſſet, quo facto adeo plebs irritata fuit, ut armata ex caſtris auctore L. Virginio patre, & per cædem vindice, urbem porta Collina intraverit ſub ſignis, & media urbe agmine in Aventinum pergeret, ibique conſederit. At paulo poſt ſuadente M Duilio, qui Tribunus plebis fuerat, inde in ſacrum montem tranſiit. Liv. *lib.* 3. *cap.* 52. Dionyſ. *lib.* 11. *pag.* 722. & 723. deinde miſſi Valerius Horatiuſque ad plebem, quibus videretur conditionibus, revocandam, componendaſque res; qui in caſtra a plebe ſummo recepti gaudio, quærebant, quænam plebis eſſent poſtulata, *poteſtatem tribuniciam revocationemque ſe repetere dixerunt: quæ ante decemviros creatos, auxilia plebis fuerant, & ne cui fraudi eſſet, conceſſiſſe milites aut plebem, ad repetendam per ſeceſſionem libertatem.* Liv. *lib.* 3. *cap.* 53. Qui cum patribus expoſuiſſent, factum Senatuſconſultum eſt, *ut decemviri ſe primo quoque tempore magiſtratu abdicarent. Q. Furius Pontifex maximus tribunos plebis crearet: & ne cui fraudi eſſet ſeceſſio militum plebiſque.* Quibus Senatuſconſultis perfectis, Decemviri in concionem prodeunt, abdicantque ſe magiſtratu. Nunciatur hoc plebi; convertunt inde quo jam conſederant ſigna, profectique Romam, armati ſilentio in Aventinum perveniunt, ibique creato Pontifice maximo, Tribunos plebis creaverunt, omnium primum *A. Virginium*, inde *L. Icilium*, & *P. Numitorium* auctores ſeceſſionis: deinde etiam *C. Quirinium.* Tribunatu inito, L. Icilius rogavit plebem, & plebs ſcivit, *ne cui fraudi eſſet ſeceſſio a Decemviris facta.* De Conſulibus creandis cum provocatione, M. Duilius rogationem pertulit, quæ omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta. Notandum hic, in ſecunda ſeceſſione in montem ſacrum, nihil horum actum fuiſſe, neque plebem reverſam in Aventinum creaſſe Tribunos, ut Livius refert, & quædam alia pro libertate tuenda ſciviſſe. Ita ut ea, quæ Pomponius de plebiſcitis per ſeceſſionem factis me-

memoriæ prodidit, cum hiſce quoque, quæ de ſecunda ſeceſſione diximus, non conſentiant. Niſi vellemus ita interpretari Pomponii verba; ſcil. quod occaſione hujus diſcordiæ, & ſecundæ ſeceſſionis, plebs jura quædam ſibi conſtituit, quæ plebiſcita vocantur. Verum ex hiſce verbis non concludendum eſt, quaſi ab hac ſeceſſione plebiſcita originem duxiſſent: quia tum demum illa jura, quæ plebs ſibi conſtituiſſet, plebiſcita vocari cœperunt, inquit Pomponius. Nam, ut ſuperius diximus, jam dudum ante in prima ſeceſſione in ſacrum montem, plebs quædam ſtatuit jura, ac primum Tribunos creavit, eoſque ſacroſanctos eſſe juſſit ac ſcivit, unde reliqua plebiſcita profecta ſunt: itaque in ſecunda ſeceſſione rogabant tantum reſtitutionem eorum, quæ ante in prima ſeceſſione ſciviſſent; & poſtquam jam plebs reverſa erat, reſtituunt & legem de ſanctitate tribunorum, & de provocatione magiſtratuum. Ita ut, etiamſi concederemus in ſeceſſione ſecunda, de qua Pomponius, quædam plebem ſciviſſe, & jura ſibi conſtituiſſe, non poſſit tamen Pomponii error excuſari, qui plebiſcitorum originem a ſecunda derivare ſeceſſione videtur. Imo, etiamſi nova quædam ſciviſſent ac ſtatuiſſent jura, vocis tamen origo aliunde deducenda. Tertia ſeceſſio facta eſt anno ab U. C. 467. cum plebs iterum propter æs alienum, poſt graves & longas ſeditiones, ad ultimum ſeceſſit in Janiculum, unde Q. Hortenſio dictatore deducta eſt. Liv. *lib.* 11. *epit.* Verum ne quidem in hac ſeceſſione plebiſcita facta ſunt, nec poſt controverſiam de illis, lege Hortenſia inductum eſt, ut pro legibus haberentur. Quippe poſt ſecundam ſeceſſionem L. Valerio & M. Horatio coſſ. plebs, quum veluti in controverſo jure eſſet, tenerenturne patres plebiſcitis, legem centuriatis comitiis tulit, *ut quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret.* Quam legem Q. Hortenſius dictator poſtea, poſtquam plebem ex tertia ſeceſſione reduxerat, repetiit ac renovavit; hinc plebiſcita deinde leges appellata fuere, & univerſum populum tenuere. Vid. quæ ſuperius de plebiſcitis diximus.

Digitized by Google

§. 9. Deinde, quia difficile plebs convenire cœpit, populus, (certe) multo difficilius in tanta turba hominum! neceſſitas ipſa curam Reipub. ad Senatum deduxit. Ita cœpit Senatus ſe interponere, & quicquid conſtituiſſet, obſervabatur, idque jus appellabatur Senatuſconſultum.

Deinde quia plebs difficile convenire cœpit.] Tres Romæ fuere ordines, *Senatorius*, *Equeſtris* ac *Plebejus*, ut teſtatur Cic. *in Catilin.* cum inquit: *A quibus conſulatum petit? a ſenatoribus, qui ſe auctoritate ſua ſpoliatum, ornamentis omnibus vinctum, pene Africanis oratoribus tradiderunt? ab equeſtri ordine, quem trucidaſti? a plebe, cui ſpectaculum ejuſmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo ſine luctu aſpicere, ſine gemitu recordari poſſit?* Trium horum ordinum ſummus erat Senatorius; medius Equeſtris; infimus Plebejus; ita ut plebis verbo vulgaris illa populi multitudo ſignificaretur, in qua Senatores genteſque patriciæ, aut equeſtris ordinis viri non erant: ſi quem ex ampliſſimo ordine eſſe ſignificare vellent, Senatorem; qui e medio erat Equitem; ex infimo, hominem e plebe, vel plebejum dicebant.

Populuſque multo difficilius.] Quo uno verbo, ut ſupra diximus, omnes cives cujuſvis ordinis, tam Senatores, & Equites, quam plebei continentur. Plebs enim differt a populo ut ſpecies a genere: nam appellatione populi univerſi cives ſignificantur, connumeratis etiam patriciis, & ſenatoribus; plebis autem appellatione ſine patriciis, & ſenatoribus, cæteri cives ſignificantur, inquit Imperator *in §. 4. inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Itaque merito inquit Pomponius, populum in unum convenire multo adhuc difficilius fuiſſe, quam plebem. Quamobrem non ſine ratione, *cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ cauſa, æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſuli. §. 5. inſt. eod.*

Cu-

Curam Reipub. ad Senatum deduxit.] Jam dudum ante II. XII. tabb. Senatuſconſulta obtinuiſſe legimus, atque curam Reipub. ad eum pertinuiſſe teſtantur hiſtoriæ; ita ut hæc Pomponii relatio inaccurata ſit, & iterum ab hiſtorica veritate aberrans: conſtat enim ex Suetonio *in Veſpaſiano cap.* 8. Veſpaſianum inſtrumentum feciſſe pulcherrimum, in quo pene ab exordio urbis Senatuſconſulta, & plebiſcita fuerunt contenta. Scio Romulum populo permiſiſſe poteſtatem leges ferendi, bellum indicendi, & magiſtratus creandi; verum ea non a populo peragebantur, niſi Senatus acceſſiſſet auctoritas, atque de hiſce Senatus interpoſita fuiſſent decreta. Vid. Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. *fol.* 87. *Ferebat*, inquit, *ſuffragia non univerſus populus, ſed per curias; & quod pluribus curiis viſum fuiſſet, id ad Senatum referebatur: qui mos noſtra ætate mutatus eſt. Non enim Senatus de plebiſcitis decernit: ſed de Senatusconſultis plebi permiſſum eſt ſuffragium.* Ordo autem Senatorius a Romulo habet originem, ut eſſent qui Rempublicam adminiſtrarent, ex primoribus patrum, qui tum aderant civibus, centum huic ordini adſcripſit, qui patres, vel Senatores dicti, vel ab ætate, ut ait Feſtus: vel ab honore; quemadmodum apud Lacædemonios ſenes appellabantur, qui ſummum quemdam magiſtratum gerebant, ut Cic. *lib.* 1. *de Senect.* teſtatur. Livius autem inquit, patres ab honore, patriciique progenies eorum appellati, *lib.* 1. *cap.* 8. Dionyſ. Halicar. in dubio hæret, quare ita fuerint appellati, *verum* (inquit) *propter ætatem, an propter virtutem huic conſeſſui nomen ſit inditum, non poſſum certo dicere.* Verum non mihi a vero aliena videtur nominis derivatio, quam apud Ciceronem legimus, a ſenibus potiſſimum Senatum majores noſtros appellaſſe; hi enim quia conſilio, ratione, & multo rerum uſu excellunt, ad Rempublicam tractandam eligebantur, ideoque & patres dicti, quod civitatem ſtudio, & caritate quadam patria complexi, totam ſuis conſiliis, ſuaque prudentia fovebant: & hinc ſummum concilium Senatum dicimus, & qui ampliſſimum gerunt magiſtratum, ſenes vocamus. Per ſenes autem hic non intelligimus viros decrepitos, quibus gravis eſt ſua ætas; verum tales per eos deſignantur, qui jam toga præ-

Digitized by Google

prætexta relicta, ad eam pervenerunt ætatem, ut tuto iis poſſit committi Reipub. cura. Ætatem enim, quæ in legendo Senatore obſervabatur, veroſimile eſt eandem prope fuiſſe, quæ in Quæſtore creando requirebatur. Legitimus autem capiendæ quæſturæ annus fuit viceſimus ſeptimus. Sig: *lib.* 2. *cap.* 2. *de antiq. jur. civ. Cum autem maxime* (inquit) *qui magiſtratus ceperunt, legi in Senatum conſueverunt, quæſtura autem primus urbanus fuerit magiſtratus, fit, ut ego ætatem quæſtoriam eandem prope ac Senatoriam fuiſſe exiſtimem. Legitimum autem capiendæ quæſturæ annum fuiſſe viceſimum ſeptimum ab aliis ſatis demonſtratum.* Oritur autem hic dubium, num præter illos centum Romuli temporibus etiam non alii fuerint patricii? Credibile enim videtur, confecto bello Sabino, Tatioque in ſocietatem regni adſcito, ex Tatii Sabinorumque numero aliquot in patres lectos. Quod affirmare videtur Dionyſius *lib.* 2. *fol.* 111. ubi inquit: *Jamque ordinatis rebus, viſum eſt Regibus, quando turbæ multitudine magnopere creviſſet civitas, duplicare patriciorum numerum, æquali numero e novis incolis ad priores familias illuſtres adlecto, quos patricios vocarunt, atque ita his centum viros curiarum ſuffragiis electos, ad veterem Senatorum numerum adſcripſerunt.* Idem quoque confirmare videtur Livius *lib.* 1. *cap.* 17. ubi inquit: *Sublato Romulo, inter ordines certatum fuiſſe. Oriundi ab Sabinis, ne, quia poſt Tatii mortem ab ſua parte non erat regnatum in ſocietate æqua, poſſeſſionem imperii amitterent, ſui corporis creari Regem volebant. Romani veteres* (ſcilicet centum illi a Romulo in patres lecti) *Regem peregrinum aſpernabantur.* Verum ſi plures, intereunte Romulo, fuerint patricii, quomodo ad interregem prodendum, decem tantum decuriæ, factæ ex centum patribus, coierunt. Inquit enim Livius: *Itaque rem inter ſe centum patres, decem decuriis factis, ſinguliſque in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociant.* & poſtea: *Fremere deinde plebs: multiplicatam ſervitutem, centum pro uno dominos factos.* Contra ſcribit Dionyſius: *Ducenti patres conſcripti, ex quibus Senatum Rege Romulo conſtitutum diximus, diſtributi in decurias, ſortes inter ſe jaciebant, decemque viris, quos ſors contigiſſet primos,*

Digitized by Google

mos, committebant urbis imperium. Itaque nihil ad conciliationem facit cujuſdam conjectura, qui putat, coeundi munus veterum Romanorum fuiſſe, qui a Romulo lecti fuerant, cætera communia cum reliquis. Nam & novitios ſimul cum veteribus in decurias diſtributos, coiviſſe, claris verbis teſtatur Dionyſius. Poſtquam imperium ad Tarquinium Priſcum deſcendit, adhuc centum viros ſpectatæ virtutis, & prudentiæ ad conciliandum fortaſſe ſibi plebis favorem, ſelectos ex omni plebejorum numero, in ſenatorium ordinem cooptavit, atque ita e ducentis trecentos fecit Senatores: qui deinde minorum gentium ſunt appellati. Liv. *lib.* 1. *cap.* 35. Tametſi Tacitus credat a Bruto familias minorum gentium inventas. Onuphrius Panvinius de *civitate Romana lib.* 2. putat illam diſtinctionem jam antea obtinuiſſe, bello Sabino jam confecto, Sabiniſque in urbem æquo jure ſuſceptis, atque ex illuſtrioribus familiis, viris centum curiarum ſuffragiis veteribus Senatoribus adſcriptis, patres minorum, & majorum gentium appellari cœperunt. *Nam eos,* inquit, *tantum patricios, qui a Romulo primum lecti ſunt, majorum gentium fuiſſe, vel ſequentis lectionis patriciorum teſtimonio confirmari poſſet, qui eorum ratione habita, non niſi minorum gentium ſe ipſos eſſe profiterentur. Fuerunt equidem & hi majorum gentium, ſi iis, quæ a ſequentibus Regibus lecti ſunt, conferantur; ita ut a Romulo lecti, ita majorum gentium ſunt, ut minorum eſſe non poſſint. Noviſſimi vero a Bruto creati, ita ſint minorum, ut majorum appellationem obtinere nequeant: medii vero a Regibus allecti, modo majorum, modo minorum dici poſſunt; majorum quidem inferiorum, minorum vero ſuperiorum patriciorum habita ratione.* Verum neſcio qua auctoritate hæc opinio nitatur: nam videtur veroſimilius, Patricios ſecunda lectione a Romulo veteribus adſcriptos, ejuſdem quoque honoris, & juris participes fuiſſe. Poſtulabat enim id regni & imperii ſocietas, ut æqua portio utrique regiminis & honoris genti tribueretur: unde ducentos patres conſcriptos in decurias diſtributos coiviſſe, & per vices imperium urbis tractaſſe, ſcribit Dionyſius, & uno eodemque nomine patres patricioſque eos appellat, nullius diſtinctionis mentionem faciens; ita & Livius

Digitized by Google

vius ſub Tarquinio Priſco hanc differentiam inventam aſſerit, ut ſuperius oſtendimus. Ex hac differentia Senatorum, tranſlatione quadam ex Diis Cicero eleganter quoſdam *majorum*, quoſdam *minorum gentium* dixit *lib.* 1. *Tuſc. quæſt.* Majorum gentium appellans eos, qui cœleſtes habiti ſunt ſemper, & ab antiquis *ſelecti* dicti ſunt; quemadmodum Auguſtinus *lib.* 17. *de civit. Dei* cap. 1. 2. & 3. eos *præcipuos & ſelectos* vocat: Nobiles Deos, & alibi ſummatos vocat etiam Tullius 3. *de nat.* 1. *Deor. Minorum gentium* Dii appellantur adſcriptitii quidam, & allecti in Deorum numerum, qui ex hominibus divinos honores meruerant, & conſequenter non eodem honore venerandi. Poſtea autem Regibus exactis, Junius Brutus primus Conſul, cædibus regiis diminutum Patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam explevit, traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur, qui patres, quique conſcripti eſſent, conſcriptos videlicet in novum Senatum appellabant lectos. Liv. *lib.* 2. *cap.* 1. Obſervandum patrum conſcriptorum originem Livium Bruto tribuere, cui & conſentit Plutarchus, & Tacitus. Ita enim ſcribit Plutarch. in Problem. *Cur Senatores alios patres conſcriptos, alios tantum patres? An eos, quos ab initio Romulus elegerit, patres ac patricios nominabant, quaſi bonis natos parentibus, reliquos deinde ex plebe electos, & adſcriptos, in Senatum conſcriptos vocitarunt.* Onuphrius ab hac ſententia diſcrepat, & patrum conſcriptorum originem inde manaſſe credit, quod cum Romulus Sabinos, Etruſcos, & multos ad aſylum confugientes, pace cum Tatio facta, æquo jure in civitatem ſuſcepiſſet, ex veteribus, & illuſtrioribus familiis Senatorum numerum auxerit ad ducentos, a qua, ut diximus, ſecunda electione conſcriptorum quoque nomen manaſſe autumat. Quippe ſi *conſcriptum* idem eſt, inquit, quod *adlectum*, cur hi, qui in ordinem jam inſtitutum cooptati ſunt, conſcripti non ſunt appellandi? Sed Livio aliiſque rerum fide dignis ſcriptoribus potius fidem habendam cenſeo, quam Onuphrii nulla ſcriptorum auctoritate ſubnixæ conjecturæ. Diſerte Livius nobis earum denominationum narrat originem, eamque & alii confirmant. Interjecto vero tempore C. Gracchus Trib.

Digitized by Google

Trib. pl. allectis ex equeſtri ordine aliis trecentis, ſexcentos Senatores fecit, quam legem populus paulo poſt antiquavit. Poſtea, circa tempora Syllæ, cum is Senatum exhauſtum ſupplevisset, quantus fuerit Senatorum numerus, non certo conſtat, tamen ſupra 400. fuiſſe puto. Auctus poſtea ad nongentos a Cæſ. Dictatore. Imo & ſupra mille, & quidem indigniſſimi numerabantur tempore Auguſti.

Cæterum Senatores triplicis fuere ordinis. Alii enim *Patricii*, alii *Conſcripti*, alii *Pedarii*. Patricii hi maxime ſunt, qui non ſolum a centum illis patribus, ante factum fœdus cum Tatio Sabinorum Rege, a Romulo lectis, verum qui quoque ab iſtis, qui, Titio Tatio in ſocietatem Regni adſcito, a Romulo veteribus adſcripti, geniti ſunt, ut ex Dionyſio conſtat. Conſcripti, poſtea Regum, Conſulum, Cenſorum decreto in Senatum allecti ſunt. Pedarii dicti ſunt, qui non habebant ſententiæ dictionem in Senatu, ſed in aliorum ſententiam pedibus ibant; vel ut alii volunt, quod non ſella curuli vectarentur in curiam. Auctore M. Varrone Pedarii ſunt Equites Romani, qui amplioribus magiſtratibus functi, nondum tamen a Cenſoribus in Senatum lecti, Senatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi functi erant, in Senatum ipſis venire permiſſum erat, & ſententiæ jus habebant. Non tamen rogabantur, ſed quas ſententias principes dixerant, in eas pedibus ibant: a quo Pedarii, & eorum ſententia pedaria dicta eſt. Gell. *lib.* 3. *cap.* 18. negat pedarios Senatores appellatos propterea, quod ſententiam in Senatu verbis non dicerent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent. *Quid igitur*, inquit, *quum Senatuſconſultum per deceſſionem fiebat, nonne univerſi Senatores ſententiam pedibus ferebant? atque hæc etiam vocabuli iſtius ratio dicitur, quam Gabius Baſſus in commentariis ſuis ſcriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent; quæ ob eam cauſam curulis appellaretur: ſed eo Senatores, qui magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus iviſſe in curiam: propterea Senatores nondum majoribus functos honoribus pedarios nominatos.* Ad hunc locum

locum ita Gronov. *in ſuis notis & emendationibus. Vixerat quiſquam, opinor, Senatorum, qui non aliquando pedibus iviſſet in ſententiam. Nunquid igitur omnes pedarii? Haud quaquam. Neque enim pedarii dicti, quotquot pedibus in ſententiam diſcederent, ſed qui tantum pedibus irent, aut rariſſime aliter: ſive ipſi non haberent fiduciam dicendi, ſive non rogarentur, ut qui eſſent in poſtremis ſcripti; ut Brutus accuſator vocatus, non quod non alii omnes nobiles adoleſcentes id officium Reipub. aliquando præſtarent, quantumvis invidioſum, ſed quod hic toties. Et quotidie, & nonnunquam inſontibus periculum faceſſeret.* Et Alexand. ab Alexand *dier. genial. lib. 4. cap. 11. Senatores quoque qui honoribus functi eſſent, quippe curules geſſerant magiſtratus, curuli ſella in Senatum, & curiam vehi, & cum ſceptris, ſi duces aut viri conſulares fuiſſent: qui vero non geſſiſſent, pedibus in curiam, & quod videbatur e Repub. cenſere, & ideo pedarios nuncupari perſpectum eſt.* Siquidem ſi Senatuſconſultum per diſceſſionem fiebat, univerſi Senatores pedibus ſententiam ferebant, ideoque omnes pedarii poſſent dici Senatores. Per diſceſſionem ferebatur ſententia hoc modo: Mos erat apud Romanos, quando de aliqua re fieret Senatuſconſultum, ut primum rogarentur primarii Senatores, civitatis principes, qui ſæpius de una eademque diverſas pronunciabant ſententias: fiebat vero SC. in eam ſententiam, quam plures laudaſſent. Exemplum extat apud Cic. *epiſt. 2. ad famil.* ubi ita inquit: *Itaque cum ſententia Bibuli prima pronuntiata eſſet, ut tres legati Regem reducerent, ſecunda Hortenſii, ut tu ſine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret.* Pronunciatis de Rege reducendo differentibus Senatorum opinionibus, in ſingulas diſcedebatur, ut quam plures probaſſent, cognoſceretur, atque in eam *fieret SC.* Permittendæ diſſenſionis formulam invenimus apud Feſtum: *Qui hoc cenſetis hic tranſite, qui alia omnia in aliam partem.* Majoragius in ſuo de *Senatu Romano* libello cap. 2. quatuor Senatorum eſſe genera ſtatuit, *Patricios, Conſcriptos, Allectos*, & *Pedarios.* Patricii ex ejus ſententia ſunt omnes vel majorum, vel minorum gentium, qui poſt L. Bruti inſtitutionem a Senatoribus patri-

patricii generis ducebant originem. Conſcripti vocati ſunt illi, qui Conſulum Cenſorumve decretis in Senatu eſſent ſcriptis notati. Quæ appellatio principium habuit ab ipſo Junio Bruto, qui cum Senatorum voluerit augere numerum, non ſolum ex patriciis, ſed etiam equeſtri ordine, quoſdam virtute ac nobilitate præſtantes viros Senatui adſcripſit. Quam ſententiam confirmare videtur Feſtus, cum inquit: *Allecti dicebantur, qui propter inopiam ex equeſtri ordine inter Senatum aſſumpti fuiſſent.* Verum hoc diſcrimen in allectos, & conſcriptos, quibuſdam eruditis non arridere videtur, idque merito. Allecti enim in conſcriptorum numero ponebantur, & conſcripti vocabantur. Hinc Plutarchus in problem. *Cur Senatores alios patres conſcriptos, alios tantum patres appellabant? An eos, quos ab initio Romulus delegerit, Patres ac Patricios nominabant, quaſi bonis parentibus natos, reliquos deinde ex plebe electos, & adſcriptos in Senatum Conſcriptos vocitarunt?* Omnes ſcil. poſt Romulum in Senatum cooptatos uno eodemque nomine conſcriptos appellabant. Quæri ſolet etiam fueritne Senatoria dignitas magiſtratus, & exploratum eſt Senatum magiſtratum non fuiſſe. Hinc diſtinguit Dionyſius *dignitatem Senatoriam* a *magiſtratu*, cum inquit: *Atque hinc quidem plebis opes creverunt: optimates autem multos patres antiquæ dignitatis amiſerunt; cum & Senatus, & magiſtratuum, & ſacerdotiorum partem plebejis feciſſent, & alia etiam ornamenta communicaſſent, quæ propria patriciorum fuerant.* Imo Senator nullus legebatur ex ordine, niſi qui magiſtratum geſſiſſet. Cui mori congruenter Cicero ſanxit in legibus ſuis, *e magiſtratibus Senatum eſſe oportere.* Feſtus eum dicit magiſtratum, qui in aliqua eſt poteſtate conſtitutus, quique ſinguli auctoritatem habent, ut Conſul, Prætor, Proprætor. Senator autem nullam niſi in Senatu ſententiæ dicendæ poteſtatem habet. Univerſi autem totum Reipub. ſuſtinebant pondus. Ita ut non inconcinne annotaverit Vent. Cæcus ad *h. t.* Senatum & paruiſſe magiſtratibus, & imperaſſe. Parebat, cum juſſu cogebatur magiſtratuum. Imperabat cum Senatusconſultis magiſtratus obtemperabat.

Quanta autem fuerit Senatus auctoritas, docet nos Livius

Digitized by Google

lib. 1. *Quum ſenſiſſent ea moveri patres, offerendum ultro rati quod amiſſuri eſſent, ita gratiam ineunt, ſumma poteſtate populo permiſſa, ut non plus darent juris, quam retinerent. Decreverunt enim, ut cum populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent? hodieque in regibus magiſtratibuſque rogandis uſurpatur idem jus, vi adempta: priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fiunt.* Quid ſit *auctorem fieri* tradit Paulus in *l.* 3. *ff. de auct. & conſ. tut. Etiamſi*, inquit, *non interrogatus tutor auctor fuerit, valet auctoritas ejus, cum ſe id probare dicit quod agitur, hoc eſt enim auctorem fieri.* Quemadmodum antiqui vocabant *auctores mulierum*, ſine quorum conſenſu, quæcunque egiſſent mulieres, rata non erant. Similiter quoque id juris patres habebant, ut tum demum rata eſſent, quæ populus juſſerat, *ſi patres auctores fierent.* Auctoritas autem Senatus, majeſtas populi dicebatur. Cic. *Philipp.* 3. *Tantus autem conſenſus eſt municipiorum coloniarumque Provinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majeſtatemque populi Romani defendendam conſpiraſſe videantur.* Senatorii hujus ordinis ornamenta, quibus a cæteris, præſertim Equitibus diſtinguebantur, fuerunt *Latus clavus*, & *Calceus lunatus.* Fuit latus clavus tunica purpura prætexta, latior tunica vulgari, atque longior, diſcinctaque, cui toga ſuperinduebatur ut tunicæ. Cum enim Romani cives omnes indiſtincte tunica uterentur, contigit, ut tunica ordines diſtinxerit. Et alia fuerit tunica Senatorum, alia civium. Horum ſine clavo, illorum clavata, id eſt, clavos purpureos intextos habens, qui iterum vel lati vel anguſti. Illi Senatum, hi Equitum Romanorum fuere. Lampridius in Alexandro: *Tum ſatis eſſe conſtituit, ut equites Romani a ſenatoribus clavi qualitate diſcernerentur.* Hinc quoque apud Papinium legimus *lib.* 5. *Sylv.*

Non ſanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi nec paupere clavo
Auguſtam ſedem, & Latii penetrale Senatus
Advena pulſaſti.
Primaque patricia clauſit veſtigia luna,

Mox

Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Equitum autem erant turmæ, Trabea, & pauper ſive anguſtus clavus, ideoque per Turmalem ſanguinem, trabeam, & pauperem clavum, Equeſtrem explicat ordinem. Quare Martialis in Gelliam reſpuentem ordinis Equeſtris maritum *Epigram*. 17. *lib.* 4.

Dum proavos atavoſque refers, & nomina magna,
Dum tibi noſter Eques ſordida conditio eſt:
Dum te poſſe negas, niſi lato, Gellia, clavo
Nubere: nupſiſti, Gellia, ciſtifero.

Fuerunt autem clavi quaſi flores ſeu nodi panno intecti, ſimiles capitibus clavorum, & clavata fuit tunica, cui inſuta purpuræ fragmenta, unde detrahi quoque & reſui poſſent, ut vult Manutius, & quoque Cic. *pro Sex. Roſc. Amer.* Contra vero Scaliger ad Varronem lib. 8. clavum vult fuiſſe plagulam, quæ ab humeris in pectus demittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum, ut amuleta, numiſmata, quæ de collo ſuſpendunt, ideoque non fuiſſe partem tunicæ. Quod affirmare videtur Horatius Satyr.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clavum.

Sed notandum, Senatores, cui laticlavii jus erat, tunicam laticlaviam cingere non conſueviſſe: quo fiebat, ut clavi purpurei, cum zona non conſtringerentur, caderent in pectus ſive demitterentur pectore. Secus in Equitibus, qui cum cingerent tunicam, anguſti clavi in pectus non deſcendebant, ſed in ſinu & ſupra ipſam zonam conſpiciebantur. Vid. Quinctil. *lib.* 11. Uſus autem clavorum a Tullo Hoſtilio Romanorum Rege petendus, quem, ut inquit Plinius *lib.* 9. *cap.* 39. toga prætexta & latiore clavo e Regibus primum uſum Etruſcis devictis ſatis conſtat.

Nec ſolum tunicæ, ſed etiam ſupellex lectorum, & menſarum latis clavis prætexebantur, ut apud Mart. Epigram. lib. 4. cap. 46.

Et lato variata mappa clavo.

Unde quoque apud Petronium: *Circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam.* Eſt autem mappa, qua inter ſcyphos & epulas utebantur, & pro ſe quiſque afferebat.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.
Mart. *lib.* 12. *epigram.* 29.

His itaque mappis adſuti quoque fuere clavi. Nec tantum purpurei, ſed & aurei clavi commemorantur ab Ulpiano l. 19. *ff. de aur. argent. mundo:* ait enim: *Argento cedere, quod ad ſpeciem argenti junctum eſt, quemadmodum & clavi aurei; & purpuræ pars ſunt veſtimentorum.* Et ex Pomponii ſententia: *Etſi non ſunt clavi veſtimentis conſuti, veſte legata continentur.* Atque hinc auro clavatæ veſtes apud Vopiſcum, quarum uſum Tacitus Imperator interdixit.

Denique ex omnibns conſtat alias eſſe *veſtes clavatas* auro ac purpura; alias *aureas purpureaſque*, quæ totæ auro textili aut purpura conſtant. Aliam quoque tunicam eſſe palmatam, aliam laticlaviam; non omnis etiam lati clavi tunica palmata erat. Palmata ſiquidem, quam triumphantes accipiebant, a latitudine quidem clavorum ita dicebatur, non tamen inde omnes tunicæ laticlaviæ palmatæ fuere: poſtea enim a genere picturæ palmata dicta fuit, Feſtus. Ut enim toga picta olim purpurea, poſt picta fuit; ſic tunica ſocia pictæ togæ olim latus clavus, poſt palmata, a genere picturæ vocata, & ſimul cum toga picta triumphantibus data. Sig. *lib.* 3. *de antiq. jur. civ.*

Alterum Senatoris ornamentum fuit *calceus lunatus*, qui Senatorem quoque a plebe cæteriſque ordinibus diſtinguebat. Calceorum uſus per longa ſecula apud veteres non obtinuit; hinc initio Reipub. Romanæ non tantum ſervi, ſed & ipſi Sna-

Digitized by Google

Senatores nudis pedibus incedebant, niſi neceſſitas cogeret, paulatim uti faſciis cruralibus, & pedulibus: poſtea pedes tegendi non tantum mos invaluit, verum variis quoque calceamentorum formis fuere uſi: imo adeo calceandi luxus tandem Rempub. invaſit, ut & argenteis, aureis & gemmatis pedes texerint calceis. Hinc de Cæſare Seneca, de alieno cultu, quo ſe ornabat, ſermonem habens, inquit: *Qui excuſant eum, negant id inſolentiæ cauſa factum: ajunt ſocculum auratum; imo aureum margaritis diſtinctum, oſtendere eum voluiſſe.* Et Eutropius cap. 9. *Eamque ob rem ornamenta gemmarum veſtibus, calceamentiſque addidit.* Calceamentorum porro genera fuere duo *Calceus*, & *Solea*; Calceus totum pedem texit, Solea plantam tantum. Verum calceorum, & ſolearum varia genera: a cæteris autem differebat Senatorum Calceus, utpote cui præter cætera ornamenta lunula erat adſuta, quibus, inquit vetus Scholiaſt. ad *Juv. Sat.* 7. *Diſcernuntur Patricii a novitiis.* Quod non obſcure videtur hiſce verſibus innuere Juvenal.

. . . & nobilis, & generoſus
Ad poſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Et Martialis lib. 1. epig. 50.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidæve veſtes murice.

id eſt, non aderant nobiles ſive patricii Romani. & epig. 29. lib. 2. ubi de quodam ſervo literato ad equeſtrem dignitatem evecto:

Non extrema ſedet lunata lingula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Pro *extrema*, alii legunt *externa*; quidam heſterna, id eſt, nova, ut notet hunc ſervum hominem novum, & hodie primum nobilitatum: novi enim homines ſunt, qui primi è famili-

Digitized by Google

lia ad honores perveniunt. Sic *heſternos Quirites* Perſius Sat. 3. vocat ſervos recenter libertate donatos, pridie manumiſſos, & cives Romanos factos. Ligula enim illa, quæ in pede ſedet, extrema a Martiali vocari nequit; quia heſternus ille eques heri atque hodie ad hanc evectus dignitatem, in quem invehitur Poeta, calceos patricios geſtabat, quatuor corrigias ſive ligulas habentes; quamobrem infima ligula, quæ pedem tangit, extrema dici nequit; cum contra in calceis plebejis extrema erat, illi enim non habebant alias ligulas, quæ inter ſe implexæ uſque ad ſuras aſcendebant. Rub. *de calceo Senat.* hæc ligamenta enim ad ſuras extenſa fuiſſe docet Virg. Ecloga 7.

Puniceo ſtabit ſuras evincta cothurno.

Lunula autem hæc apponebatur eo loco, ubi extremitates calceorum inter ſe coeunt, quæ in fronte calcei infixa, ubi pes incipit, præter nobilitatis ſignificationem eum quoque habebat uſum, ut claudendis adſtringendiſque inter ſe calceorum anſulis eſſet admodum commodus. Unde Statius:

Primaque patricia clauſit veſtigia luna.

Fuit autem initio Reipub. lunula una tantum calceo adpoſita, eaque vel ferrea, vel ærea, vel eburnea; donec profuſior luxus Rempub. invaſit, quando non una, ſed plures, eæque pretioſiores, utpote vel argenteæ, vel aureæ, vel etiam gemmeæ calceis aſſuebantur. Quare autem Patres illi, qui generis nobilitate a cæteris diſtinguebantur, lunulas calceis adſutas geſtabant, variæ adferuntur rationes. Plutarch. *q.* 76. diverſas enumerat; vel quod ſignum eſſet habitationis ſupra lunam; vel ut ſignificarent genus ſuum ab Evandro repetere, qui ipſe a luna ortum ſe diceret; vel ut ſecundis rebus elati ac ſuperbientes, mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur, lunæ videlicet exemplo, quæ primum recens e caligine emergit, deinde fulgore faciem ſplendidiorem augeſcit illuſtrans: & cum ſplendeſcit pulcherrima, orbe pleno, ire-

rum

Digitized by Google

rum exuit lumen ſuum, & oculos ſpectantium fugit; vel ut obedientiæ aſſueſcere diſcerent lunam imirantes, præſtantiori parere non recuſantes; quod quemadmodum illa ſecundas in illuſtrando orbe partes obit, Phœbei ſemper radiis intenta nitoris; ita ipſi quoque magiſtratibus obtemperarent, a quibus, & honorum, & potentiæ in ſe redundarent fructus. Verum magis viris doctis placet Iſidori de ſignificatione lunulæ opinio, qui putat *lunam non ſyderis in eis formam, ſed notam centenarii numeri ſignificaſſe, quod initio patricii tantum centum fuerint.* Et Zonaras, *Patricii*, inquit, *geſtabant in urbe calceos urbanos forma litteræ* RHO, *ut a centum Senatoribus originem trahere viderentur, aut quod prima eſſet littera Romanorum.* His ergo ornamentis ſive inſignibus ſcil. lato clavo, & calceis lunatis ab aliis ordinibus diſtinguebantur, ut Equites annulo aureo, *Annuli diſtinxere alterum ordinem a plebe, ut ſemel cœperunt eſſe celebres, ſicut tunicæ ab annulis Senatum.*

Præterea Senatoribus fuit jus ſpectandi in orcheſtra. Equitibus vero in quatuordecim ordinibus theatri. *Cumque intercedentibus annis, Patribus Equitibuſque, ac plebi Romanæ confuſa loca fuiſſent, ubi ſpectarent, Corn. Scipione & T. Sempronio coſſ. ludis Romanis per Ædiles Curules diſcreta loca Senatoria a populo fuere, ut ſuus cuique honos ſervaretur, lege cautum fuit, ut optimatibus ſubſellia proxima darentur. Quo tempore præcipua loca in orcheſtra Senatoribus data ſunt, ubi in ſcena ſaltabatur, & chorus inducebatur. Podium Imperatori & Conſulibus, proſcenia & pulpita optimatibus, nonnunquam Principi.* Alex. ab Alexand. *dier. Genial. lib.* 5. *cap.* 16. Quidam Orcheſtram Pantomimorum ſaltibus dicatam fuiſſe contendunt, atque a Græco verbo ὀρχέομαι, quod ſignificat *ſalio*, locum ita vocitatum volunt. Unde apud Iſidorum lib. 18. cap. 44. *Orcheſtra* (inquit) *erat ſcenæ, ubi ſaltator agere poſſet, aut duo inter ſe diſputare; ibi enim Poëtæ, Comœdi, & Tragœdi ad certamen deſcendebant, iiſque canentibus alii geſtus edebant.* Hinc vetus Scholiaſtes ad *Juvenal. verſ.* 178. *ſat.* 3. dicit orcheſtram eſſe ſpatium chori, & ſaltatorum; & ad v. 47. *ſat.* 7. vocat orcheſtram ſpatium in Theatro, quod Pantomimo

Digitized by Google

tomimo ſaltanti vacat. Verum eorum potius ſententiæ tanquam vero magis conſentaneæ ſubſcribo, qui Orcheſtram locum Senatui deſtinatum fuiſſe affirmant, in quo Senatores ſpectaturi ſedebant, & ſua habebant ſubſellia, non deſtitutus teſtimoniis fide dignis. Sic apud Juvenal. Sat. 3. v. 178.

Æquales habitus illic, ſimileſque videbis
Orcheſtram & populum.

Id eſt, optimates & plebem. Sic apud Sueton. in Nerone cap. 12. *Deinde in Orcheſtram ſenatumque deſcendit, & orationis quidem, carminiſque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit.* Ex quo clare perſpicimus populo Orcheſtram non patuiſſe. Et in Cæſare *cap.* 76. *Inſuper prænomen Imperatoris, cognomen patris patriæ, ſtatuam inter Reges, ſuggeſtum in Orcheſtra.* Et in Auguſto cap. 35. *Servavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in Orcheſtra, epulandique publice jus.* Et clarius id probant, quæ apud Vitruvium legimus lib. 5. Architect. cap. 6. *Ex his trigonis cujus latus fuerit proximum ſcenæ, ea regione qua percipit curvaturam circinationis, ibi finiatur ſcenæ frons, & ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quæ disjungat proſcenii pulpitum, & Orcheſtræ regionem, ita latius factum fuerit pulpitum quam Græcorum, quod omnes artifices in ſcenam dent operam. In Orcheſtra autem Senatorum ſunt ſedibus loca deſignata, & ejus pulpiti altitudo, ſit ne plus pedum quinque, uti qui in Orcheſtra ſederint, ſpectare poſſint omnium agentium geſtus.*

Supereſt jam, cum per omnes ordinis Senatorii partes percurrere nobis animus eſt, de jure ac modo Senatus habendi & convocandi aliquid diſputemus. Per quos Senatus more majorum haberi & conſuli uſus obtinuit, ex Gellio perſpicimus, qui *lib.* 14. *cap.* 7. *ex Varrone* aſſerit Dictatorem, Conſulem, Prætorem, Tribunum plebis, Interregem, Præfectum urbis, neque alios præter hos, jus habuiſſe facere Senatusconſultum; quotiescunque uſu veniſſet, ut ſi omnes iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſupra ſcripti

pti

Digitized by Google

pti ordine eſſent, qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſſimum Senatus conſulendi jus fuiſſe. Addit deinde extraordinario jure Tribunos quoque militares, qui Proconſules fuiſſent, item Decemviros, quibus imperium conſulare tunc eſſet, item Triumviros Reipub. conſtituendæ cauſa creatos jus conſulendi Senatum habuiſſe. *Cap.* vero 8. quæſitum eſſe inquit, an Præfectus urbi latinarum cauſa relictus Senatum habere poſſet? quod Junius negavit, propterea quod Senator non erat, neque jus habebat ſententiæ dicendæ, quum ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit Senatoria. *M.* autem *Varro*, & *Attejus Capito* contrariam amplectebantur ſententiam, & ajunt, Præfecto urbi jus eſſe habendi Senatus, quandoquidem & Tribuno plebis jus Senatus habendi erat, quanquam Senatores non eſſent ante Atinium plebiſcitum.

His vero magiſtratibus, quibus Senatusconſultum faciendi jus erat, poteſtas etiam fuit intercedendi. *Poſtea*, inquit Gell. *cap.* 7. *lib.* 14 *ſcripſit de interceſſionibus, dixitque intercedendi ne Senatuſconſultum fieret, jus fuiſſe iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Senatuſconſultum facere vellent, majoreve eſſent.* Locus autem Senatuſconſulti faciendi per Augurem conſtituebatur, & templum appellabatur, etiamſi profanus eſſet. Auguris enim conſecratio locum aptum reddebat ad Senatuſconſultum habendum, poſt eam, licet antea profanus, templum appellabatur, quamobrem in Curia Hoſtilia, & Pompeja, & poſtea in Julia, cum profana ea loca eſſent, templa fuiſſe per Augures conſtituta, ut in iis Senatuſconſulta more majorum juſta fieri poſſent, Gell. *dict. loc.* tradit. Loca iſta Senacula fuiſſe appellata docet Feſtus, inquiens: *Senacula Romæ tria fuiſſe, in quibus Senatus haberi ſolitus ſit, memoriæ prodidit Nicoſtratus in lib. qui inſcribitur de Senatu habendo. Unum ubi nunc eſt ædes Concordiæ inter Capitolium & forum, in quo ſolebant magiſtratus, ut dicit Tritinius, cum ſenioribus deliberare. Alterum ad portam Capenam. Tertium intra ædem Bellonæ, in qua exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, Senatus dabatur.* Aliquando tamen fiebat ſub Dio vel Jove frigido, propter aliquam prodigii cauſam, ut cum nunciabatur de bove locuto,

Digitized by Google

teſtante Plinio *lib.* 8. *cap.* 45. loco tamen inaugurato, ne Senatuſconſulta irrita forent, ut ſuperius diximus. De tempore vero habendi Senatus ita differit Gell. Senatuſconſultum ante exortum ſolem aut poſt occaſum factum, ratum fuiſſe. Opus etiam cenſorium feciſſe exiſtimatos, per quos eo tempore Senatuſconſultum factum eſſet. Certum tempus autem, quo Senatus haberetur, lege Pupia definitum, a M. Pupio Piſone lata, qua conſtitutum eſt, *Ne Senatus ab* XIX. *Kalend. Februarii ad uſque Kalendas Februarias haberetur. Ne niſi perfectis vel rejectis legationibus aliis de rebus Senatus haberetur.* Cic. *lib.* 1. *epiſt.* 4. *ad famil.* Februario menſe Senatus frequens poſtulatis provinciarum, & legationibus audiendis dabatur. Imo lex Gabinia jubebat legatis quotidie Senatum dari, Cic. *epiſt.* 12. *ad Q. Frat. Comitialibus diebus Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat Senatum; & quod Gabinia ſanctum ſit, & cogi legatis quotidie Senatum dari.* Tranquillus in Auguſto ait *cap.* 35. *Sanxiſſe Auguſtum ne pluſquam bis in menſe legitimus Senatus haberetur, Kalendis & Idibus, neve Septembri Octobrive menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quam ſorte ductos, per quorum numerum decreta confici poſſunt.* Legitimus autem vocatur, qui ſtatis & lege Pupia deſignatis diebus convocatus habebatur. vid. Cic. *lib.* 1. *epiſt.* 4. *ad Lentulum, lib.* 8. *epiſt.* 8. *ad Ciceronem.* Si præter ordinem ob incidentia aliqua negotia Senatus cogebatur, edictus vel indictus dicebatur. Excipiebantur autem ſemper dies comitiales, quibus Senatus haberi non poterat: ideoque nec cogi vel indici. Cic. *ad Q. Fr. epiſt.* 2. *lib.* 2. *Per obtrectatores Lentuli res calumniæ extracta eſt, conſecuti ſunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Cauſam hujus prohibitionis ex Jul. Capitolino colligimus *in Gordiano* ſcil. ne *Senatores a ſuffragio ferendo avocarentur.* Excipiebantur quoque dies feſti, & ludi publici Qui autem Senatum habiturus eſſet, prius hoſtiam immolabat, auſpiciumque capere conſueverat. Ita Appianus lib. 2. *Eſt vero mos magiſtratibus Senatum ingreſſuris, prius uti Haruſpicina.* Hinc Livius lib. 22. *Ita rebus divinis peractis de bello reque publica retulit Dictator.* Auguſtus ſanxit, *ut priuſquam* con-

Digitized by Google

conſideret quiſque thure & mero ſupplicaret, apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. Quæ ejus ætatis conſuetudo fuit, cum ſerio quid ageretur, idque probatur ex Ovidio, cum uxorem docet, quanam eſſet Livia ratione convenienda:

Sed prius impoſito ſanctis altaribus igni
Thura fer ad magnos vinaque pura Deos.

Quid autem ſi Senatus haberetur in Curia? & ibi quoque fuiſſe aras exiſtimat Caſaubonus: quemadmodum in Julia Curia, ubi ara Victoriæ. Præterea, ut ſuperius diximus, Augures conſtituerunt plurimas curias templa eſſe. Prius autem de rebus divinis, quam humanis in Senatu referendum erat.

Notandum quoque neminem, Senatu convocato, ſententiam de aliqua re dixiſſe, niſi prius rogatum; ordinem vero in rogandis dicendiſque ſententiis deſcribit Gell. *lib.* 4. *cap.* 10. Ante legem, quæ nunc de Senatu habendo obſervabatur, ordo rogandi ſententias varius fuit; alias primus rogabatur, qui a Cenſoribus princeps in Senatum lectus fuerat, alias qui deſignati Conſules eſſent. *Qui ordo in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igitur conſule deſignato, more majorum capiamus exordium.* Cic. *Philipp.* 5. *cap.* 13. Interdum Conſules, ſtudio aut neceſſitate aliqua adducti, quem iis viſum erat, honoris gratia, extra ordinem ſententiam primum rogabant, alium tamen quam conſularem virum rogari fas non erat. Ex qua conſuetudine C. Julium Cæſarem in eo conſulatu, quem geſſit cum M. Bibulo, quatuor ſolos duntaxat extra ordinem rogaſſe teſtatur Gellius, M. Craſſum, deinde Cn. Pompejum, poſtquam Cn. Pompejo filiam deſponderat. Et Cicero *in libro de ſenectute cap.* 18. teſtatur tantum honoris ſenectuti fuiſſe tributum, quod, ut quiſque ætate antecedit, ita ſententiæ principatum teneat: neque ſolum honore antecedentibus, ſed iis etiam qui cum imperio ſunt, id eſt, quibus Senatus populuſque Romanus exercitum dederat, qui, niſi prius imperium depoſuiſſent, ingredi urbem legibus vetabantur.

Digitized by Google

Cum autem Conſul alter ambove retuliſſent, ſententias rogati Senatores dicebant, Conſul eas pronunciabat, ut facta diſceſſione, voluntas Senatus appareret. Verum notandum quod refert Gellius *eod. loc.* Senatori jus fuiſſe, antequam ſententiam de re propoſita pronunciaret, ante quicquid vellet alius rei & quoad vellet, diceret, quo contingebat, ut perficere nolentes quod proponebatur, vel de quo agebatur, diem dicendo eximerent, ut feciſſe Catonem teſtatur, qui a Cajo Cæſare Conſule rogatus perficere nolebat rem, de qua rogabatur, quod ea e Repub. non videbatur, ejus rei gratia ducendæ longa oratione utebatur, eximebatque diem dicendo. Cum aliquis in dicenda ſententia duas pluresve res complectebatur, eam, ſi non omnibus placeret, poſtulabatur, ut divideret, ſcil. ut ſeparatim de ſingulis referret. Obſervandum porro, ſuo loco quemque ſententiam dixiſſe; primi ſedebant magiſtratus majores Conſules, Prætores, quod ſi Cenſores in Senatu, infra Prætores locum habebant. Cenſura enim non magiſtratus erat perpetuus, ſed quinto quoque anno creabatur, ad civitatem cenſendam ſive luſtrandam, unde luſtrum quinquennii ſpatium ſignificat; dictum auctore Varrone a *luendo*, id eſt, *ſolvendo*: quoniam in quinque annos olim prædia locari ſolebant, & quinto quoque anno tributa ſive vectigalia exigebantur. Cum autem inter majores magiſtratus Cenſoria dignitas numerabatur, ſupra minores magiſtratus in Senatu ſediſſe dubitari nequit. Sequebantur deinde minores magiſtratus, Ædiles curules, Ædiles plebis, & Quæſtores; tum qui magiſtratum geſſerant, quiſque ſuo ordine, Conſulares, Prætorii, Ædilitii, Quæſtorii: cum autem ſententiam dicebant, ſurgebant, & ſtantes pronunciabant opinionem.

Ita cœpit Senatus ſe interponere.] Id eſt, Senatus cœpit ſe iterum immittere iis rebus, quæ poteſtati & auctoritati, quæ ſibi olim competebat, recuperandæ inſerviebant. Ita enim apud Cicer. in Vatinium: *Num quem putes illius tui certiſſimi gladiatoris ſimilem Trib. plebis reperiri poſſe, qui ſe interponat, quo minus reus mea lege fias.* Idem ad Q. *Fr. lib.* 3. 20. 7. *De Aſcanione tu vero ne quod voles facies, me nihil in-*

Digitized by Google

interpono, id intermiſceo. Itaque interponendo vel intermiſcendo ſe Senatus paulatim ſibi priſtinam auctoritatem, & poteſtatem vindicavit, neceſſitate cogente populus Senatui favere, omnemque ad eum deferre Reipub. curam neceſſe habebat, ſi ſibi aut Reipub. conſulere vellet. Notandum itaque, hæc verba Pomponii non ita explicanda eſſe, quaſi antehac Senatus nullam curam habuerit: quippe ſuperius oſtendit, & ſub Regibus, & poſt illorum exactionem magnam Senatus fuiſſe auctoritatem, & poteſtatem. Verum poſtremis temporibus, plebe reluctante, multum de ea fuit detractum, & imminutum, ita ut non tantam jam haberent, quantam occaſione præſentis neceſſitatis recuperarunt, ſcil. liberam de omnibus rebus, quæ ad Reipub. curam pertinebant, præterquam de gravioribus, (ut creandis magiſtratibus, ſanciendis legibus, quarum ferendarum auctores tantum fiebant, de bello indicendo, & ineundis fœderibus,) ſtatuendi, & quæ ſtatuta erant, exequendi poteſtatem. Ita ut quicquid ſtatuiſſet, decreviſſet, & conſtituiſſet, obſervaretur, & vim legis haberet, idque jus appellabatur Senatuſconſultum, non quod lex aliqua Senatuſconſultis legum vim, quemadmodum plebiſcitis tribuerat lex Hortenſia, verum neceſſitate cogente populus eandem ipſis vim tribuit, & quidquid Senatus decreverat, ut legem obſervabat, niſi tale quid eſſet, quod plebis jus læderet, quo caſu ſalvum erat Trib. plebis jus intercedendi, qua interceſſione impediebant, ne Senatuſconſultum vim & effectum ſortiretur. Itaque major poteſtas Trib. in prohibendo, quam Senatus auctoritas in conſtituendo vel decernendo. Hinc Gellius *lib.* 14. *cap.* 7. *Intercedendi ne Senatuſconſultum fieret, jus iis ſolis fuiſſe, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Senatuſconſultum facere vellent, majoreve eſſent.*

Idque jus appellabatur Senatuſconſultum] Non ambigitur Senatum jus facere poſſe, ut inquit Ulpianus *l.* 9 *ff. de ll.* quamvis non potuerit facere legem, ſed tantum legi ſimilem conſtitutionem, vim legis habentem, *l. unic. Cod. de Senatuſ. conſ.* Lex enim eſt populi juſſum generale, penes quem privative eſt legis condendæ poteſtas; populi autem appellatione, ut ſuperius diximus, univerſi cives continentur, connu-

meratis etiam Patriciis, & Senatoribus. Hæc enim tria reliquerat Romulus populo commoda, magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli ac pacis arbitrium, ita tamen, ut patres, dum hæc expediebantur, auctores fierent. Varia autem de Senatuſconſultis annotanda occurrunt, & primum quidem examinandum nobis incumbit, qua ratione fiebat. Poteſtas juris faciendi, quam Ulpianus in dicta lege Senatui competere affirmat, non tantum noviſſimis obtinuit temporibus, ſed ab imperii primordio derivanda, utpote ipſo Romulo imperii conditore Senatui tributa, qui de ordinanda civitate, quam excitare in animum induxerat, ſollicitus, ante omnia ad ea animum applicuit, quæ ad ejus gubernationem pertinerent, & ut ſuperius diximus, centum creavit Senatores, qui ob ætatem venerabilem Patres dicebantur, eorumque collegium ſive concilium Senatus dictum, cui tantam Romulum largitum fuiſſe poteſtatem apud Dionyſium legimus, lib. 6. (*Scitis ſane, legem nobis eſſe jam inde ab U.C. quæ omnia in Senatus poteſtate facit, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi finiendique arbitrium, horum trium poteſtatem eſſe penes ſuffragia populi*) ut fere Reipub. omnis adminiſtratio penes Senatum eſſet, præter ea jura, quæ populo Romulus conceſſerat. Quod autem a Senatu decretum juſſumve erat, Senatuſconſultum dicebatur. *Senatuſconſultum*, §. 5. *inſt. de jur. nat. & gent. eſt, quod Senatus jubet. Nam cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ cauſa, æquum viſum eſt Senatum vice populi conſuli.* Verum hæc non ita debemus interpretari, quaſi poteſtas Senatuſconſulta faciendi tum cœperit, cum populus ad eam multitudinem pervenerat, ut eum convocari eſſet difficile: quippe, ut modo diximus, Senatuſconſultorum primordia vetuſtiſſima: ſed & idem dicere vult Juſtinianus, quod Pomponius, ſcil. aucta populi multitudine, difficultas conveniendi ad Senatum curam Reipub. deduxit, permittente populo, quæ Pomponii relatio minus accurata videtur; nam apparet ex Hiſtoriis, poteſtatem populi ad Senatum tranſlatam aſtutia Cæſarum. Senatus enim potentiam augendo ſuæ ſerviebant, ut videre eſt. Hinc paulatim

Digitized by Google

latim jura populi imminuebant. Cæſar dictator jus comitiorum non in totum populo ademerat, ſed cum eo partitus erat, Suet. *in Jul. cap* 43. Tiberius autem jus antiquum populo ademit, & ſub ejus imperio Comitia e Campo ad Senatum tranſlata, Tacit. 1. *Annal. cap.* 15. Niſi dicamus Pomponium hoc ſignificare voluiſſe, quod ſuperius diximus, nimir. Senatum non nova quædam jura ſibi arrogaſſe, vel acquiſiviſſe, ſed tantum priſtinam recuperaſſe poteſtatem auctoritatemque poſtremis illis mutatis Reipub. temporibus labefactatam, propter frequentes Tribunorum interceſſiones, & patrum cum plebe diſcordias, quia in tanta turba hominum difficile erat in unam eandemque convenire ſententiam, propter varia hominum deſideria; quot enim homines, tot fere ſententiæ, quas ad unam redigere conſonantiam hoc opus, hic labor eſt; naturalis enim hominum ad diſſentiendum facilitas, ut idem inquit Pomponius *l.* 17. *ff. de receptis arbitr.* Cum itaque plebs animadverteret illa cum Senatu certamina Reipub. interitum portendere, reverſa in concordiam cum Senatu, veterem curam, & auctoritatem, permittente propter communem ſalutem populo, Senatus recuperavit, & quod Senatus decrevit ac conſtituit, pro lege habuit. Ut autem Senatuſconſultorum vetuſtiſſima probemus primordia, Dionyſium citamus, qui eorum quædam nobis exhibet exempla. Quorum unum eſt, ut Sabinæ mulieres ad gentiles ſuos urbem obſidentes, reconciliationis cauſa proficiſcerentur. *Factum eſt*, inquit, *Senatuſconſultum, ut quotquot Sabinæ haberent prolem, his domi apud maritum relictis pueris, liceret legationem ad ſuos populares ſuſcipere lib.* 1. *cap* 82. Alterum fuit de Interregibus creandis. Tertium cum decreverunt, ut cum populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent. Liv. *lib.* 1. *cap.* 17. Dionyſ. *dict. lib.* Quartum cum plebs Regem creandi poteſtatem a Senatu ſibi delatam, Senatui conceſſit, juſſitque ut Senatus decerneret, qui Romæ regnaret, pro poteſtate itaque ſibi data, Numæ Pompilio regnum deferendum decreverunt. Qua autem ratione Senatuſconſulta fiebant, de ea ſuperius quædam diſputavimus. Inquit autem Gellius, Senatuſconſultum fieri duobus modis, aut per diſceſ-

Digitized by Google

diſceſſionem ſi conſentiretur, aut per ſententias ſingulorum exquiſitas, id eſt, per ſuffragia: Conſul, vel is cui Senatum habendi jus erat, convocato Senatu, cum cauſam convocandi retuliſſet, rogabat, ſententias, eo ordine quem ſervare volebat qui Senatum convocaſſet, modo e conſulari eſſet gradu, quem primus rogabat, ut diximus. Verum notatu dignum, quod tradit Suet. *in Jul. Cæſ.* conſuetudinem obtinuiſſe, ut quem ordinem in rogandis ſententiis tenuiſſet *Kalend. Jan.* eundem toto obſervaret anno. Pronunciatis opinionibus, eam, quam magis e Republica fore putabat, primam pronunciabat, & rogabat ut Senatus judicaret hiſce verbis: *Qui hoc cenſetis, illuc tranſite, qui alia omnia, in hanc partem*; quibus verbis præibat ominis cauſa, ne diceret, qui contrariam ſentiret. Hinc *ire in alia omnia*, *tranſire*, pro contrariam ſententiam amplecti. Poſtquam igitur rogaſſet Conſul, vel qui Senatum convocaſſet, ut diſceſſionem facerent, ipſe primus, facta diſceſſione, alii deinde, in quam quiſque partem, quam probabat, tranſibat. Diſceſſione facta, numerabantur Senatores ab utraque parte ſtantes, ex quorum numero apparebat voluntas Senatus, & quod plures approbaſſent, in eam fiebat Senatuſconſultum, præſertim ſi major pars ſententiam a Conſule pronunciatam amplectebatur. Sin minus, contingebat ſæpius, ut res, de qua agebatur, omnino abjiceretur, vel in aliud tempus rejiceretur, quæ interjecto tempore iterum propoſita, comprobabatur ſæpiſſime. Ex quibus perſpicimus ex Conſulis aliorumque, quibus Senatus conſulendi jus erat, fere arbitrio pependiſſe Senatuſconſultum. Quippe ſuperius diximus, iiſdem magiſtratibus, quibus Senatuſconſulti faciendi jus erat, poteſtatem etiam fuiſſe impediendi, ne Senatuſconſultum fieret.

Quando autem is, qui Senatum habebat, rogabat ſingulos Senatores, quid de re propoſita ſentiret quiſque, eorumque ſingulas exquireret ſententias, appellabatur ſimpliciter Senatuſconſultum. Si Senatuſconſultum per diſceſſionem factum dicebatur, non rogabantur, neque dicebat quiſque ſententiam, ſed tantum pedibus in eam partem ibant, quam probabant; unde pedibus ire in ſententiam apud Cic. & Livium toties.

Cum

Digitized by Google

Cum Senatuſconſultum per diſceſſionem forte fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo. Suet. *in Tib. cap.* 31. Addit forte per diſceſſionem, ut diſtingueret Senatuſconſultum per diſceſſionem ab eo, quod exquiſitis ſingulorum ſententiis ſimpliciter Senatuſconſultum, non additis verbis per diſceſſionem, dicebatur. Hinc Cic. *Philipp.* 3. *cap.* 9. *Ac quæ ſine cauſa videretur edixiſſe, ut Senatus adeſſet, cum de Repub. relaturus fuiſſet: allato nuntio de legione quarta, mente concidit: effugere feſtinans Senatuſconſultum de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cum id factum eſſet antea nunquam.* Notandum vero, nullum Senatuſconſultum potuiſſe fieri diſceſſione non facta, in omnibus diſceſſio erat neceſſaria: ſed alia fiebant per diſceſſionem non dictis neque rogatis, vel exquiſitis ſententiis; alia ſcrutatis, vel auditis ſingulorum ſententiis: ambo per diſceſſionem fiebant, & hac ratione facile Tuberonem cum Varrone conciliare poſſumus, quos a ſe invicem diſſentire putat Gell. *lib.* 14. *cap.* 7 propterea fortaſſe, quod vel non intellexit, vel quod rejecit illam loquendi formulam ex Varrone relatam, quod ſcil. Senatuſconſultum fit, vel per diſceſſionem, ſi conſentitur, aut ſi res dubia eſſet, per exquiſitas ſingulorum ſententias. *Hæc enim*, inquit, *parum convenire cum eo, quod Atejus Capito in conjectaneis ſcriptum reliquit. Nam in libro ducenteſimo quinquageſimo nono Tuberonem dicere ait, nullum Senatuſconſultum fieri poſſe non diſceſſione facta, quia in omnibus Senatuſconſultis, etiam in iis, quæ per relationem fierent, diſceſſio erat neceſſaria: idque ipſe Capito verum eſſe affirmat.* Et ſine dubio quoque Varro, licet non addidit per diſceſſionem, quando de Senatuſconſulto per ſuffragia facto ſermonem habet, etiam id adeo neceſſarium exiſtimat, ut ſine ea nullum poſſet fieri Senatuſconſultum, quamobrem non opus erat ejuſdem vocis repetitione. Diſceſſione facta, & exquiſitis ſingulorum ſententiis, Senatuſconſultum ſcribebatur. Quum autem ſcriberetur, moris erat, ut ea res, de qua ſententiæ rogatæ erant, ſummatim exponeretur. Scribebantur autem non omnium nomina, qui Senatuſconſultum probaverant, ſed eorum potiſſimum, quorum nomina auctoritatem, & pondus

Senatuſconſulto adderent, vel quorum auctoritate Senatuſconſultum factum erat, qui præter cæteros ita decerni conati erant. Quæ Senatuſconſulta auctoritates dicebantur, quaſi Senatuſconſulti auctoritas in eo eſſet poſita, ſi per claros viros videatur ſcriptum. *Aliquando tamen ſæpe re dilata, & graviter acta, & plane perſpecta, Cn. Pompeji voluntate in eam partem, ut eum decedere poſt Kalendas Martias placeret, Senatuſconſultum, quod tibi mihi factum eſt, auctoritateſque perſcriptæ.* Epiſt. Cælii ad Cic. 3. & Cic. de orat. ubi de L. Craſſo ſermonem habet, *Permulta cum vehementiſſima contentione animi, ingeniique virium, ab eo dictum eſſe conſtabat, ſententiamque eam, quam Senatus frequens ſecutus eſt ornatiſſimis, & graviſſimis verbis, ut populo Romano ſatisfieret, nunquam Senatuſconſultum Reipublicæ, ne fidem defuiſſe ab eo dictum, & eundem, id in auctoritatibus præſcriptis extat, ſcribendo admiſiſſe.* Extat in prædicta Cælii epiſtola integra Senatuſconſulti formula, cui ſcribendo adfuerunt vix duodecim Senatores; cum, ut ſcribit Livius, *Senatuſconſultum fieri potuerit, ſi centum non minus in Senatu eſſent.* Pædianus in Corneliana, *Lege Cornelia cautum fuiſſe*, inquit, *ne quis in Senatu ſolveretur legibus, niſi ducenti adfuiſſent.* Imo poſtea Senatores quadringentos in Senatu adeſſe oportebat, Dio *lib.* 54. Occaſione prædictæ formulæ movet quæſtionem Paulus Manutius, in eleganti ſuo tractatu *de Senatu Romano.* Cur in illo Senatuſconſulto, cujus formula in dicta Cælii epiſtola ad Ciceronem extat, inveniamus eorum nomina, qui ſcribendo affuerunt, bis poſita? cum moris tantum fuerit, ſemel ea Senatuſconſultis adſcribi, idque in capite, vel in principio, quæ tamen in fine repetita ex Cœlii epiſtola perſpicimus. Non abs ratione erit, ut eam, quamvis ſatis prolixam, deſcribamus; tum ut rei veritas magis eluceat; cum etiam ut ratio Senatuſconſulti faciendi, & ſcribendi cuique hæc legenti ſit magis perſpicua. Ita ſeſe habent S C. verba. *S. C. auctoritas. Pridie Kalend. Octob. in æde Apollinis, ſcribendo affuerunt*, (erat hæc ſolennis formula, quam præmittebant Senatuſconſultis) *L. Domitius Cn. filius Ahenobarbus, Q. Cæcilius, Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius, Lucii F. Pomt. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina,*

Digitized by Google

; *na, Cajus Luccejus C. F. Pup. Hirrus, Scribonius, C. F. Pop: Curio, L. Attejus, L. F. An. Capito, M. Oppius, M. F. Terentina, Quod M. Marcellus Conſul, V. F.* verba fecit, *de provinciis conſularibus.* D. E. R. I. C. (de ea re ita cenſuerunt) *uti L. Paulus, Q. Marcellus Conſules, cum magiſtratum iniiſſent, ex a. d. x. Kal. Mart.* (Ex ante diem *Kal. Mart.* uti veteres fuiſſe locutos probat Manutius, non ante diem, ex epiſt. 17. *lib.* 3. *ad Att.* Nuncii nobis triſtes, nec varii, venerant ex ante diem Non. Jun.) *quæ in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus provinciis ad Senatum referrent, neve quid prius ex Kalendis Mart. neve quid conjunctim de ea re referretur a Conſulibus, utique ejus rei cauſa per dies comitiales Senatum haberent, S. Q. C.* (ſenatuſque conſultum) *facerent: &, cum de ea re ad Senatum referretur a Coſſ. eorum, qui in CCC. judicibus eſſent, ſe adducere liceret. Si quid de ea re ad populum, ad plebemve lata opus eſſet, ut Serv. Sulpicius, M. Marcellus coſſ., prætores, tribunique pleb. quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent, quod ii non tuliſſent, uti, quicunque deinceps eſſent ad populum plebemve ferrent. I. V. Prid. Kalend. Octob. in æde Apollinis, ſcrib. adfuerunt. L. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius, Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius, L. F. Pomt. Annalis, C. Septimius, T. F. Quirina, C. Scribonius, C. F. Pop. Curio, L. Attejus, L. F. An. Capito, M. Oppius, M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Coſ. V. F. D. E. R. I. C. Senatum exiſtimare, neminem eorum, qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quominus de R. P. Q. P. ad Senatum referri Senatuſque conſultum fieri poſſit. Qui impedierit, prohibuerit, eum Senatum exiſtimare contra Rempub. feciſſe. Si quis huic Senatuſconſulto interceſſerit, Senatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad Senatum populumque referre. Huic Senatuſconſulto interceſſit* C. Cœlius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Panſa. *Item Senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæſaris ſunt: qui eorum ſtipendia emerita aut cauſas, quibus de cauſis miſſi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, cauſæque cognoſcantur. Si quis huic S. C. interceſſerit, Senatui placere auctoritatem perſcribi,*

Digitized by Google

& de ea ad Senatum populumque referri. Huic S. C. interceſſit C. Cœlius, C. Panſa, Tribuni plebis. *Itemque Senatui placere, in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos, qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. provincias ire oporteret, eos ſortito in provincias mitti placere. Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non eſſent, qui in eas Provincias proficiſcerentur: tum uti quodque collegium primum prætorum fuiſſet, neque in provincias profecti eſſent, ita ſorte in provincias proficiſcerentur. Si ii ad numerum non eſſent, tunc deinceps proximi collegii, qui prætores fuiſſent, neque in provincias profecti eſſent, in ſortem conjicerentur, quoad is numerus effectus eſſet, quem ad numerum in provincias mitti oporteret. Si quis huic S. C. interceſſit, auctoritas perſcriberetur. Huic Senatuſconſulto interceſſit C. Cœlius, C. Panſa tribuni plebis.* Hujus Senatusconſulti occaſione quærit Paulus Manutius in dicto tractatu; cur in eo eorum nomina, qui ſcribendo affuerunt, bis ponantur? Quippe ſi ſemel, inquit, tantum in ſingulis Senatusconſultis ſcribebantur, fugit me ratio, quare in hoc bis; ſin quot erant capita Senatusconſulti, toties adſcriberentur, cur in hoc, in quo quatuor habentur capita, bis tantum, & non quatuor? Quod ſi quis non quatuor capita, ſed quatuor Senatusconſulta eſſe dicat, quare igitur non quater nomina Senatorum adſcripta ſunt? Quod ſingulæ partes non debeant conſiderari, quaſi tot eſſent Senatusconſulta, ſatis indicat numerus ſingularis, *Senatusconſultum, quod tibi mihi factum eſt;* unius tantum Senatusconſulti mentionem facit Cœlius. Præterea una tantum præcedit formula, quæ ſingulis Senatusconſultis præponebatur. Scio ſingula capita Senatusconſultum appellari in dicta epiſtola, ſed hoc idem quaſi legem pro legis capite in *orat. pro Cluentio* diceret. Si quatuor ſint partes, quare non ſingulis partibus adſcribuntur nomina? ſi unum tantum Senatusconſultum, quare non ſemel tantum ponuntur? Fatetur hanc dubitationem ſe torquere. Ad tollendam autem hanc difficultatem putat, & ante, & poſt Senatusconſulta Senatorum nomina ſcripta fuiſſe; ſcilicet, ſi non intercedebatur, nam tum revera Senatusconſultum

tum erat. Quod ſi intercedebatur, non dicebatur Senatusconſultum, ſed auctoritas. Quamobrem merito huic Senatusconſulti parti auctoritates adſcriptæ ſunt, quia nemo ei intercesserat, ideoque revera Senatusconſultum erat. Ad cæteras Senatusconſulti partes nulla adpoſita ſunt nomina ſive auctoritates, propterea quod iis interceſſum eſt; ideoque Senatusconſulti vi & effectu, ſive nomine caruerunt. Verum merito dubito, num vero ſit conſentanea hæc Manutii conjectura; propterea quod eorum nomina, qui ſcribendo affuerunt, nunquam poſt, ſed ſemper ante Senatusconſulta fuerint poſita, unde præſcriptæ dicuntur auctoritates, quæ præſcribebantur in capite Senatuſconſulti. *Primis Senatuſconſulti verſibus poni ſemper ſolebant nomina eorum, qui ſcribendo affuiſſent*, inquit Briſſon. *de formul. lib.* 2. Unde legimus apud Cic. *de orat. Ut populo Romano ſatisfieret, nunquam Senatuſconſilium Reipub. nec fidem defuiſſe ab eo dictum, & eundem, id quod in auctoritatibus præſcriptis extat, ſcribendo adfuiſſe.* Et in *Agraria* 2. *Collegas ſuos adſcriptores legis agrariæ non repudiabit, a quibus ei locus primus invidiæ in præſcriptione conceſſus eſt.* Sic quoque in *epiſt.* 2. *lib.* 5. *ad Fam. Jam illud S. C. quod eo die factum eſt, ea præſcriptione eſt* (habuit tot clarorum, & magnorum virorum præſcripta nomina) *ut, dum id extabit, officium meum in te obſcurum eſſe non poſſit.* Hinc legendum in epiſt. Cœlii *auctoritates præſcriptæ*. Cum ex hiſce perſpicimus moris fuiſſe, ut præſcriberentur nomina, idque ſemel tantum in principio, perſuadeo mihi, ſecundam ſolennem Senatuſconſulti formulam, ad ſequentes auctoritates perſcriptas, a prima S. C. parte, quæ revera Senatuſconſulti nomine, utpote cui nemo interceſſerat, appellatur, ſeparatas & diſtinctas pertinuiſſe. Nuſpiam quod ſcio legi, auctoritatibus nomina eorum, qui ſcribendo affuerant, apponi moris non fuiſſe. Nam licet decretum Senatus irritum redderet interceſſio, tamen inſcribi ſolebat publicis tabulis; propterea quod teſtata hiſce Senatus voluntas, auctoritatem quandam habere videbatur. Impedito enim interceſſione Senatuſconſulto, extare tamen Senatus ſententiam ſuam voluit. Teſtis eſt Livius *lib.* 4. *cap.* 57. *Si quis intercedat S.C. auctorita-*

Digitized by Google

te fore contentum. Et in deſcripto Senatuſconſulto: *Si quis huic S. C. interceſſerit; Senatus placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad Senatum populumque referri.* In ea itaque auctoritas a Senatuſconſulto differt, quod neque executioni mandari poterat, neque populum obligabat Senatus decreto obtemperare ac morem gerere, revera tamen erat Senatus decretum ſive Conſultum legitimum, & perfectum, ſcil. legitimo loco, die, habitum a magiſtratu, cui Senatum habendi jus erat, præſentibus tot Senatoribus, quot adeſſe legibus cautum erat, ſed vi obligandi, ideoque nomine Senatuſconſulti deſtitutum interceſſione Trib. erat: & quemadmodum publicis quoque inſcribebatur tabulis, ut conſtaret voluiſſe quidem, & auctores fuiſſe Senatum, ſed intercedente Tribuno non potuiſſe; ita præſcribebantur nomina ſive auctoritates eorum, qui ſcribendo aderant, ſive qui magna auctoritate pollentes propter ſingulares animi dotes potiſſimum ſuaſerant, ut ejuſmodi Senatuſconſultum fieret. Quando Senatuſconſultum per interceſſionem tantum irritum reddebatur, alia omnia requiſita aderant Senatuſconſulto faciendo neceſſaria: ideoque addebatur, ut in dicto S. C. videre eſt, *Huic S. C. interceſſit C. Cælius, C. Panſa. tribb. plebis.* Quippe ſunt & alia impedimenta, utpote ſi non legitimus Senatorum numerus aliquid decreviſſet, vel cum Senatus alieno loco aut tempore, aut non legitime edictus habitus eſſet, Senatuſconſultum irritum erat; extare tamen ſententiam volebat Senatus, ideoque auctoritas perſcribebatur: ut conſtaret de voluntate, & ſententia eorum, qui tunc adfuiſſent, & ſine dubio eorum quoque adſcripta fuere nomina.

Verum poſſet aliquis objicere illud Manutii, cur huic parti potius, & non cæteris adſcripta ſint eorum, qui ſcribendo adfuerunt, nomina? Quod ideo factum conjecturari licet, quia Senatuſconſultum, ſive ea pars, cui nemo interceſſerat, ideoque verum Senatuſconſultum erat, ſeparat a cæteris partibus, quibus intercedebant Tribuni plebis, ideoque auctoritates dicebantur, & ſufficiebat primæ earum parti, cujus ejuſdem conditionis & reliquæ erant, adſcribi eorum nomina, qui vehementer concupierant, ut de iis rebus Senatuſconſul-

tum

tum fieret, & ſcribendo adſuerant. Quod idem in Senatuſconſultis obſervatum fuiſſe opinor, ut tantum in principio auctoritates apponerentur, licet plures partes complecterentur, nam omnibus æqua conditio nullo intercedente. Hæc mea quidem ſententia, licet aliis aliter opinari. Senatuſconſulta ſcripta olim arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque. Hinc poſtea a Coſſ. Valerio & Horatio inſtitutum eſt, ut Senatuſconſulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur. Liv. *lib.* 3. *cap.* 55. Docet autem Cicero Philipp. 5. *cap.* 4. poſtea Senatuſconſulta ad ærarium fuiſſe delata, cum inquit: *Neque ſolum commentariis commentitiis, chirographiſque venalibus innumerabilis pecunia congeſta in illam domum eſt, cum, quæ vendebat Antonius, ea ſe ex actis Cæſaris agere diceret: ſed etiam Senatuſconſulta, pecunia accepta, falſa referebat: ſyngrapha obſignabantur: Senatuſconſulta, tanquam facta, ad ærarium deferebantur.* Quod erat in templo Saturno dicato, cujus ſub cuſtodia erant pretioſiſſimæ res Romanorum. *Quaſi tutiſſimum videretur ejus Dei numine, quo regnante, aureo illo ſeculo, nulla vis illata, nullum furtum factum, nihil omnino facinoris eſſet commiſſum.* Manut. *de Senat. Rom.* Suet. *in Aug. cap.* 94. *Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos, quam naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur Regem pop. Rom. naturam parturire: Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur; eos qui gravidas uxores haberent, quo ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe ne Senatuſconſultum ad Ærarium deferretur.* Eo enim delatum non erat ultra in poteſtate Senatus; ideoque nil ex illis abſque nova ad populum rogatione mutari poterat. Nec rata Senatuſconſulta donec eo delata, interea auctoritas dicebatur. Quamobrem quiſque curabat, ne ad Ærarium deferretur, ubi delato, coactus eſſet vi Senatuſconſulti, partum, cui quiſque augurium illud applicabat, abjicere, & ſemetipſum vana hac ſpe fruſtrari. Vid. Tacit. *lib.* 3. *cap.* 51. De impediendi Senatuſconſulti ratione ſupra egimus; niſi quod addamus vetuſtis temporibus jus non fuiſſe Tribunis curiam intrare, ſed ante valvas poſitis ſubſelliis decreta patrum examinaſſe, quæ ſi approbaſſent, litteram T ſubſcripſiſſe, qua nota ſigniſi-

Digitized by Google

ſignificabant, ſe decreta patrum habere rata: quod poſtea mutatum; nam tempore Ciceronis poterant curiam intrare, imo & ante, cum ex patribus, & conſularibus viris Tribunos pl. creavere: donec tandem lex lata eſt, ne Tribunus plebis quis crearetur, niſi qui ante Senator fuerit, ita ex Senatu tantum creabantur, & curiam ingredi poterant, ſcil. ut Senator. Quanquam & vetuſtis temporibus curiam vel Senatum ingreſſi, L. Valerio & M. Horatio coſſ. vi expelli non potuerint, quoniam lege cautum erat, *Ut qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus, Decemviris nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet.* Cic. orat. *pro Sextio* hoc amplius notat, eam fuiſſe tribunatus ſanctitatem, ut non modo contra vim & ferrum, ſed & contra verba, & interfationem legibus ſacratis eſſent armati. Poterant, ut modo diximus, intercedere Tribuni, poterant & omnes quoque magiſtratus, quibus Senatum habendi jus erat; impedimento & Senator erat ne Senatuſconſultum fieret, cum Conſuli dicebat, *Numera Senatum:* quippe nihil decerni, vel conſtitui poterat, niſi certus Senatorum adeſſet numerus, legibus ſtatutus. Erant & aliæ impediendi rationes, quas ſupra enumeravimus. Numerus Senatorum ad Senatusconſultum faciendum neceſſarius, non ſemper idem fuit, aliquando L. fuerunt, ut videre eſt apud Liv. *lib.* 9. Lege Cornelia poſtea cautum, ne quis Senatu ſolveretur, niſi ducenti adfuiſſent. Poſtea & 400. adeſſe oportuiſſe, diximus ſup. ex Dionyſ. *lib.* 54. Senatuſconſultum aliquando largiorem & amplam, aliquando reſtrictam magis ac limitatam, aliquando uni, vel utrique Conſuli, nonnunquam pluribus tribuebat poteſtatem. De hoc Cic. 1. *Catil.* 4. *Decrevit,* ait, *quondam Senatus, ut L. Opimius Conſul videret, ne quid reſpub. detrimenti caperet: nox nulla interceſſit, interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, avis majoribus · occiſus eſt cum liberis M. Fulvius conſularis.* Utrique Conſuli ut apud. Saluſt. *in B. l. Catilin. cap.* 19. *Itaque quod plerumque,* inquit, *Senatus decrevit, darent operam Coſſ. ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Et poteſtas more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum ingerere, coercere, omnibus modis ſocios atque cives, domi militiæque*

Digitized by Google

que imperium atque judicium ſummum habere, aliter ſine populi juſſu nullius earum rerum Conſuli jus eſt. Ubi autem grave aliquod periculum Reipub. imminebat, ad illud extremum S. C. inquit Cæſar *lib.* 1. *de bel. civ.* decurrebatur, *quo niſi in ipſo pene urbis incendio atque deſperatione omnium ſalutis, nunquam ante deſcenſum eſt. Dent operam Conſules, Prætores, Tribuni pl. quique pro Conſulibus ſunt ad urbem, ne quid Reſpub. detrimenti capiat.* Quæ verba ampliſſimam, & abſolutiſſimam Conſulibus cæteriſque Magiſtratibus, qui Senatuſconſulto continentur, dabant poteſtatem; cum & exercitus conſcribendi, & bellum gerendi jus complectebatur, quod tantum populo competebat, idque privative, ut ita dicam, excluſis cæteris Magiſtratibus. Dictatori quoque abſoluta concedebatur poteſtas, ita ut penes eum liberrimum idque ſummûm eſſet imperium, ita ut cæteris magiſtratibus, eo tempore quo dictatura exercebatur, nulla prorſus poteſtas eſſet circa ea, quæ Reipub. moderamen ſpectabant, Dictatori incumbebat cura, *ne quid Reſpub. aliquid detrimenti caperet.*

---

§. 10. *Eodem tempore & magiſtratus jura reddebant: & ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quiſque dicturus eſſet: ſeque præmuniret:* edicta *proponebant, quæ edicta Prætorum* jus honorarium *conſtituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore Prætoris venerat.*

Magiſtratus jura reddebant.] Sig. de *antiq. jure civ. Rom.* vocat *Magiſtratus* poteſtates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad Rempub. ſpectant, publica auctoritate gerunt. Feſtus *Magiſtratum* vocat eum, qui in aliqua poteſtate eſt conſtitutus, *ut Conſul, Proconſul, Prætor, Proprætor,* & alii qui civitates & Provincias regunt; nimirum, qui domi & in pace adminiſtrabant Rempub. quippe de illis, qui bellis præſunt, imperia dicuntur. Quamobrem Suet.

in Cæſare *cap.* 53. *Imperia* & *Magiſtratus* diſtinguit. *Abſtinentiam* (inquit) *neque in Imperiis, neque in Magiſtratu præſtitit.* Notandum tamen, quod Magiſtratibus quoque imperium tribuatur, ſcil. *mixtum* & *merum*, ut videre eſt *in l.* 3. *ff. de juriſdict.* verum hoc ſenſu ſignificat imperium, majorem prehendendi, & graviorem coercendi poteſtatem, quam Conſules aliique majores Magiſtratus habebant. Hinc Varro apud *Gell.* ita ſcribit: *in Magiſtratu habent alii vocationem, alii prehenſionem, alii neutrum. Vocationem ut Conſules, qui habent imperium*, &c. Et in *l.* 2. *ff. de in jus vocand. In jus vocari non oportet, neque Conſulem, neque Prætorem, neque Præfectum, neque Proconſulem, neque cæteros Magiſtratus, qui imperium habent, qui coercere aliquem poſſunt;* nimirum graviori coercitione, quam cæteri Magiſtratus, qui tali Imperio ornati non ſunt; quales ſunt Magiſtratus minores. Aliter Imperium ſignificat, exercitum habendi, & belli gerendi facultatem. Quod valde ab eo, de quo jam ſermo eſt, differt; illud enim in urbe, hoc niſi extra urbem exercetur. Qui illud habet, nullo alio honoris niſi Magiſtratus titulo inſignitur; hoc qui adeptus eſt, Imperatoris quoque nomen ſibi vindicat: illud civile, hoc militare eſt. Interjecto tempore varii in Rempub. Magiſtratus illati ſunt. Cum Reſpub. a Regibus gubernaretur, omnia ab eorum pendebant nutu. Penes illos ſummum jus vitæ & necis, omneque belli Imperium fuit. Penes eoſdem univerſa reſidebat juriſdictio, ut teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 2. *cap.* 14. ubi inquit: *Regi quidem eximia fuerunt munia hæc, primum ut ſacrificiorum, & reliquorum ſacrorum penes eum eſſet principatus, perque eum gereretur, quicquid ad placandos Deos attinet. Deinde ut legum & conſuetudinum patriarum cuſtodiam haberet: omniſque juris quod vel natura docuit, vel pacta & tabulæ ſentiunt, curam ageret, ut de graviſſimis delictis ipſe decerneret, leviora permitteret Senatoribus, providendo interim ne in judiciis peccaretur, ut Senatum cogeret, populum in concionem vocaret, & præterea ſummum in bello imperium.* Nonnulla plebi ex propria voluntate commiſit, ita tamen ne in illis, quæ illius curæ commendaverat, abſolutam haberet poteſtatem; nam quan

docun-

docunque vellet, poterat ea revocare & plebi adimere: quippe nullo pacto vel contractu intercedente ea ſibi acquiſiverat, verum Princeps ex liberalitate ſua quædam ipſis conceſſerat adminiſtranda. Exactis vero Regibus, duo creati ſunt Conſules, in omnibus pari cum Regibus poteſtate atque imperio: præterquam quod illi perpetui, hi annui; ille ſolus, hi duo. *Ne tanta poteſtas mora vel ſolitudine corrumperetur*, ut inquit Flor. *Maxima libertatis cuſtodia eſt, ſi magna Imperia diuturna eſſe non ſinas, & temporis imponatur modus, quibus juris non potes.* Liv. *lib.* 2. *cap.* 1. Cum autem nimis magnum & amplum Conſulum imperium plebi videretur, de eo in dies magis magiſque detraxerunt. Primus Valerius Poblicola (a colenda plebe ita dictus) lege ſanxit, *ut a Magiſtratu ad populum cuivis provocare facultas eſſet.* Qua lege omne imperium conſulare diſſolutum ſcribit Liv. *lib.* 4. Deinde creatio Tribunorum militum multum etiam de Conſulum Imperio, & auctoritate imminuit; creati quippe ut auxilio eſſent plebi adverſus injurias Conſulum, ne quid crudelius in plebem conſuleretur; & ad interceſſiones faciendas. *Unicum præſidium libertatis legem hanc, qua illud ſancitum fuit*, Livius vocat. Creati deinde *Ædiles*, Ædibus ſacris, in quibus plebiſcita recondebantur aſſervabanturque, tuendis præfecti, unde Ædiles quaſi *Æditui*, dicti. Poſtea quoniam Conſules perpetuis bellorum curis occupati, cenſum agere amplius nequibant, duos *Cenſores* creavere, Cenſores ab re appellati cenſui agendo præpoſiti, ut de numero civium, de bonis, quæ poſſidebat quiſque, conſtare poſſet Magiſtratui. Hiſce Magiſtratibus anno ab U. C. 387. duo novi adjecti ſunt, *Prætura*, & *Ædilitas Curulis.* Prætor ut jus in urbe redderet: primo unus, poſtea non ſufficiente uno, quod multa turba peregrinorum quoque in urbem veniret, creatus iiſdem auſpiciis alius, qui *Peregrinus* appellabatur, quia plerumque inter cives, & peregrinos jus dicebat, cum alter *Urbanus* diceretur. *Ædiles Curules* ludorum, urbis, & annonæ curam habebant, SUNTO ÆDILES, CURATORES URBIS, ANNONÆ LUDORUMQUE SOLENNIUM. Cic. 3. *de leg.* Hæc præmittere non inutile

judicavimus, antequam de ſingulis Magiſtratibus, tum Urbanis tum Provincialibus, de eorumque officio, & juriſdictione inferius ſuo loco diſputabimus. Obſervandum autem Pomponium hic *Magiſtratus* verbo ſignificare Prætorem, cujus proprium erat munus, jura reddere petentibus; unde apud Ciceronem *lib. 3. de leg. Juris diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor eſto*, lege vetuſtiſſima fuiſſe ſancitum, itaque non novum hoc Prætoris officium, quod a Pomponio hic ipſi tribuitur, ſed & initio liberæ Reipub. obtinuit. Poſtquam ſublato jure incerto, leges duodecim tabb. fuere compoſitæ, ex quibus fluxiſſe jus civile diximus, & certum conſequenter in Repub. jus vigere cœpit, quod adjuvare, ſupplere, interpretari, & mitigare Prætoris erat officium *l. 7. §. 1. ff. de juſt.* mutare autem, vel tollere nequaquam poterat *l. 12. §. 4. ff. de publicia*; cum enim leges condere erat populi, ita eas tollere atque abrogare ſine conſenſu populi nemini licebat; naturale enim, ut unumquodque eodem modo diſſolvatur, quo colligatum eſt.

Edicta proponebantur.] Scil. ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quiſque dicturus eſſet, ſeque præmunirent: *Quid mereri velis jam, cum Magiſtratum inieris, & in concionem aſcenderis (eſt enim tibi edicendum quæ ſis obſervaturus in jure dicendo,) quid merearis igitur, ut dicas in eo Magiſtratu omnia voluptatis cauſſa facturum.* Cic. 2. *de fin.* Sunt igitur edicta nihil aliud quam leges, quas in tabella illa dealbata, Prætores initio Magiſtratus propoſuerunt, in quibus admonebant cives, quomodo de ſingulis controverſiis jus dicturi eſſent in ſuo Magiſtratu. Quæ cum prætura evaneſcebant, ideoque annua erant, quare Cic in Verr. edictum *annuam* vocat *legem*. Hinc actio albi corrupti *l. 7. ff. de juriſdict.* Adverſarium ad album producere. *l. 1. ff. de edend.* id eſt, deducere eum ad tabulam dealbatam ſive gypſatam, in qua edicta ſcribebantur, & publice proponebantur, illique demonſtrare quo actionis genere quis ſit experturus. Erat autem gypſum, ut Plin. ſcribit *lib. 36. cap. 24. calci ſimile: plura autem ejus erant genera, nam & e lapide coquitur, ut in Syria ac Thuriis, & e terra foditur, ut in Cypro & Perchæbis. Qui cequi-*

coquitur, lapis non diſſimilis alabaſtritæ eſſe debet, aut marmoſo, omnium autem optimum fieri compertum eſt e lapide ſpeculari, ſquamamque talem habente. Uſus gypſi in albariis, ſigillis ædificiorum, & coronis gratiſſimus. Legimus de *pede gypſato*, apud Ovid 1. *amor. eleg.* 8. id eſt, creta illito. *de gypſatis manibus*, apud Cic. ad Trebatium. apud. Plaut. in Perſ. *act.* 1.

Qui ſic albo reti aliena oppugnant bona.

Quod reſpectum habere putat Briſſonius ad *Album*, id eſt, tabulam dealbatam, in qua Prætores edicta ſua, quia omnibus innoteſcerent, actioneſque & interdicta proponebant. Verum cum Prætores paſſim ab edictis ſuis propoſitis recedere in jure dicendo conſueſſent, C. Cornelius Balbus tribunus plebis anno U. C. DCLXXXVI. legem tulit, *Ut Prætores ex Edictis ſuis perpetuis jus dicerent.* Et quod ſemel Kalend. Januariis edixiſſent, id in toto præturæ ſuo tempore obſervarent. Quæ lex multum de auctoritate ambitioſorum Prætorum detraxit, qui pro arbitrio jus varie dicebant. Fiebat autem, ut aut integra edicta ex ſuperioribus aliorum edictis, aut capita aliquot in ſua poſteriora transferrent, eaque tranſlatitia nominata ſunt. Unde Cic. in Verr. *Sed in re tam uſitata ſatis eſt oſtendere, omnes antea jus ita dixiſſe, & hoc vetus edictum tranſlatitium eſſe.* referente Sig. *lib. de judiciis.* Donec tandem C. Salvius Julianus, Divo Hadriano imperii Romani moderante habenas, omnia quæ unquam fuere Prætorum edicta collegit, & in ordinem digeſſit: quod edictum Prætoris, edictum urbanum, & edictum perpetuum dictum eſt, quo univerſum fere jus civile continetur. Sig. *lib.* 1. *de judiciis.* Hoc edictum magni nominis Juriſconſulti Ulpianus, Paulus, Cajus, ſtatim illuſtrare conati fuerunt ſuis commentariis, unde paſſim inſcriptiones, *Ulpianus ad Edictum, Paulus ad Edictum.*

Quæ Edicta Prætorum jus honorarium conſtituerunt.] Honorarium dicitur, inquit Pomponius, quod ab honore Prætoris venerat, non ſolum Urbani ſed & Peregrini. Ut & alio-

aliorum magiſtratuum, Conſulum, Ædilium Curulium edicta jus honorarium dici manifeſtum eſt in §. 12. *h. t.* Jus enim honorarium appellatur, quod qui honores gerunt, id eſt, Magiſtratus auctoritatem huic juri dederunt, ut inquit Juſtinianus, §. 7. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ. Honor* enim nonnunquam pro *Magiſtratu* ponitur, ut apud Juvenal.

Nunc cum ſummus honos finito computet anno
Sportula quid referat.

Nam honores ſunt Magiſtratus apud Ariſt. *lib.* 3. *polit. cap.* 10. Per excellentiam autem jus prætorium fere tantum dicitur jus honorarium, idque quia Prætor potiſſimum præ aliis Magiſtratibus erat cuſtos juris civilis. Proponebant & Ædiles Curules edictum de quibuſdam cauſis, nimirum de rebus vendendis, ut de rerum venalium vitiis, vel ſiquid a venditore dictum eſſet vel promiſſum, ut id præſtaretur, unde actiones quanti minoris, quæ & æſtimatoria dicitur. *l.* 43. §. 6. *D. de ædil. Edicto.* item redhibitoria. Item de animalibus feris non habendis, qua vulgo iter fit, *tit. ff. ſi quadr. paup. fec. dicat.* quod jus ædilitium & juris honorarii portio eſt.

Cavendum vero ne jus Ædilitium cum Prætorio confundamus. Juris honorarii duæ ſunt partes, ſcil. Prætorium & Ædilitium, unum ab altero diſtinctum. Jus prætorium honorarium eſt, ſicut & ædilitium, verum omne jus honorarium non eſt prætorium. Nam ut diximus, jus ædilitium recte dicitur honorarium, prætorium vero dici nequit. Verum poſſet nobis objici §. 2. *inſt. de diviſ. ſtipul.* ubi inquit Imperator, *Prætorias ſtipulationes ſic exaudiri oportere, ut in iis etiam contineantur ædilitiæ. Nam & hæ a juriſdictione Prætoris veniunt.* Itaque videntur confundi hic juriſdictiones, cum tamen ſint diverſæ; ita ut ex unius juriſdictione venire non poſſit, quod ſit alterius. Notandum in *l.* 5. *ff. de verb. oblig.* unde hic locus deſcriptus eſt, *Prætoris* vocem abeſſe, ideoque expungendam cenſuere viri docti. *Ruſſard. Baron. Cont. Cujac. Hotom.* In dict §. quippe, ut diximus, luce clarius eſt, ſtipulationes ædilitias non venire a juriſdictione Præ-

Prætoris, cum veniant a juriſdictione Ædilium. Quod & Theophilus aperte ſignificat, non poſſe dici venire a juriſdictione Prætoris. Verum utrique commune eſt, quod a juriſdictione veniant Magiſtratus, ideoque quod de Prætoris tanquam principali ſpecie ſtipulationum honorariarum dicitur, etiam ad ædilitias recte refertur. Nam & hæ veniunt ab officio jus dicentis, & juris honorarii perinde atque ſtipulationes prætoriæ portio ſunt, & licet ſpecie quidem diverſæ, attamen in genere conveniunt, ſcil. ſub jure honorario.

---

§. 11. *Noviſſime, ſicut ad pauciores juris conſtituendi via tranſiſſe ipſis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut neceſſe eſſet Reipublicæ per unum conſuli. Nam Senatus non proinde omnes Provincias probe gerere poterat. Igitur conſtituto Principe, datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.*

Noviſſime ſicut ad pauciores.] Noviſſimis ſcil. temporibus, everſo jam Reipub. ſtatu, cum Julius Cæſar invaſiſſet Reipub. gubernacula, eam ſub nomine Dictatoris perpetui occuparet, & Auguſtus ſequenteſque Imperatores ſub Principis appellatione eam tractandam accepiſſent, ad pauciores condendi juris poteſtas, quæ ſoli competebat ex conceſſione Romuli populo, delata eſt. Nimirum ad Senatum, qui minimam quoad numerum totius populi partem conſtituebat.

Via] Id eſt, quo modo, quibus mediis, & qua ratione, *Habeo certam viam, & rationem, qua omnes illorum conatus inveſtigare, & conſequi poſſum.* Cic. 2. *Verrina.* Et 2. *offic. cap.* 12. *Præclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet.* Et Plaut. *in Trinummo.* Act. 3. ſc. 2.

Per-

Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium,
Scio te ſponte non tuapte erraſſe, ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe, atque ipſe amoris teneo omnes vias.
Sic *dicendi via* apud Quintil.

Per partes.] Putat Antonius Faber in *ſuis Rationalibus* ad *h. t.* aliique, *per partes* ſignificare, *per vices*, *paulatim*, & *ſuccedaneis mutationibus*, quomodo legimus *navim per partes refectam*, id eſt, paulatim, in *l.* 10. *§.* 7. *ff. quib. mod. uſusfr. amittitur.* Alii explicant per factiones principum virorum. *Nam nunc quidem*, inquit Cicero, *partium contentionem eſſe dictitant, quarum partium alteri victi ſunt, alteri ſunt e mediis C. Cæſaris partibus.* Et Liv. *lib.* 5. *Donec ab iis, qui Romanæ partis erant, Quinctius eſt accitus.* Neminem enim qui in Hiſtoriis verſatus eſt, fugere poteſt, quam miſere fuit dilacerata, & vexata Reſpub. optimatum factionibus, & bellis inteſtinis, cum C. Marius & Sylla anno U. C. 662. ſe partes facerent. Anno 699. Julius Cæſar & Pompejus, Cæſare interfecto. Anno 709. evenit, ut ad Triumviratum Octavii Cæſaris, M. Antonii, & M. Lepidi perveniret. Tot factionibus laborante Republica, ſalva eſſe non poterat, niſi beneficio ſervitutis. *Non aliud diſcordantis patriæ remedium erat, quam ut ab uno regeretur.* Tacit. *Neceſſe erat Reip. per unum conſuli.* Popularis dominatus cum ſeneſcit in Anarchiam, & omnium rerum confuſionem tranſit; cui non aliud remedium, quam potens unius dominatio: atque in ea conditione jam erat Reſpub. Romana, ut impoſſibile eſſet recuperare libertatem perditam, neque ſalva eſſe poterat, niſi ad unum omnis transferretur poteſtas; omnia factionibus laborabant, quibus mederi non poterat populus, niſi beneficio ſervitutis, ut diximus: hinc tot millia hominum, quot Romanum amplectebatur Imperium, pugnabant non ut ſervirent, ſed cui. Quid tibi vis, exclamat M. Cato, non agitur de libertate, quæ peſſumdata eſt? quæritur utrum Cæſar an Pompejus poſſideat Rempub. Forſtnerus in Tacit. Diſcordiis itaque civilibus feſſa, & fatigata Reſpub. multiſque jactata periculis, variaque morborum ſymptomata paſſa, unius flagitabat dominatum.

Digitized by Google

tum. *Ea enim eſt imperandi conditio, ut non aliter conſtet, quam ſi uni ratio reddatur*, ut inquit Criſpus Saluſtius ad Tiberium. *Non poteſt Reſpub. bene geri multorum imperiis*, ut apud Homerum videre eſt *Iliad.* 2. *Et Caligula* apud Suet. cap. 2. *cum audiret forte Reges, qui officii cauſa in urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis, exclamavit*, εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεύς. *Unus Dominus ſit, unus Rex.*

Nec Regna ſocium ferre, nec tæda ſciunt.

Conſtituto Principe datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet ratum eſſet.] Cæſaris conſtitutio non a voluntate populi, verum Tyrannide cœpit, quam cauſam Pomponius referre noluit, fortaſſe ne in odium Principis ſui incurreret. Poſtquam enim inteſtinis bellis & diſſenſionibus miſere jactata eſſet, & afflicta Reſpub. Julius Cæſar, victo in Græcia Pompejo, eoque fugiente in Ægypto obtruncato, Rempub. vi & armis occupavit, atque ſemetipſum non Principem, ne regnandi cupidine agitatus Reipub. gubernacula invaſiſſe populo videretur, verum Dictatorem fecit. Cæterum a C. Caſſio & M. Decimo Bruto principibus conjurationis in Cæſarem Idibus Martiis, in Pompeji Curia 23. vulneribus confoſſo, anno ab U. C. 710. Reſpub. in C. Cæſaris Octaviani, Antonii & Lepidi Triumviratum incidit, ſub quo graviter concuſſa eſt: donec exuto Lepido, & interfecto Antonio, poſito Triumviri nomine, rerum ſolus potiretur Auguſtus, & ſub nomine Principis imperium accepiſſet, populo id ipſi deferente, non voluntario, ſed neceſſitate coacto: ad eas enim Reſpub. reducta erat anguſtias, ut ſalva eſſe non poſſet, niſi ad unum tranſlato imperio, quod quaſi patrum precibus victus, & invite ſe accepiſſe Octavianus ſimulabat; imo non voluit tractare imperium, niſi expreſſa patrum & populi voluntate. Hinc delapſo primo poteſtatis decennio, imperium prorogari ſibi petiit, atque hoc exacto, iterum iterumque, & deinceps uſque dum ſupremum diem obiit. Quam regnandi, & ſimulandi artem paucis tradit verbis Tacit. 1. *Annal. cap.* 2. *Poſtquam*, inquit,

inquit, *Bruto & Caſſio cæſis, nulla jam publica arma; Pompejus apud Siciliam oppreſſus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus niſi Cæſar dux reliquus. Poſito Triumviri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatus, Magiſtratuum, legum in ſe trahere nullo adverſante; cum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent: cæteri nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur: novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Neque Provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant ſuſpecto Senatus populique imperio ob certamina potentium, & avaritiam Magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.* Conſtituto igitur Principe, datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet. Ita ut, *quod Principi placuerit, legis habuerit vigorem l. 1. ff. de conſt. prin. Utpote*, ait Ulpianus, *lege Regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conceſſit.* Unde ſequitur quod legem condendi poteſtatem quoque habuerit, quippe, ut ſæpius diximus, ea populo competebat; tranſlato igitur imperio a populo in Principem, conceſſa quoque ei fuit eadem poteſtas, quoniam illa Ulpiani verba ita ſunt explicanda, ut populus ita tranſtulerit jus ſuum, ut nihil ſibi retinuerit: nec illum imperii participem fecerit, ſed ſolum Imperatorem eſſe voluerit, ut uni ſummum rerum competeret arbitrium, cæteris obediendi relicta gloria, ut inquit Tacitus. Verum quæ de placitis Principum dicit Ulpianus, ſano ſenſu intelligenda ſunt. Quippe non vult omnia Principi placita legis vigorem habere, ſed ea tantum, quæ Principi placuerunt, ut eſſent pro lege, utque Reipub. cives iis teneantur. Lex enim eſt præceptum commune *l. 1. ff. de ll.* cujus proprium eſt, ut omnes afficiat, & obliget Reipub. ſive Imperii cives. Quod ſi Princeps particularia quædam jura ſtatuat, & quibuſdam commoda, vel privilegia concedat, legis vigorem non habent, id eſt, pro jure communi & generali ad omnes Reipub. cives pertinente, non obſervantur; jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter

Digitized by Google

liter conſtituuntur, *l.* 8. *ff. de ll.* Optime Muretus: *Olim quod populo placuerat, lex erat. Poſtea in locum populi ſucceſſit Princeps, omnis populi poteſtas in eum tranſlata eſt. Sunt igitur hæc analoga, Princeps, populus, placuit Principi, quod populo; quorum ut primum ad ſecundum, ſic tertium ad quartum. Ita ſi Princeps habet poteſtatem populi, id quod Principi placuit, vim habet ejus, quod populo placuit.* Et deinde: *Nihilo plus poteſt Princeps, quam olim potuit populus. Quod igitur populus ſciſcere poterat, id ſi jubeat Princeps, æque lex erit, atque ſi olim a populo ſcitum eſſet. Quod ne ſi populus quidem ſciviſſet, lex fuiſſet, id ne ſi Princeps quidem jubeat, legis vim obtinebit.* Quippe cum omnem poteſtatem a populo habeat, non poteſt ampliorem exercere, quam in eum tranſtulerit, neque populus plus juris in eum potuit transferre, quam ipſe habuit. Omnia itaque Principis jura ex populi in eum conceſſa poteſtate derivanda ſunt, ita ut quod populus facere potuit, illud & Princeps poſſit; quod autem facere nequivit, id neque Princeps ſtatuere poteſt; quanquam poſtea ampliorem ſibi poteſtatem arrogarint, & tranſilierint limites, quibus populi poteſtas circumſcripta erat, & conſequenter iiſdem ſeſe continere Principes, in cujus locum ſucceſſiſſent, debuiſſent. Jubebat quidem populus, Patres autem auctores fiebant; apud populum poteſtas, apud hos conſilium & auctoritas. Quod quidem aliquamdiu ab Imperatoribus obſervatum: periculoſum enim fuiſſet, & tyrannidem, a qua alieni maxime videri volebant, redoleviſſet, ſi ſtatim recta via, non interpoſito Senatu, omnem a ſuo pendere nutu voluiſſent. Hinc poteſtatem juris condendi primum ad Senatum, a Senatu ad ſe deduci paſſi fuere, inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum & legum in ſe trahere, cœperat Auguſtus. Quaſi cæteros labore exſolveret, ipſe omnem moleſtiam Reipub. cauſa in ſe transferre ac ſuſcipere vellet. *Legationes antea in Senatu audiri ſolebant: Hac moleſtia Senatum liberavit Auguſtus. Quanquam & eas in Senatu audire nonnunquam voluit, ut Senatus etiam aliquid agere videretur. Senatus de pace, de bello, de Provinciis deliberabat. Quid opus erat tam multos ſenes tantum laborem capere, tam mane convenire in Cu-*

riam, tam multa ibi audire, tam multa dicere, tam veſperi domi feſſos, & viribus exhauſtos redire. Valetudini ac quieti eorum proſpexit Auguſtus. Muret. *in lib.* 1: *Annal. Tacit.* Hinc penes Senatum nihil juris manſit reliquum, niſi inane honoris nomen. Eadem quidem adhuc exaudiebantur Magiſtratuum vocabula, verum omnis vis ac poteſtas ſublata erat. Quod ad fallendam plebem callide, & ſapienter a Cæſaribus excogitatum. Quando enim Rerumpub. convertuntur formæ, quia id ſine mutatione legum, & conſuetudinum fieri non poteſt, umbra quædam, & imago ſaltem ejus, quod adimitur relinquenda eſt. Jus imperii valeat, inania tranſmittantur, & ita paulatim & per gradus veteris Reipub. evertatur forma. Omnia enim repentina periculoſa. Quamobrem paulatim inſurgere, & Rempub. occupare cœpit Auguſtus. Singula Senatus, & Magiſtratuum munia in ſe trahendo, qua ratione revera Reipub. ſtatum quidem mutavit, verum externa Reipub. facie manente eadem, plebem adeo fefellit, ut ne quid in ea immutatum ſentiret. Hinc Trajan. Boccalin. *in* 1. *Annal. Chi dunque, novellamente divenuto ſignore dè uno ſtato, ama mutar forma di governo, impari da Tiberio, contentandoſi in effetto quello, che piu pretende, mà che laſci i vocaboli d'e Magiſtrati, e d'e Regimenti nel loro antico termine, cioè, ſiano quelli, d'e quali il popolo hà maggior volonta, è miglior concetto.*

---

§. 12. *Ita in civitate noſtra, aut Jure, id eſt, lege conſtituitur: aut eſt proprium jus civile, quod ſine ſcripto, in ſola prudentium interpretatione conſiſtit: aut ſunt Legis actiones, quæ formam agendi continent, aut Plebiſcitum, quod ſine auctoritate patrum eſt conſtitutum: aut eſt Magiſtratuum Edictum, unde jus Honorarium naſcitur: aut Senatuſconſultum, quod ſolum Senatu conſtituente inducitur ſine lege: aut eſt principalis conſtitutio, id eſt, ut quod ipſe Princeps conſtituit, pro lege ſervetur.*

Ita

Digitized by Google

Ita in civitate noſtra, aut jure, id eſt, lege conſtituitur.] Continet hic paragraphus enarrationem eorum omnium, de quibus hactenus diſputavimus: per verbum *jure* ſive *lege*, intelligit leges duodecim tabb. ex quibus tanquam fonte omne jus cum publicum, tum privatum fluere & originem derivare ſupra demonſtravimus.

Aut eſt proprium jus civile, quod ſine ſcripto in ſola prudentium interpretatione conſiſtit.] *Jus civile* eſt *l.* 8. *ff. de juſt. & jur. Quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis Principum, auctoritate prudentum venit.* Cui illa Ciceronis convenit definitio, cum dicit jus civile Romanum eſſe, *quod ex legibus, Senatuſconſultis, rebus judicatis, juris peritorum auctoritate, Edictis Magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit.* Cic. *in Topic.* quæ definitio plenior eſt, omnes quippe juris partes complectens, tam jus ſcriptum, quam quod ſine ſcripto venit. Vid. quæ ad §. 5. *h. t.* annotavimus.

Plebiſcitum, quod ſine patrum auctoritate conſtitutum.] Sup. ad §. 2. *h. t.* diximus *plebiſcitum eſſe, quod plebs plebejo Magiſtratu interrogante (veluti Tribuno) conſtituebat.* Ad cujus ſanctionem non erat opus auctoritate Senatus ſive patrum, quemadmodum in condenda lege requirebatur: quippe cum comitiis centuriatis rogante Conſule leges ſciſcere populi erat, Boet. *in Top. Cic.* ita Senatus erat auctores fieri, antequam comitia haberi, vel rogatio procedere poterat. Cum autem plebs ter ſeceſſione a patribus facta, ad tollendas, & ſedandas ſeditiones obtinuit, ut ſibi quoque jura conſtituere liceret, quæ non univerſum populum, ſed plebem obligabant: donec tandem, ut ſupra diximus, lege Hortenſia, vel Horatia, ſi velis, ſancitum fuit, ut plebis ſcitis univerſus populus teneretur, quam ſanctionem deinde lege Piſoniana, & Hortenſia renovatam, & comprobatam apud Liv. & Dionyſ. videre eſt, ita ut deinde non minus quam leges valere cœperint, ut inquit Imperator. Unde & *Lex Falcidia*, quam tulit *P. Falcidius* Trib. pl. *Cn. Domitio Calvino*, & *C. Aſinio Pollio coſſ.* & *lex Voconia* lata a *Q. Voconio Saxa* Trib. pl. *Et lex Aquilia*, cujus auctor Aquilius Trib. pleb. (de quo vid. Doctiſſimi, & Florentiſſimi Juriſconſulti, & Anteceſſoris D.

GERARDI NOODT, librum ſingularem ad legem Aquiliam, ſingularis doctrinæ & eruditionis notis refertum) & ſimiles, quanquam plebiſcita fuerint, leges tamen dicebantur. Hinc Feſtus plebiſcitum Papirianum vocat legem Papirii Trib. pl.

Aut eſt Principalis conſtitutio, id eſt, ut quod ipſe conſtituit, pro lege ſervetur.] Id eſt, a Principis auctoritate & poteſtate profecta conſtitutio, principale dicitur quod Principem ſpectat, ut apud Suet. in Calig. *cap.* 39. *Modo pœnitentiam ſimulans, quod principalium rerum*, (id eſt, ad Principem pertinentium) *privatis copiam faceret.* Plin. Paneg. 50. *Tanta benignitas Principis, tanta ſecuritas temporum eſt, ut ille nos principalibus rebus exiſtimet dignos.* Inde in jure noſtro *principales conſtitutiones. l.* 33. *ff. ſi cert. pet.* Libri principales *l. un. ff. de offic. quæſt.* & alia id genus. Hæ itaque conſtitutiones pro lege ſervabantur, legis vim habebant; quod enim Principi placuit, legis habet vigorem, poſtquam ſumma rerum a populo ad Principem delata fuit. Quamobrem recte dicimus voluntatem, & arbitrium Principis pro lege eſſe, modo conſtet Principi placuiſſe, ut pro lege habeatur; repræſentat enim & vicem gerit populi, in cujus ſucceſſit jus & locum, itaque quod olim potuit populus, id Princeps poteſt, & quod Princeps vult, id populum velle exiſtimari debet.

---

§. 13. *Poſt originem juris, & proceſſum cognitum, conſequens eſt, ut de Magiſtratuum nominibus, & origine cognoſcamus: quia, ut expoſuimus, per eos, qui juri dicundo præſunt, effectus rei accipitur: quantum eſt enim jus in civitate eſſe, niſi ſint, qui jura regere poſſint? Poſt hoc dein de auctorum ſucceſſione dicemus: quod conſtare non poteſt jus, niſi ſit aliquis juriſperitus, per quem poſſit quotidie in melius produci.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt juris originem.] Tres partes hic titulus complectitur; quarum prima agit de juris ſcil. civilis origine ejuſque proceſſibus, & qua potiſſimum ratione ad eam, quæ hodie extat, magnitudinem creverit, de qua in priori exercitationum parte pro tenuitate noſtri ingenii quædam delibavimus. Altera tractat de magiſtratibus. Tertia prudentium ſucceſſio continetur, quorum ope & induſtria jus civile quotidie in melius productum ad nos pervenit.

Ut de Magiſtratuum nominibus & origine cognoſcamus.] Imitatur Pomponius ſummum ICtum Ulpianum, qui nobis juris artem traditurus, ab ipſa nominis ſive vocis ſignificatione & origine ordiendum eſſe ſtatuit. Nihil magis rectæ diſputandi de quacunque re & diſciplina rationi conveniens judicans, quam quid nominis præcedit, quid rei ſciamus, antequam ad alia materiæ, de qua diſputatio futura eſt, tranſeamus capita. *Juri operam daturus prius noſſe oportet, unde juris nomen deſcendat*, inquit Ulpianus *in l.* 1. *ff. de Juſt. & jur.* Nominis enim ſive vocis explicatio vel intellectus faciliorem nobis viam pandit ad acquirendam cognitionem ejus, de quo diſputatur. *Nominis enim rectitudo illa eſt, ut qualis res ſit oſtendat.* Plat. *in Cratylo.* Quamobrem vetus & veriſſimum fuit dictum, *Ad recte docendum oportet primum ſcrutari nomina.* Unde idem Epictetus, *Initium doctrinæ nominum conſideratio.* Quare merito Juriſconſulti veram Philoſophiam profitentes, optimam diſputandi rationem judicarunt, prius de nomine, quam de re tractare: quare iis ſummus ſemper circa verborum proprietatem fuit labor & cura, ut docet elegans & neceſſarius de *verborum ſignificatione* Titulus. Teſtatur Gellius *lib.* 13. *cap.* 10. *Noct. Attic.* de Antiſtio Labeone, eum *Latinarum vocum origines rationeſque percalluiſſe: eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos uſum fuiſſe.*

Quia, ut expoſuimus per eos, qui juri dicundo præſunt, effectus rei accipitur] Nihil enim prodeſt de rebus juſtis judicia dare, aut ſententias eloqui, niſi ſint qui executioni mandent: nam ut idem inquit Pomponius, *Parum eſt jus in civitate eſſe, niſi ſint, qui jura regere, ſive potius reddere poſſunt.*

Quæ enim legum erit utilitas, ſi in literis duntaxat conſi-

ſtant, non etiam ipſa facta atque opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant, inquit Imperator Novell 161. Magiſtratuum igitur auxilio & ope indigemus, ut ad effectum deducatur & hominum negotiis atque actionibus applicetur quicquid legibus ſancitum eſt. Unde Cic. 3. *de offic. Videtis igitur, Magiſtratus hanc eſſe vim, ut præſit præſcribatque recta & utilia & conjuncta cum legibus. Ut enim Magiſtratibus leges, ita populo Magiſtratus præſunt. Vere dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum Magiſtratum.* Et paulo poſt: *Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia, ac diligentia civitas eſſe non poteſt, quorum deſcriptione omnis Reipub. adminiſtratio continetur.* Qui autem Magiſtratus vocabulo denotantur, diximus ad §. 10. *Inſtit.* Feſtus Magiſtratus vocat *omnes eos, qui in aliqua poteſtate conſtituti ſunt.* Diſtinguit vero Lipſius inter *dignitatem*, *poteſtatem* & *Magiſtratum*. *Dignitatem* appellat auctoritatem in ſuadendo, conſulendo, decernendo, qualis *Senatorum* & *Judicum*; *Poteſtatem* jus legitimum regendi, jubendique extra urbem & ejus fines, ut ſunt *Imperia, præſidatus*. *Magiſtratum*, jus ſimile, ſed in urbe ipſa.

Verum cum Latini ſcriptores hæc nomina confundant, & tam Proconſules, Præſides Provinciarum, quam Conſules, Prætores, Magiſtratus appellant: hanc diſtinctionem amplecti nequeo; eſt enim Magiſtratus nomen univerſale & generale, quod ad omnes, qui res humanas, quæ quidem ad Rempub. ſpectant, publica auctoritate gerunt, pertinet. Sig. *de antiq. jure civ.* Nomen Magiſtratus a *Magiſtro* dictum. *Magiſter* autem, cui magis ceteris poteſtas. *Magiſtri* (inquit Feſtus) *non ſolum doctores artium, ſed etiam pagorum, ſocietatum, virorum, collegiorum, equitum dicuntur; quia omnes ii magis ceteris poſſunt. Unde & Magiſtratus, qui per imperia potentiores ſunt, quam privati.* Varr. 4. *de ling. latina: Magiſter equitum dicebatur, quod ſumma poteſtas hujus in equites & accenſos, ut eſt ſumma populi Dictatori, a quo is quoque Magiſter populi eſt appellatus.* Item Magiſtri ſocietatum, qui ſocietatibus præſunt, & præcipuam curam gerunt earum rerum, quæ ad ſocietatem pertinent, *l.* 14. *ff. de pact.* Unde Paulus Jctus in

in *l.* 57. *ff. de verb. ſig. Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quam ceteri, diligentiam & ſollicitudinem rebus, quibus præſunt, debent, hi magiſtri appellantur. Quin etiam ipſi Magiſtratus per derivationem a Magiſtris cognominantur.* Neque abs ratione, quia ipſis cura incumbit ne quid Reſpub. detrimenti capiat. Quare facultas agendi, quæ magiſtratibus competit, vocatur *magiſteria poteſtas*, *l. ult. Cod. de offic. mil. jud.*

§. 14. *Quod ad Magiſtratus attinet, initio civitatis hujus conſtat, Reges omnem poteſtatem habuiſſe.*

QUod ad Magiſtratus attinet, initio civitatis hujus conſtat, Reges omnem poteſtatem habuiſſe.] In parte priori ad §. 1. *h. t.* tres regiminis ſpecies ſive civitatum formas enumeravimus, a quibus diverſis ſpeciebus ſive formis, varia civitatum nomina derivationem & originem ſuam habent. Aliquando unus ſummæ rerum præeſt. Nonnunquam plures, non vero omnes Reipub. regimen tenent. Interdum omnibus ejus cura incumbit civibus. Unde aliud imperium dicitur *Monarchicum*; aliud *Ariſtocraticum;* aliud *Democraticum.* Omnium vero horum & vetuſtiſſimum & optimum ac perfectiſſimum ſcil. abſtracte, ut Logici loqui amant, conſideratum, nulla habita ratione ſubjecti, cui inhæret, quod eo ſæpiſſime abutitur, eſt imperium Monarchicum, quando unus fulminat Jupiter, unius adoratur purpura, unius exaudiuntur juſſa & imperia, ceteris obedientiæ relicta gloria. Perfectiſſimum & conſequenter optimum merito dicitur, quia eſt cœleſtis regiminis quædam imago & æmulatrix, cum & univerſum ab uno Deo regatur: quare etiam Antiqui ſtatum Monarchicum ceteris prætulerunt, quod regimen Deorum uni Jovi tribuebant. Hinc Ariſt. *polit. Primum maximeque divinum regnum.* Et quia optimum, ideo cum ipſo genere humano ortum & introductum. Quale fuit imperium paternum vetuſtiſſimis mortalium, legibus tamen naturalibus circum-

Digitized by Google

ſcriptum & limitatum a Deo conceſſum, & ab ipſo ad poſteros devolutum. Unde quiſque paterfamilias in ſua familia Princeps, imperio ornatus Monarchico, ſuo arbitrio juſſa dabat, eaque exequendi neceſſitatem imponebat ceteris familiæ membris, quorum voluntates, prout familiæ utile & conſultum fore arbitrabatur, ad propoſitum ſibi finem & ſcopum dirigebat, a qua concordia & voluntatum unione totius familiæ, quæ tanquam parva civitas conſiderari debet, pendebat conſervatio ac ſalus; omnis enim domus Regio Imperio adminiſtratur. Ariſt. 1. *polit. cap.* 1. Et hoc eſt quod ait Homerus, *Natis dat & conjugibus quiſque leges.* Qualis animorum ad unum eundemque finem conſpiratio ſæpe exulat, ubi plures imperant, propter varia hominum ingenia & multorum male compoſita deſideria: quot enim homines, tot ſententiæ. Quam ingenii humani varietatem ſæpiſſime graviſſimarum diſcordiarum civilium in liberis, ut vocari ſolent, Rebuſp. cauſam & originem fuiſſe rerum uſus abunde docuit. Quibus incommodis mederi non poſſumus, niſi unus conſtituatur dominus, unus Rex, ut exclamat Caligula apud Suetonium *Cap.* 2. Quod cum prævidèrent mortales, eandem in civitate excitanda regiminis formam, quam quiſque in regenda ſua familia approbaverat, introduxerunt; quippe quam humanæ naturæ coætaneam, ei quoque maxime conſentaneam merito arbitrabantur, & ita quaſi naturæ ſtimulis ad illam regiminis conſtituendam formam ferebantur: præterquam quod & ipſa ratio rerum uſu confirmata dictabat vix concordiam & tranquillitatem, a qua communis civitatis dependet ſalus & beatitudo, diu conſervari poſſe, ubi penes plures reſidet imperii majeſtas. Quali in ſtatu tot ſæpe bellorum & diſcordiarum civilium cauſæ, quot homines; tot Nerones, quot capita, propter illas factiones optimatum, quibus Reſpub. non ſolum miſere dilaceratur, verum ſæpiſſime funditus evertitur. Illuſtre exemplum nobis eſt Romana Reſpub. quæ, exactis Regibus, diſcordiis civilibus & bellis inteſtinis ac optimatum factionibus adeo jactata & vexata fuit, ut jam jam interitura penitus videretur, & neceſſe habuerit, ſi ſalva eſſe vellet, & tot malis, quæ ruinam ipſi portendebant, mederi, in unum

iterum

iterum imperium conferre, & eandem, quam imperii conditor Romulus Reipub. initio impoſuerat, regiminis formam revocare. *Non poteſt Reſpub. geri multorum imperiis*, eſt apud Saluſt. *Multorum imperium haud bona res*, apud Homerum. & Cic. 1. *offic. cap.* 12. *Mihi quidem non apud Medos, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari jure retinebat.* Cui illud Ariſtot. convenit III. *polit. Hanc ob cauſam Regum poteſtati ſe olim tradebant, quia rarum erat invenire viros multos virtute præſtantes.* Vide quæ annotavimus ad §. 11. h. t.

Conſtat itaque initio civitatis, inquit Pomponius, *Reges omnem poteſtatem habuiſſe.* Quod non ſolum in civitate Romana, ſed ubique per omnes terrarum plagas omnes gentes obtinuit. *Principio rerum gentium nationumque imperium penes Reges fuit: quos ad faſtigium hujus majeſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant.* Juſtin. *lib.* 1. *cap.* 1. Hinc annotavit Cujacius Homerum nuſpiam uti legum nomine, quod nullis tum legibus uterentur Græciæ populi. *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt*, inquit Cic. 3. de *ll.* Primum in Regum imperio erant civitates & nunc etiam gentes. Ariſt. 1. *polit. cap.* 1. Pomponius autem ſermonem tantum habet de civitate Romana, *quæ*, ut teſtatur Tacitus, *a principio Reges habuit*, & ita, quod antiquiſſimum in terris nomen imperii eſt, idem in urbe primum fuit, & regnatum eſt Romæ à condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta. Liv. *lib.* 1. *in fin.* cujus imperii conditor Romulus genitus *Marte & Rhea Sylvia*, ut Florus inquit, *Hiſt. Rom. lib.* 1. *cap.* 1.

Serviam appellat Ælianus *variar. Hiſt. lib.* 7. *cap.* 16.

Digitized by Google

Iliam vocat Ovid. *lib.* 2. *Faſt.*

Ilia Veſtalis Cœleſtia ſemina partu
Ediderat, patruo regna tenente ſuo.

Et lib. 3.

- - - ut huic urbi ſemina digna dares
Ilia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.

& alibi,

Romulus Iliades, Iliadeſque Remus.

Sic quoque apud Virgil. 6. *Æneid.*

- - - Donec Regina ſacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Et 6. *Æneid.*

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet.

Eodem quoque nomine appellatur ab Horat. *lib.* 6. *Od.* 2.

Iliæ dum ſe nimium quærenti jactat
Ultorem.

Et Stat. *Sylv.* 2. *lib.* 1. *verſ.* 243.

- - - Sic victa ſopore doloſo
Martia fluminea poſuit latus Ilia ripa.

Et Claud. *in conſ. Probini & Olivrii, verſ.* 224.

Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Ilia, percurrens vipreas ſub gurgite telas.

Vul-

Digitized by Google

Vulgati Codices legunt *illi* pro *Ilia;* ſed male.
Hinc quoque vetus Scholiaſtes Juvenalis ad *Sat.* 9. *v.* 53.

> *- - - & ſtrata poſitus, longaque Cathedra*
> *Munera fœmineis tractas ſecreta Calendas.*

Calendis Martiis, quibus Junonis Sacra celebrantur ab Romanis; quia & tunc ILIA *compreſſa eſt à Marte.*
Idem ad *Sat.* 11. *verſ.* 106. & ad *Sat.* 1. *verſ.* 7.

> *Nota magis nulli domus eſt ſua quam mihi lucus*
> *Martis.*

Lucum Martis dicit, (inquit Schol.) *qui Romæ eſt in Appia, in quo ſolebant recitare Poetæ. Aut illum, qui apud Colchos, in quo fuit pellis aurea: aut in quo* ILIA *peperit.* Et apud Plin. *Neglexerat Ilia Mater Romulum, ſed Acca nutrix curabat.*

Salmaſius in ſuis exercitationibus in Solin *cap.* 1. opinatur apud auctores probatæ notæ nuſpiam nomen Rheæ Sylviæ occurrere, verum ſuſpicatur eandem fuiſſe Serviliam, hoc eſt, ξερβήλιον in στυλοπινακίοις Cyziceni templi, quod matri Attali, & Eumenis erat dicatum.

Omnem poteſtatem] hoc eſt omne imperium, omnis Juriſdictio & cognitio penes Romulum ejuſque ſucceſſores fuit, nullus ipſi par neque ſecundus; omnis enim poteſtas *impatiens conſortis erit*, ut inquit ille. Omnia erant Romuli, ſi non dominio, ſaltem imperio, Ant. Fab. *in ration. ad h. t.* Idque ſuo jure, tanquam in urbem a ſe conditam ſibi vindicare poterat. Quanquam, ut legimus apud Dionyſium *lib.* 2. non omnia ſupremæ majeſtatis jura ipſe executus fuerit, ſed quædam populo conceſſerit, ut *legum lationem, Magiſtratuum creationem, & pacis ac belli arbitrium.* Ea tamen conditione ut Patres auctores fierent. Quæ voluntaria conceſſio nihil de ſummo, quo fuit ornatus imperio, detraxit, verum actualem, ut ita dicam, eorum exercitationem in populum tranſtulit, qui tanquam miniſter & vice fungens ſummi imperantis, illa omnia executus fuit. Nam ad Senatum nihil pertinebat,

Digitized by Google

nebit, niſi a Rege relatum; neque ad populum niſi rogatione ejuſdem: quod autem quis per alium facit, per ſe feciſſe videri debet. Quemadmodum enim, qui mandavit juriſdictionem alii, non eo minus juriſdictionem retinere, & ipſe cognoſcere intelligitur, quoniam is qui mandatam ſuſcepit, nihil proprium habet, ſed aliena vice fungitur, non ſua. *l.* 1. §. 1. *ff. de officio ejus. l.* 16. *ff. de Juriſd.* Ita populus quoad ea, quæ ſibi demandata & conceſſa ſunt, non jure ſuo, ſed beneficio ſummi imperantis, cujus vice fungitur, habet & exequitur, ſummum vero imperium ipſe ſibi retinet, & eorum, quæ demandavit, revocandi poteſtatem.

Per *Poteſtatem* itaque Pomponius non tantum intelligit adminiſtrationem civilem, ſed omnem quoque Juriſdictionem & cognitionem, quæ diverſis interjecto tempore in Repub. competiit magiſtratibus. Qualem poteſtatem Cæſares ſibi quoque arrogaſſe teſtatur Suet. *in Nerone cap.* 15. *Cognoſcendi morem eum tenuit, ut continuis actionibus omiſſis, ſigillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad conſultandum ſecederet, neque in commune quicquam, neque propalam deliberabat; ſed conſcriptas ab unoquoque ſententias tacitus ac ſecreto legens, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat.*

Poteſtatis verbo (inquit ICtus) *l.* 215. *ff. de verb. ſig. plura ſignificantur, in perſona Magiſtratuum imperium, in perſona liberorum patria poteſtas: in perſona ſervi dominium.* Hinc Magiſtratus *poteſtas* appellatur. *l.* 26. *ff. de pig. & Hypoth. l.* 17. §. 19. *ff. de ædilit. edict.* ſcil. ratione meri vel mixti imperii, vel etiam ſimplicis Juriſdictionis. Nec enim quiſquam Magiſtratus eſt aut eſſe poteſt ſine aliqua *poteſtate*, id eſt ſine imperio vel Juriſdictione.

Omnibus Magiſtratibus, non tamen Duumviris, ſecundum jus poteſtatis ſuæ conceſſum eſt Juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio. l. unic. ff. ſi quis jus dic. non obtemper. Et *l.* 13. *ff. de Injur.* §. 6. *Quæ jure poteſtatis à Magiſtratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent.*

Notavit ad hunc tit. Cujacius, quod licet nullus poſſet eſſe Magiſtratus ſine Juriſdictione, attamen non omnes, qui Juriſdictio-

Digitized by Google

riſdictionem habent, Magiſtratus eſſe: Principes & Imperatores, à quibus tanquam fonte & origine omnis derivatur Juriſdictio, celſiores eſſe Magiſtratibus, eoque nomine non venire. Quamobrem Tiberius apud Tacit 3. *Annal. Non Ædilis, aut Prætoris, aut Conſulis partes ſuſtineo, majus & excelſius aliquid à Principe poſtulatur.* Qua ratione (inquit) juris & Pontificii Interpretes, Pontificatum ſcribunt non eſſe dignitatem, ſed culmen dignitatum. Jure Canonico quoque vocatur poteſtas ſecularis Judex ſecularis ſeu Magiſtratus. *cap. novimus de verb. ſig. in Decret.* Et qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. *c. qui reſiſtit.* 11. *q.* 3.

---

§. 15. *Iiſdem temporibus &* Tribunum Celerum *fuiſſe conſtat. Is autem erat, qui equitibus præerat, & veluti ſecundum locum a Regibus obtinebat, quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit Regis ejiciendi.*

Tribunum Celerum fuiſſe conſtat.] Celeres quinam fuerint, & unde dicti, docet nos Dionyſ. *lib.* 1 *cap.* 64. *Senatu deinde ex centum Senioribus conſtituto, videns ſibi & juvenum aliqua manu opus futurum, cujus miniſterio & ad corporis tutelam, & ad neceſſaria munia peragenda uteretur,* CCC. *viros robuſtiſſimos, ex nobiliſſimis familiis delectos, circa ſe habuit, commendatos curiarum ſuffragiis, quemadmodum Senatores antea, denos per ſingulas curias. His in univerſum fuit nomen ſicut & nunc, Celeres, ut plerique tradunt, à celeritate miniſterii: (Promptos enim & citatos in exſequendis negotiis, Celeres Romani vocant) ut vero Valerius Antias auctor eſt, à duce ſuo, cui nomen id fuerit.* Hinc Metellum *Celeris* cognomen adeptum fuiſſe obſervavimus, quod paucis diebus a patris obitu funebres ludos & gladiatoria munera celeritate admirabili exhibuerit. Vel à Celere Remi interfectore, qui primus iis ordinibus à Romulo præfectus eſt, fuiſſe dictos alii opinantur.

Cele-

Digitized by Google

Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo iis præpoſitus fuit, qui primitus electi fuerunt ex ſingulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuerunt, apud Feſtum. Ex hiſce conſtat, non ſemper huic ordini Celerum nomen fuiſſe, verum poſtea Regio imperio ſublato, equites dictos fuiſſe, idque non incongrue: quippe ut ex Dionyſio conſtat, *quia ubi campus ad equeſtre certamen accommodus*, equo inſidentes prælium committebant. Hinc celer pro Equite, Græcis κέλης, unde Celeres & Celetes iidem. Ita dicti, quia non bigis aut quadrigis in certamine utebantur, ſed uni equo inſidebant Quare apud Homerum celes equus dicitur, qui ſolus agitatur quaſi monampix Unde *Celetizontes* Juvenes dicebantur, qui frequenti equorum ſingularium certamine delectarentur. *Hægiæ, Minerva, Pyrruſque Rex laudatur, & Celetizontes pueri.* apud Plin. *lib.* 34. *cap.* 8. Et cap. 7. *Equeſtres utique ſtatuæ Romanam celebrationem habent, orto ſine dubio à Græcis exemplo. Sed illi Celetas tantum dicabant in ſacris victores. Poſtea vero & qui bigis vel quadrigis viciſſent.*

Hinc Gellius *lib.* 10. *cap.* 25. inter genera navium celoces vocat, quas Græci Celetes vocant, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractant remos. *Celox per Translationem à Celete equo dicitur, cui vir inſidet unus*, ut docet Suidas. Cujus mentem ita explicat *Scheff. de milit. Naval. lib.* 2. *cap.* 1. *Ut quemadmodum Celetes, vel ut Latini nominabant, ſingulares equites ex equis tantum ſingulis pugnabant, quemadmodum in prælio tantum ſingulis utebantur, ita celoces dicebantur eæ naves, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractabant remos. Patet hoc ex Amphippis equitibus, qui celetibus opponuntur. Sicut enim ex Amphippis, qui duobus ſimul utuntur equis, dictæ ſunt Ampheres, in quibus quiſque duos remos agitat; ſic ex celetibus dictæ ſunt celoces, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractant remos.* Valerius Probus in notis, TRIB. CEL. *Tribuni Celerum vel celetium. Nec procul hinc Romam &c.* Itaque *celeres* & *celetes* eoſdem facit. Servius *ad* 8. *Æneid.* Romulus (inquit) *cum turbam civium non haberet, aſylum condidit, ad quem locum ſiquis confugiſſet, cum exinde non liceret auferri, hic cum*

videret

videret multitudinem ſine virorum connubiis poſſe deperire, a vicinis civitatibus matrimonia poſtulavit, ſed ab eis contemptus, Celetes ſe Neptuno equeſtri Deo, qui & Conſus dicitur, editurum propoſuit, ad quos Celetes cum de vicinis civitatibus maxima multitudo cum omnibus fœminis conveniſſet, &c. Perperam *Celeres* pro *Celetes* ibi reponunt Viri docti, inquit Salmaſius in ſuis Notis ad Ælium Lampridium.

Atque inde *Celer* pro *veloci*, nihil enim equo vel equite velocius. Poſtea dicti ſunt flexutes, a flectendis equis in gyrum. Deinde Troſſuli, cum oppidum in Thuſcis citra Volſcinios paſſuum 9. *M.* ſine ullo peditum adjumento cepiſſent: Plinius enim *lib.* 33. *cap.* 2. ita inquit: *Equitum nomen ſæpe variatum eſt in iis quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres ſub Romulo Regibuſque appellati ſunt: deinde flexumines: poſtea troſſuli, cum oppidum in Thuſcis citra Volſcinios paſſuum* IX. *M. ſine ullo peditum adjumento cepiſſent ejus vocabuli: idque duravit ultra C. Gracchum. Junius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea troſſulos vocabant, nunc equites vocant: ideo quia non intelligunt troſſulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari: & cauſam quæ ſupra indicata eſt exponit, invitoſque etiamnum tamen troſſulos vocari.* Et apud Feſtum *Troſſuli equites dicti, quod oppidum Thuſcorum Troſſulum ſine opera peditum ceperint.* Emendat autem Salmaſius Plinium. Et pro *Flexumines* legendum putat *Flexutes*. *Flexutes* a flectendis equis dicti. Virgil. *Flectere ludus equos*; a *flexus* autem *flexos flexitis*, & ἀρχαϊκῶς *flexutis*; ut ab *arcus*, *arces*, *arcutis*. *Servius*; *equites apud veteres flexutes dicebantur, ſicut ait Varro rerum Humanarum.* Hæc Salmaſius. Quod autem multos eo nomine appellari puduiſſe ſcribit Plinius, cauſa fuit, quia cum olim vox *Troſſulus*, equitem bellis & laboribus aſſuetum ſignificabat, interjecto tempore vitiis paulatim indies magis magiſque in Rempub. immigrantibus, hominem delicatum, mollem, obeſum & ſucculentum, quem natura ventri obedientem finxiſſe videtur, ſignificabat. Unde vetus Gloſſ. pu at *Troſulum* dictum quaſi *toroſulum*, *à toroſa ſcilicet carne & arvina.* Nonius Marcellus, *Troſuli dicti ſunt toroſuli quaſi*

 ha-

habitiores à toroſa ſcilicet pinguedine. Hieronym. in *Jovianum: Unius tantum Philoſophi exemplum poſui, formoſuli noſtri, & troſuli: & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, imitentur ſaltem gentilium parcitatem.* Et apud Varronem: *Nunc emunt troſuli Nardo nitidi vulgo attico talento equum.* In eadem ſignificatione apud Senecam *Epiſt.* 4. *c.* 87. *O quam vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via divitibus, Curſores & Numidos, & multum ante ſe pulveris agentem. Hic ſine dubio cultior comatiorque quam M. Cato videretur.* Et *Epiſt.* 68. *Quid ergo? Idem faciam, quod troſſuli & juvenes.* Unde Perſius Sat. 1.

- - - Unde iſtud dedecus: in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia levis?

Per Troſſulum levem denotat, auditorem voluptatibus indulgentem, opimum, corpulentum, ſuccoſum, quem magis pigmenta floſculi, lenocinia orationis, quam res, quam argumenta commoveant, levem, mollem, nihil habentem ſeveri Judicii.

Qui huic ordini præerat, Tribunus appellabatur, & ſecundum a Rege locum obtinebat, ut Magiſter equitum a Dictatore. Dictus Tribunus a tribus, quibus præerat, centuriis. Diſtinxerat enim Romulus trecentos illos juvenes, quos Celeres appellavit, in tres centurias, quibus ſingulis ſuos præfecit duces, qui centuriones dicebantur. Qui vero his omnibus, nec non & centurionibus præerat, præfectus ſive tribunus Celerum vocabatur. Ejus autem curæ Regis perſona demandata, cui ſemper aderat, ad cujus tutelam & corporis cuſtodiam 300. robuſtiſſimos ex nobiliſſimis familiis delectos juvenes circa ſe habuit, quorum in rebus urgentibus & ſumma neceſſitate utebatur miniſteriis, qui ad exequenda Regis juſſa alacres & prompti, Regumque ſtipatores erant. Huic quoque Numa quædam Sacra peragenda tribuiſſe ſcribit Dionyſ. *lib.* 6. *cap.* 92. *Primam ſacrorum munerum inſtitutionem tradidit triginta curionibus. Secundam iis, quos Romani flamines vocant. Tertiam Tribunis Celerum, quos dixi & pedeſtres & equeſtres militare,*

Digitized by Google

re, *Regiſque corpus ſtipare. Nam & hi ſolemnia quædam peragebant Sacra.* Plura de Tribunorum Celerum jure vel poteſtate nuſpiam invenimus.

Quo in numero fuit Junius Brutus.] Brutorum familia Romæ illuſtris fuit. Pater huic fuit M. Junius Brutus, ab uno Æneæ ſociorum oriundus, inter nobiliſſimos Romanorum ob virtutem habitus. Dionyſ. *lib.* 4 *cap.* 195.

Brutus dictus fuit propter ſimulatam ſtupiditatem & ſtoliditatem; cum enim Tarquinius patrem ob divitias, ſimulque fratrem natu majorem, ne ſcelus ulciſceretur, e medio ſuſtulerat, timens ne quid crudelius in eum Tarquinius conſuleret, ſtultum ſe ſimulavit, qua fallacia, opes nihili faciens, Regis Tyrannidem evaſit. De quo ita Ovid. *lib.* 2. *faſt.*

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.

Brutum enim dicitur, quod *ſtupidum ſtolidumque* eſt, & ſine ſenſu quaſi obrutum. Quamobrem Cic. fortunam brutam, id eſt, ſine ſenſu errantem appellavit. Et bruta animalia ratione carentia dicuntur. Unde Cyprianus ad Demetrianum ſcribens ait: *Nullum affectus lumen cæco offert, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto, cum nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire.* Quæ ſimulata ſtupiditas unicum ei fuit tutamen contra ſævitiam tyranni debacchantis in multos cives optimos, ut inquit Dionyſ. dict. loc. Refert idem, cum inſolitum peſtilentiæ genus ſub Tarquinii imperio graſſaretur, quod non modo puerorum & virginum magnam tollebat multitudinem, ſed etiam prægnantibus infeſtiſſimum, matres una cum ipſo fœtu paſſim per vias ſternebat, Regem Aruntem & Titum Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum miſiſſe, ut morbi cauſam & remedium ex oraculo cognoſceret, iiſque Junium Brutum comitem addidiſſe. Qui, cum ad oraculum perveniſſent, acceptoque, cujus cauſa miſſi erant, reſponſo, donariis Deum honoraſſent, multum riſerunt Brutum, quod aureum baculum incluſum corneo cavato donum Apollini tuliſſet. Privatim deinde rogaverunt

Mmm 2 Deum,

Deum, *ad quem eorum regnum Romanum eſſet venturum?* Ex infimo ſpecu vocem redditam ferunt: *Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus, ô Juvenes! oſculum matri tulerit.* Adoleſcentes non percipientes ſenſum oraculi, pacti ſunt inter ſe ut ſimul matrem oſcularentur, communibus auſpiciis regnum adminiſtraturi. Vel ut Livius refert, ipſi inter ſe uter prior cum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permittunt. Verum Brutus alio ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit; ſcil. quod ea communis mater omnium mortalium eſſet. Unde canit Ovid. *lib. 2. faſt.*

Ille jacens pronus matri dedit oſcula terræ,
Creditus offenſo procubuiſſe pede.

Putat autem Coccejus in ſuis comment. ad h. t. propter hanc fatuitatis ſimulationem, improbabile eſſe, eum Tribunum Celerum fuiſſe, tantumque imperii & poteſtatis obtinuiſſe; quanquam Livius & hic Pomponius contrarium teſtentur. Multo veriſimilior, inquit, eſt relatio Dionyſii, quod *Princeps* fuerit *ſacrificorum.* Quod nuſpiam apud Dionyſium invenire potui. Quippe ubi Brutum Valerio de comitiis, quis ea habiturus eſſet, cum nemo ipſorum eſſet in Magiſtratu, quærenti, reſpondentem inducit, ſemetipſum quoque Tribunum Celerum vocat. Nulla ſit Principis ſacrificorum mentio: *Ego* (inquit) *Valeri. Sum enim Tribunus Celerum, licetque mihi per leges quandocunque in comitium vocare populum. Hunc enim honorem, maximum alioqui, Tarquinius mihi dedit ceu fatuo, ut qui nec poteſtatem ejus ſim animadverſurus, nec, ſi vel maxime intelligam, ea uſurus.* Unde Coccejus illa habeat, fugit me, itaque dubito num ipſe ex Dionyſio deſcripſerit, quæ de Bruto refert. Vid. Liv. *lib. 1. in fin.*

Qui auctor fuit Regis ejiciendi] Atque ita totius populi in libertatem vindicandi. *Quid potuit amplius, ſi L. Brutus eſſet, qui civitatem dominatu Regio liberavit.* Cic. *in Orat. pro Planc.* & *in 1. Philipp. L. Brutus Regio dominatu Rempub. liberavit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum in prope quingenteſimum annum*

Digitized by Google

annum propagavit. Hic eſt enim ille Brutus omnium ſermone celebratus, qui legum & libertatis ſummus auctor & vindex, cum furere ſe ſimulaſſet, latentem animum nimium diu reconditum, ſuo tempore detexit, magnificaque oratione, non vecordis & dementis, avunculo imperium abrogavit, populuſque Romanus auſpicium imperiumque ſequuti ſuum, ex gravi ſervitio, & dominatu Regio ſe in libertatem vindicavit. Alex. ab Alexand. *dier. Genial. lib. 5. cap. 28.*

Hinc Tacit. 1. *Annal. Urbem Romam à Principio Reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* Non reſtituit igitur. *Fuit enim prima illa Romani populi libertas, cum ab initio urbis conditæ Reges urbem ipſam habuerint, nunquam proinde urbs libertatem*, inquit Faber *in ſuis rational. ad h. t.*

---

§. 16. *Exactis deinde Regibus*, Conſules *conſtituti ſunt duo: penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt. Dicti ſunt ab eo, quod plurimum Reipublicæ conſulerent, qui tamen ne per omnia Regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi, ſolum relictum eſt illis ut coërcere poſſent, & in vincula publica duci juberent.*

Conſules conſtituti ſunt duo.] Liber jam populus Romanus, alia regiminis forma Reipub. impoſita, ſeque invicem cives jurejurando adegerunt, *Neminem Romæ paſſuros regnare.* Regiæ itaque poteſtati, quæ ducentos quadraginta quatuor annos duraverat, conſulare ſucceſſit imperium, quod a Regio niſi nomine tenus differebat: ita ut potius nomen, quam imperium immutatum videretur. Duo igitur creati Conſules in omnibus pari cum Regibus poteſtate, præterquam quod hi perpetui, illi annui, hic ſolus, illi duo; *ne poteſtas ſolitudine*

vel mora corrumperetur, ut inquit Florus *lib.* 1. *cap.* 9. Quare Liv. *lib.* 2. *cap.* 1. *Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod diminutum quicquam ſit ex Regia poteſtate, numeres. Omnia jura, omnia inſignia, primi Conſules tenuere.* Et quidem, ut æquum & Reipub. utile videbatur, illud in Brutum Collatinumque libertatis ſuæ vindices & auctores populus Romanus initio tranſtulit: quod ſibi quodammodo pro tot tantiſque in Rempub. meritis, jure ſuo vindicare potuiſſent. Conſules dicti, ſecundum Varronem, quod conſulere Senatum ac populum deberent. Quinctilianus dubitari poſſe dicit, utrum a *conſulendo*, an a *judicando* Conſules dicantur. Quippe hoc conſulere veteres dixere. Unde remanſit illud, *Rogat bene conſulas*, hoc eſt, *judices*. Lipſ. *de Magiſt. Rom.* Unde Cic. 3. *de leg.* teſtatur ex legibus duodecim tabularum, eoſdem Prætores, Judices, & Coſſ. dici a præeundo, judicando, & conſulendo. *Regio imperio duo ſunto; iique præeundo, judicando, & conſulendo, prætores, judices, & conſules appellantur; militiæ ſummum jus habento; nemini parento; illis ſalus populi ſuprema lex eſto.* A conſilio ſimpliciter derivat nomen Dionyſius *lib.* 3. *cap.* 199. *Hos Magiſtratus placuit ipſorum lingua nominari Conſules: quod vocabulum ſi Græce interpretari velimus, ſignificat* συμβούλους *ſive* προβούλους. *Nam conſilia Romani vocant, quas noſtrates* συμβουλάς. ὕπατοι *tamen procedente tempore à Græcis dicti ſunt, à poteſtatis præcellentia, quoniam omnibus præſunt, & ſummum locum obtinent. Nam quod præcellens & ſummum eſt, priſci Græci* ὕπατον *vocabant.* Pomponius Conſules ab eo dictos putat, *quod plurimum Reipub. conſulerent.* Quæ nominis derivatio a Conſulum officio non aliena. Ipſis enim incumbebat providere, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Et, ut inquit Florus *l.* 1. *c.* 9. *Conſules appellavit pro Regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent.* Optime enim *Cic.* 1. *offic. Omnino qui Reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant; Unum ut ad utilitatem civium ſic tueantur, ut, quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum Reipub. corpus curent, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad utilitatem*

Digitized by Google

tem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Imperium enim, ut ait Ammianus, *cura ſalutis alienæ eſt.* Quare Imperator Hadrianus & in concione & in Senatu ſæpe dixit: *Ita ſe Rempub. geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam.* Apud Spartianum *cap.* 8. Ut enim tutor in rem pupilli conſtituitur, ut ejus rationibus ſerviat; ita Principes & Magiſtratus populi ſaluti & utilitati conſulere debent, & publica commoda privatis anteponere. Singulare erga Rempub. & cives amoris & ſtudii exemplum, illud L. Bruti facinus, quod Florus prodidit: *Quum favori civium, etiam domus ſuæ clade & parricidio velificatus eſt. Quippe quum ſtudere revocandis in urbem Regibus liberos ſuos comperiſſet, protraxit in forum & concione media virgis cecidit, & ſecuri percuſſit: ut plane publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum videretur.* Triplici olim nomine, ut patet ex Cic. ſup. allegato, hunc Magiſtratum appellarunt Prætorem, Judicem, Conſulem, a conſulendo, præeundo, judicando. Quippe olim Prætores dicti, qui nunc Conſules. Unde apud Feſt. *Prætoria porta in caſtris dicitur, qua exercitus in prælium educitur: quia initio Prætores erant, qui nunc Conſules: & ii bella adminiſtrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur prætorium.* Prætores, quia præibant populo, Conſules, quod conſulerent Senatum. Prætor dictus, inquit Varro, qui præiret jure & exercitu. Unde Imperator Juſtinian. in *Novel.* 25. *Eſt hoc nomen* (ſcil. Prætoris) *quaſi jure patrio Romani imperii proprium, & ante ipſos etiam Coſſ. in ampla Romanorum Repub. uſui habitum.*

Hinc nomen Prætoris in XII. tab. pro Conſule cauſas cognoſcente de addicto debitore: *Inter eos dies trinis nundinis, ad Prætorium in Comitium producito, quantæque pecuniæ judicatus erit, prædicato.* Ad Prætorem id eſt Conſulem, quippe ea tempeſtate nondum Prætor erat creatus. Primum creatus fuit Prætor Anno ab V. C. 389. poſt latas XII. Tab. 72. ut apud Liv. videre eſt. Quanquam idem auctor ſup. *lib.* 3. *cap.* 55. tradiderit, Horatia lege Conſules & Prætores iiſdem auſpiciis fuiſſe creatos, ita ut ſibi conſtare non videatur Livius. Sed reſponderi poteſt, Livii mentem eſſe, quod illud nomen,

quo

quo antea Conſules ſignificabantur, poſtea tranſierit ad novum illum Magiſtratum, qui eo tempore creatus eſt. Sic quoque Impubem ll. XII. tab. Prætoris, id eſt, Conſulis arbitratu verberari, noxamve duplionemve decerni vetabatur. Plin. *lib.* 18. *cap.* 3. Prætores enim, ut confirmat Sonaras *Tom.* 2. *pag.* 28. ad Decemviros uſque Prætores fuiſſe appellatos: poſt vero abrogatum decemviratum, Conſules vocari incepiſſe. Unde Livius *lib.* 3. *cap.* 55. *Fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege Conſulibus quoque & Prætoribus, quia iiſdem auſpiciis, quibus Conſules crearentur, cautum eſſe; Judicem enim Conſulem appellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum Conſulem Judicem, ſed Prætorem appellari mos fuerit.*

Penes quos ſummum jus eſſet, lege rogatum eſt] Superius diximus imperio Regio Conſules fuiſſe creatos. Unde Cic. 3. *de ll. Regio imperio duo ſunto.* Faſtigium dignitatum vocat Caſſiodorus. Græci ὕπατοι, ut ex Dionyſio deſcripſimus, appellabant: in omnibus rebus pari cum Regibus poteſtate erant ornati; omnia jura, omnia inſignia, quæ Reges olim habuerant, Conſules tenuere. Liv. *lib.* 2. *cap.* 1. Nimirum lictores cum faſcibus, purpuream prætextam, ſellam curulem Regiam. Id tantum cautum, ut alter Conſul, penes quem erat imperium, Faſces XII. ſecuribus alligatos, alter virgarum Faſces cum lictoribus haberet, idque per vices ſingulis menſibus, donec annuum eorum imperium expleretur. Ne ſi ambo Faſces haberent, duplicatus terror videretur. Unde Suet. in Cæſare *cap.* 20. *Antiquum etiam retulit morem, ut quo menſe Faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* Faſces faſciculi erant, ut inquit Budæus, virgarum, inter quos ſecuris obligata erat, ita ut ferrum in ſummo faſce extaret. Liv. *lib.* 3. *cap.* 36. *Faſcibus ſecures illigatas præferebant.* Ex betula autem virgæ fiebant. Quodque faſcibus, quos præferebant lictores, betullas virgas maxime commodas duxere. Itaque ex illarum virgis, tum propter candorem, tum propter tenuitatem publicos Faſces, qui Magiſtratibus præirent, effecere. Alex. ab Alexand. *Dier. Genial. lib.* 1. *cap.* 28. & inde Plin. *lib.* 16. *cap.* 18. *Gaudet frigidis ſor-*

Digitized by Google

ſorbus, *& magis etiam betulla. Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis Magiſtratuum virgis.*

Cur autem virgæ colligatæ adnexis ſecuribus ferantur, docet nos Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 23. *cap.* 21. ſcil. ut Magiſtratus præmonerent, lente ad irrogandam pœnam pergendum. Vel ut inquit Budæus ſup. alleg. ut *mora tantiſper Magiſtratuum iræ fiat, dum virgæ diſſolvantur: id quod ſæpe pœnitentiæ occaſionem Magiſtratibus attulit. Enimvero quoniam facinoroſi partim ſunt emendabiles, partim perditiſſimi: ut virgæ admonendis illis, ſic ſecures his tollendis de medio inſtitutæ ſunt.* Accenſus, de quo fit mentio ſup *cit. loc. ex Suet.* eſt miniſter Magiſtratuum, qui acciret, & erat ſupra lictores, ab acciendo, id eſt vocando, ita dictus, quia vel Quirites ad concionem, vel jus poſtulantes ad Prætorem acciret. Varro *de lingua latina: Conſul loquitur ad exercitum: Impero qua convenitur ad comitia centuriata. Quare hic Accenſo, illic Præconi dicit, hæc eſt cauſa; in aliquot rebus item ut Præco Accenſus acciebat, a quo Accenſus quoque dictus. Idem juſſu Prætoris clamabat eſſe tertiam meridiem, & horam nonam. Accenſum ſolitum ciere, Bœotia oſtendit. Ubi primum Accenſus clamarit meridiem.* In actionibus Prætor Accenſum ſolitus erat jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam.

Præterquam quod ejus quoque erat officium, ut moleſtis interpellatoribus ſilentium imponeret. Sig. *de jur. antiq. Civ. lib.* 2. *cap.* 15. aliter Accenſus nomen eſt ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur Princeps vel Commentarienſis, aut Cornicularius, & dabatur a Tribuno militum Centurioni adjutor. Accenſi quoque dicuntur, apud Feſt. *lib.* 1. qui in locum demortuorum militum ſufficiebantur, ita dicti quod ad cenſum adjiciebantur. Veget. *de re milit. lib.* 2. *cap.* 19. *Ad obſequia tamen Judicum vel Tribunorum, nec non etiam Principalium deputabantur milites, qui vocantur Accenſi, hoc eſt, poſtea additi, quam fuiſſet legio completa, quos nunc ſupernumerarios vocant.* Poſtea etiam Optiones dicti, quia referentibus Centurionibus adoptati in cohortes ſubibant, ut ſemper plenæ eſſent legiones. Vid. Budæum in ſuis *Annotat. in*

Digitized by Google

Pandect. Hæc de Accenſis. Lictores initio naſcentis Reipub. Romanæ Regum miniſtri fuere Livius de Romulo ſermonem habens, *vocataque ad Conſilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nulla re, præterquam legibus poterat, jura dedit, quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, cum cætero habitu auguſtiorem, tum maxime lictoribus XII. ſumtis fecit.* Exactis vero Regibus iis fuere uſi Conſules, Prætores, Interreges, Dictatores, & ſi qui alii Magiſtratus non poteſtatem ſolum habuerunt, ſed etiam imperium. Viatoribus ii, quorum poteſtas potius, quam imperium extitit. Sig. de *antiq. Jur. Civ. lib.* 2. *cap.* 15. Horum erat munus faſces cum ſecuribus ligatos Magiſtratibus præferentes, præire, turbas ſummovere, *Repente ſtrepitus ante curiam lictorum ſummoventium auditur*, apud Livium. Juſſi autem faſces & ſecures, quas portabant, ſolvebant & expediebant, atque primo ſontes virgis cædebant, mox ſecuri feriebant. Valgius Rufus apud Gell. *lib.* 12. *cap.* 3 lictorem aliquando dictum putat, quod cum Magiſtratus P. R. virgis quempiam verberari juſſiſſent, crura ejus ac manus ligari vincirique à viatore ſolita ſint. Iſque, qui ex collegio viatorum officium ligandi habuiſſet, lictor ſit appellatus: utiturque ad eam rem teſtimonio M. Tullii, Oratione, quæ dicta eſt pro Rabirio. *Lictor*, inquit, *colliga manus*. Quam opinionem & ipſe Gellius probat. Verum Tiro Tullius inquit, M. Ciceronis libertus, *lictorem* vel à *limo* vel à *licio* dictum ſcripſit, licio enim tranſverſo, quod limum appellatur, qui Magiſtratibus, inquit, præminiſtrabant, cincti erant. Et ita quoque Plutarch. *in Romulo: Præcedebant alii, qui baculis turbam ſummovebant loris ſuccincti, ut ilico vincirent eos quos ille juberet, unde lictores dicti: & virgæ, quas geſtabant, faſces.* Potuit fortaſſe vox Lictores, interpoſita *nunc litera C dici, quum olim litores dicerentur, quaſi* λειτεργοὶ, id eſt, *miniſtri publici.* Franciſc. Polet. *Hiſt. for. Rom. lib.* 5. *cap.* 13. Lictorem interpretatur quaſi legis actorem. Annotavimus ad §. 6. *h. t.* ad verba *Legis actiones, lege agere* dici lictorem, cum ex officio ſuo agit, & ſententiam in damnatos exequitur. Vide ibidem allegata ſcriptorum teſtimonia. Hi e plebe Romana fuerunt, ut

ut ex Feſto conſtat, apud quem quis ex plebe queritur, quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, & eos ipſos eſſe plebis homines.

Poſt bellum vero Punicum, qui Magiſtratibus in Provincia apparerent, Bruttii fuere, unde Bruttiani dicti, inquit Gell. *lib.* 10. *cap.* 3 qui fuere ſervi lorarii, hoc eſt, qui accincti loris verbera & plagas imponebant. Cum enim hi primum ad Annibalem deſciviſſent, idque Romani ægerrime tuliſſent, fugato Annibale, ſecundum Senatus ſententiam, Bruttios ignominiæ cauſa nec milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant, ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parere, & præminiſtrare ſervorum vicem juſſerunt. Itaque ii ſequebantur Magiſtratus tanquam in ſcenicis fabulis, qui dicebantur lorarii. Et quos erant juſſi, vinciebant aut verberabant, qui autem ex Brutiis erant, appellati ſunt Brutiani. Hæc Gellius dict. loc. Purpurea etiam uſi fuere Conſules prætexta, & ſella curuli, unde Liv. *lib.* 7. *in pr. Cum de induſtria omnia, ne quid per plebejum Conſulem ageretur, proferrentur, ſilentium omnium rerum, ac juſtitio ſimile otium fuit: niſi quod non patientibus tacitum Tribunus, quod pro Conſule uno plebejo tres patricios Magiſtratus curulibus ſellis prætextatos tanquam Conſules ſedentes, nobilitas ſibi ſumpſiſſet; Prætorem quidem etiam jura reddentem, & collegam Conſulibus, atque iiſdem auſpiciis creatum.* Et apud Suet. in Claudio *cap.* 23. *De majore negotio in Curia medius inter Conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.* Cic. *in Piſon. Tu etiam mentionem facies Conſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga & prætexta eſſe Conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Conſule eſſe voluiſti.*

Et Silius Italicus originem Curulis ac Faſcium repetens ita canit:

Mæoniæque decus quondam Vetuloniæ gentis,
Bis ſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures,
Hæc altos eboris decoravit honore curules,
Et Princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro,
Hæc eadem pugnas accendere protulit æra.

Præter hæc inſignia ſceptrum eburneum Conſuli attribuit Dionyſius *lib.* 3. *cap.* 146. ubi inquit : *Attamen Tarquinio quoque inter cetera inſignia regia allatas etiam ſecures XII. quemadmodum & nunc Romani ſceptra & diademata dono mittunt Regibus, quando eis confirmant poteſtatem regiam; quibus utuntur etiamſi ab illis non accipiant. Hos honores non ſtatim admiſit Tarquinius, ſi pleriſque ſcriptoribus Romanis credimus, ſed cum ad S. P. Q. R. retuliſſet, juberentne ut iſta ſumeret? volentibus & conſentientibus omnibus; tum demum illis uſus eſt, totoque deinceps vitæ tempore amictus toga picta purpurea, geſtabat coronam auream, & cum ſceptro eburneo; ſella item ſedebat eburnea, duodecim lictoribus, cum ſecuribus & virgis jura reddenti adſtantibus, & per vias eum præcedentibus. Idem ornatus manſit ejus ſucceſſoribus, & poſt pulſos Reges annuis Conſulibus, excepta corona togaque picta.* Ita in Valerianis exemplis apud Vopiſcum : *Nam te hoc die Conſulem deſigno ſcripturus ad Senatum, ut tibi ſcipionem deputet, deputet etiam faſces. Hæc enim Imperator non ſolet dare; ſed a Senatu quando fit Conſul accipere.* Meminit Liv. M. Papirium, Gallo barbam ſuam, ut tum promiſſa erat, permulcenti, ſcipione eburneo in caput incuſſo, iram moviſſe, *lib.* 5. *cap.* 41. Valer. Max. *lib.* 4. *cap.* 4. de Attilio ſermonem habens, *nec fuit iis rubori eburneo ſceptro depoſito, agreſtem ſtivam aratri repetere.* Ad cujuſmodi genus inſignium alludens Claudianus ita canit *lib.* 1. *de bello Childonico:*

Proh labor! in Bocchi regnum ſudavit uterque
Scipio. Romano viciſti ſanguine Mauri.
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & ſceptra dabat, quem ſemper in armis
Horribilem gentes, placidum ſenſere ſubactæ.

Per *trabeas* & *ſceptra* Conſulatum intellige. Salmaſius in notis ad Trebell. Poll. de Tetrico juniore. Sceptrum etiam Conſules gerebant. Vetus Epigramma:

Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtis.

Du-

Digitized by Google

Duces etiam olim cum ſceptris curiam ingrediebantur, Servius, *Apud majores omnes duces cum ſceptris ingrediebantur curiam, poſtea cœperunt tantum ex Conſulibus ſceptra geſtare, & ſignum erat eos conſulares eſſe.*

Habebat autem ſceptrum in ſummo aquilam, cujus meminit Prudentius:

Cum conſulatum initis, ut vernæ ſolent.
Pudet fateri farre, pullos paſcitis,
Aquila ex eburna ſumit arrogantiam
Geſtator ejus, ac ſuperbit bellua
Inflatus eſſe, cui figura eſt alitis.

Et Juvenal. Satyr. 10. verſ. 43.

Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno.

Notat autem Salmaſius, veteres Conſules ſcipionem tantum geſtaſſe triumphi die, aut aliis feſtis diebus; at recentiores iſti Conſules quotidie ſceptrum geſtabant & cum ſcipione curiam ingrediebantur; unde Dionyſius *lib.* 4. *cap.* 199. *Præterea tam multis Regiis inſignibus, ſi qua ſunt invidioſa & moleſta populo, partim minuenda, partim plane tollenda judico; ſceptra iſta dico, & coronas aureas, & purpureas auro intertextas trabeas; niſi ſtatis feſtis & in pompis triumphalibus aſſumantur honoris deorum gratia.* Quemadmodum quoad alia Conſulum inſignia poſterior ætas ſub Principibus & Imperatoribus quædam immutavit, quædam adjecit. Notandum quod initio hæc dignitas non niſi in patricios conferebatur, verum poſtea aſſiduis Tribunitiis ſeditionibus victi Patres alterum ex plebe Conſulem creandum conceſſere. Ac primus de plebe Conſul L. Sextius creatus eſt Liv. *lib.* 6. *in fin.* & *lib.* 7. *in principio.* Creabantur comitiis centuriatis in campo Martio ab Interrege, nonnunquam & Dictatore. *Comitia conſularia novis Conſulibus creandis, non modo per Conſules haberi, ſed per Interregem; nonnunquam abſentibus Conſulibus, alterum Conſulem cujus erat ſors ut comitiis præeſſet, ex Provincia evocari, aut ſi morbo vel neceſſitate impediti, commodo Reipub. avocari non poſ-*

poſſent, Dictatorem dici, qui comitiis præeſſet, ſæpe reſcriptum eſt. Alexand. ab Alex. *Dier. Genial. lib.* 3. *cap.* 3. Et paſſim Liv. *lib.* 3. *cap.* 8. *lib.* 4. *lib.* 7. *lib.* 8. *lib.* 10 *cap.* 12. *Eo anno, nec traditur cauſa, interregnum initum. Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpicius; is comitia conſularia habuit, creavit M. Fulvium & L. Cornelium Scipionem coſſ.* Ineundi autem conſulatus tempus non ſemper fuit idem. Aliquando idibus Martiis, nonnunquam calendis Quinctilibus. Interdum calendis Sextilibus. Et idibus Decembris Magiſtratum inierunt. Poſtea videtur inſtitutum ut calendis Januariis Conſules inirent, ut perſpicimus ex Vell. *lib.* 2. *cap.* 12. ubi inquit: *At Cajus Marius, Lucium Syllam, jam tunc, ut prævaventibus fatis, copulatum ſibi Quæſtorem habuit, & per eum miſſum ad Regem Bocchum Jugurtha Rege, abhinc annos ferme centum triginta octo, potitus eſt: deſignatuſque iterum Conſul, in urbem reverſus, ſecundi conſulatus initio Calendis Januariis eum in triumpho duxit.*

In Conſulibus creandis obſervabatur quoque ætas, quæ certis annis finita erat. Unde Ovid. 5. Faſt.

> - - - *finitaque certis*
> *Legibus eſt ætas unde petatur honos.*

Ea rogatio, inquit Liv. *l.* 4. *c.* 43. *primum lata eſt L. Julio Trib. pleb. quot annos nati quemque Magiſtratum peterent, caperentque. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur.* Appellatur hæc lex quoque annaria, auctore Feſtô. Unde Lamprid. in Commodo *cap.* 2. *Poſt hæc venia legis annariæ impetrata Coſ. eſt factus.* Ante hanc legem frequenter etiam juvenibus, quorum ſingulares animi dotes virtuteſque enitebant, concedente Populo Romano, aditus ad Conſulatum patebat. Quod Cic. *Philip.* 5. affirmat: *Quid eſt enim P. C. cur eum non quamprimum ampliſſimos honores capere cupiamus. C. Cæſar ineunte ætate docuit, ab excellenti, eximiaque virtute progreſſum ætatis expectari non oportere. Itaque majores noſtri, veteres illi, admodum antiqui leges annales non habebant, quas multis poſt annis attulit ambitio, ut gradus eſſent peti-*

Digitized by Google

petitionis inter æquales: Ita ſæpe magna indoles virtutis, priuſquam Reipub. prodeſſe potuiſſet, extincta fuit. At vero apud antiquos, Rulli, Decii, Corvini, multique alii; à recentiore autem memoria, ſuperior Africanus, T. Flaminius, admodum adoleſcentes Conſules facti, tantas res geſſerunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quæ autem fuerit ætas legitima, docet nos Cic. *Philipp.* V. cum inquit: *Quid Macedo Alexander, cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, nonne tertio & triceſimo anno mortem obiit? quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quam conſularis.* Ex quibus verbis perſpicimus annum conſularem fuiſſe 43. Notandum hic non perpetuo obtinuiſſe quod Livius tradit *l.* 2. *c.* 7. ſcil. nemini ad Conſulatum aditum patuiſſe, niſi qui Quæſturam, Ædilitatem, Præturamve geſſiſſet, & ita per gradus ad Conſulatum, quod in Repub. ſummum erat honoris faſtigium, evehebantur. Inquit enim Liv. quod cum M. Fulvius, & M. Curius Tribuni plebis impedirent T. Quintium Flaminium ex quæſtura Conſulatum petere. *Jam Ædilitatem, Præturamque faſtidiri: nec per honorum gradus documentum ſui dantes nobiles homines tendere ad Conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare. Rex ex campeſtri certamine in Senatum venit, patres cenſuerunt, qui honorem, quem ſibi capere per leges liceret, peteret, in eo populo creandi quem velit, poteſtatem fieri, æquum eſſe.* Et Appian. Alexand. *de bel. civil. lib.* 1. de Sylla ſermonem habens inquit: *Ad hæc leges alius antiquabat, alius ferebat; edixitque ne quis præturam ante quæſturam gereret, neve eundem Magiſtratum ſuſciperet iterum, niſi poſt decimum annum.* Hinc Juriſconſultus in *l.* 11. *ff. de muner. & honor. Ut gradatim honores deferantur, edicto, & ut à minoribus ad majores perveniatur, Epiſtola Divi Pii ad Titianum exprimitur.* Et *l.* 14. *§.* 5. *ff. eod. Gerendorum honorum non promiſcua facultas eſt, ſed ordo certus huic rei adhibitus eſt: nam neque prius majorem Magiſtratum quiſquam, niſi minorem ſuſceperit, gerere poteſt, neque ab omni ætate, neque continuare quiſque honores poteſt.* Verum, ut diximus, hoc perpetuo non obtinuit. Quippe & P. Servilius Quinti filium Galbam, qui nullum antea honorem geſſerat, Cajus Claudius Cento comitiorum cauſa Dictator dictus,

Digitized by Google

ctus, Conſulem creavit. Sic quoque Pompejus Magnus, qui nec præturam nec quæſturam geſſerat, Conſul factus eſt, ut ex Appiano conſtat *l.* 1. *de bel. civ.* Tribuit Juriſconſultus Conſulibus jus ſummum regiamque poteſtatem, cujus partes nobis deſcripſit Polybius *lib.* 6. *cap.* 10. cum inquit: *Conſules quamdiu in urbe ſunt, priuſquam legiones educant, omnia quæ publice fiunt, in poteſtate habent, omnes reliqui Magiſtratus præter Tribunos, Conſulibus parent. Hi legationes in Senatum inducunt. Iidem quoties deliberari aliqua de re uſus poſtulat, referendi jus habent: eſtque in eorum manibus Senatuſconſulta conficiendi totum negotium. Præterea publicæ omnes actiones, quæ per populum fieri debent, ad curam horum pertinent. Item advocare conciones, rogationes ferre, è ſuffragiis majoris partis populi legem aut plebiſcitum condere. Inſuper belli adornandi, gerendi, & omnia quæ ad expeditionem pertinent, adminiſtrandi poteſtatem propemodum abſolutam Coſſ. habent. Nam & auxiliaribus ſociorum copiis imperare quod viſum fuerit, & Tribunos militum conſtituere, & conſcribere exercitum, & delectus agere Coſſ. licet. Accedit iſtis quod jus animadvertendi habent in quem voluerint cunque ex omnibus, qui bello ipſis parent. Poſſunt etiam iidem de publicis pecuniis quantum libuerit inſumere: comitante Quæſtore, & prompte quicquid fuerit juſſus, exſequente. Ut merito quis dicat hanc partem intuens, Remp. Rom. plane ab unius imperio pendere & regiam eſſe.* Verum hanc regiam poteſtatem ſive ſummum jus, ut vocat Pomponius, non ipſis integrum manſit, & poſtea reſtrictum atque limitatum fuit.

Qui tamen ne omnia, regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet.] Hac lege, quæ ſtatim à Regifugio lata eſt a Valerio Poplicola, cautum fuit, ut ſi quis Magiſtratus civem Romanum necare, verberare, multare vellet, privatus eum ad populi judicium vocare poſſet. Unde Valer. Max. *lib.* 4. *cap.* 1. de Poplicola ſermonem habens, inquit: *Legem etiam comitiis centuriatis tulit, ne quis Magiſtratus civem Romanum adverſus provocationem verberare aut necare vellet.* Vide Liv. *l.* 2. *c.* 8. Ante hanc legem igitur non licebat a Conſulibus, non magis atque olim a Regibus, & poſtea a Decemviris, ad populum provocare. Quippe cum

penes

Digitized by Google

penes eos jus ſummum & plane regium reſidebat, illud omnis provocationis licentiæ denegabat. Poſtea ab eadem familia ſæpius hæc lex renovata eſt. Anno trecenteſimo quarto a *Lucio Valerio* repetita, quum paulo ante a Decemviris fuiſſet abrogata. Quippe & his jus ſummum in civitate datum erat.

Deinde anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio iterum ab eadem familia perlatam legimus apud Livium *l.* 10. *c.* 9. *Eodem anno* (inquit) *M. Valerius Coſ. de provocatione legem tulit, diligentius ſanctam; tertio ea tum poſt Reges exactos lata eſt. Semper a familia eadem. Cauſam renovandæ ſæpius haud aliam fuiſſe reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Porcia tamen lex ſola pro tergo civium lata videtur. Quod gravi pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſetve civem Romanum, ſanxit. Valeria lex, cum eum, qui provocaſſet, virgis cædi, ſecurique necari vetuiſſet, ſi quis adverſus ea feciſſet, nihil ultra, quam improbe factum, adjecit. Id (qui tum pudor hominum erat) viſum, credo, vinculum ſatis validum legis. Nunc vix ſerio ita minetur quiſquam.*

Notandum vero hanc provocationem tantum fuiſſe intra urbem, & extra ad mille paſſuum, quam nunc Baleucam vocamus, Liv. *l.* 3. *c.* 20. *Igitur Tribuni, ut impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere; eo magis, quod & Augures juſſos adeſſe ad Regillum lacum fama exierat: locumque inaugurari, ubi auſpicato cum populo agi poſſet: ut quicquid Romæ vi tribunicia rogatum eſſet, id comitiis ibi abrogaretur. Omnes id juſſuros quod Conſules vellent; neque enim provocationem eſſe longius ab urbe mille paſſuum; & Tribunos, ſi eo adveniant in alia turba Quiritium, ſubjectos fore conſulari imperio. Terrebant hæc: ſed ille maximus terror animos agitabat, quod ſæpius Quinctius dictabat, ſe Conſulum comitia non habiturum. Non ita civitatem ægram eſſe, ut conſuetis remediis ſiſti poſſet. Dictatore opus eſſe Reipub. ut qui ſe moverit ad ſollicitandum ſtatum civitatis, ſentiat ſine provocatione dictaturam eſſe.*

Fiebat tamen interdum ne provocationi locus eſſet; primo quando extra primum lapidem, id eſt extra Baleucam exercitus educeretur, Conſul provocationi cedere non obligatus erat. Unde loc. cit. *Neque enim provocationem eſſe longius ab*

Digitized by Google

urbe mille paſſuum, & Tribunos, ſi eo adveniant in alia turba Quiritium, ſubjectos fore conſulari imperio.

Deinde quando ſummo SC. muniti erant, *Videant Conſules ne quid Reſp. detrimenti capiat.* Hoc enim SC. rerum ſumma Coſſ. tribuebatur, tumque in ſeditioſos, & perduelles, nulla habita ratione legum de provocatione, quibus exſolvebantur, animadvertebant. Rariſſimum vero id contingebat, & quidem niſi in ſumma Reip. neceſſitate, quando ingens metus & periculi diſcrimen Reipub. imminebat. Hinc apud Saluſt. *in Bel. Catilin. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, Senatus decrevit, darent operam Conſules, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum, more Romano, Magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque cives, domi militiæque imperium, atque judicium ſummum habere. Aliter ſine populi juſſu, nulli earum rerum Conſuli jus eſt.* Unde quoque Cic. *in* 1. *orat. in Catil. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Coſ. videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet; nox nulla interceſſit: mox interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, avis, majoribus, occiſus eſt cum liberis M. Fulvius conſularis.* Idem pro Milone: *Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, more majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cum Senatus ei commiſerit, ut videret ne quid Reſp. detrimenti caperet (quo uno verſiculo ſatis armati ſemper Conſules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, Judicium expectaturum fuiſſe, in ejus conſiliis vindicandis, qui vel judicia ipſa tolleret?* Et in 5. Philip. *Quapropter ne multa nobis quotidie decernenda ſint, Conſulibus totam Rempub. committendam cenſeo, iiſque permittendum, ut Rempub. defendant, provideantque ne quid Reſpub. detrimenti capiat.*

Hoc itaque Senatuſconſulto non armati Conſules, jure Magiſtratus, quo ornati erant, in caput civis Romani animadvertere non potuere quacumque ratione, vel pœna capitali, vel deportatione, vel libertatem adimendo, nam & hoc animadvertere eſt in caput civis Romani, *Eximere caput de civitate. l. penult. ff. de extraord. cognit.* Propterea quod ſervitus morti aſſi-

aſſimilatur, *l. 59. ff. de cond. & demonſt. l. 32. §. 6. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Unde Ulpianus *in l. 209. ff. de R. J. Servitutem mortalitati fere comparamus.* Denique nec aliud quicquam facere, quo civis Romani exiſtimationem læderet ac minueret; pari enim paſſu ambulant vita ac fama, nec bono civi vita carior quam fama eſſe debet, unde nemo eam niſi cum anima ſimul amittere cupit. In ſervos autem Conſules, non obſtante lege Valeria, jure ſuo potuiſſe gravius conſulere, dicendum videtur, quia tantum civibus hac lege proſpectum, nec habet quoque ſervus caput in civitate, *l. 3. ff. de cap. diminutis.*

Solum relictum eſt iis, ut coercere poſſent, ut in vincula publica duci juberent] Quod & confirmat Ulpianus *l. 2. ff. de in jus voc. Eum*, inquit, *in jus vocari non oportet, neque Conſulem, neque Præfectum, neque Prætorem, neque Proconſulem, neque cæteros Magiſtratus qui imperium habent, qui coercere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci.* Per coercere hic intelligit Juriſconſultus modicam coercitionem, quæ Juriſdictioni ita cohæret, ut ab ea divelli nequeat; quippe quæ ſine ea nulla eſſet, & vana ac ridicula; quare cui competit Juriſdictio, ei quoque modica non denegatur coercitio, ita ut, cui mandata eſt Juriſdictio, jus leviter coercendi quoque habeat. Excipit igitur Juriſconſultus omnem graviorem coercitionem, quæ potius meri eſt imperii, quam Juriſdictionis; cujus varia ſunt genera, prout varia ſunt facinora, quibus irrogatur. Quædam enim gladio, quædam ignis interdictione, quædam metalli pœna, quædam deportatione coercentur. Omnis igitur gravior coercitio ad Conſulem non pertinebat, propterea quod erat meri imperii. Ait enim Venulejus *l. 11. ff. de officio Proconſ. Si quid erit quod majorem animadverſionem exigat: rejicere legatus apud Proconſulem debet: neque enim animadvertendi, coercendi, vel atrociter verberandi jus habet.* Cui convenit quod ait Ulpianus *in l. 6. ff. eod. Nec enim poteſt quis gladii poteſtatem ſibi datam, vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre.* Ita ut gravis & atrox quæcunque coercitio revera poſſit dici merum imperium, & ideo Conſuli non competere. Quæ autem huic opponitur, levior & mitior eſt, atque Conſul ad

Digitized by Google

publicam emendandam diſciplinam ea ſæpius uti neceſſe habet, ut in publica vincula reum tergiverſantem duci jubere, pignora capere, multam irrogare, verbera adhibere. De hac loquitur Paul. 5. *Sententia tit.* 16. *ad L. Jul. de vi publica & privata. Hac lege* (inquit) *excipiuntur, qui artem ludicram faciunt: Judicati etiam & confeſſi, qui ideo in carcerem duci jubentur, quod jus dicenti non obtemperaverint, qui contra diſciplinam publicam fecerint.* Et *l.* 11. *ff. de offic. Proconſ.* ubi dicitur legatum jus atrociter verberandi non habere, ergo leviter verberandi non fuit Conſuli denegatum. Unde Cic: *in* 3. *de ll. Magiſtratus*, inquit, *nec obedientem & noxium civem, multa, vinculis, verberibuſque coerceto.* Sic in *l.* 1. *§.* 3. *ff. de ventre inſpic.* ubi vocat Ulpianus remedia prætoria cogi *in jus venire, & ſi venit, reſpondere*, pignoraque ejus capienda, & diſtrahenda, ſi contemnat: vel multis coercenda. Quæ pœnæ ſunt modicæ coercitionis, id eſt mixti imperii, ideoque Magiſtratui Juriſdictionem habenti competunt; quia, ut initio diximus, Juriſdictio ſine mixto imperio, & conſequenter modica coercitione nulla eſt. *Mandata Juriſdictione privato, etiam imperium, quod non eſt merum, videtur mandari; quia Juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt*, inquit Paulus *in l. ult. §.* 1. *ff. de offic. ejus cui mand.* Sed obſervandum, ſi Conſuli Senatus permitteret, ut caveret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet, tunc ſummum ipſi & merum dabatur imperium, ita ut de nece civium decernendi, illoſque omnibus modis coercendi haberet poteſtatem; verum id citra legem ſive SC. id eſt, ſuo jure vel jure Magiſtratus non habuit, ideoque nec mandare id alii potuit, quare mandata Juriſdictione idipſum cum Juriſdictione non transferebatur.

---

§. 17. *Poſt deinde cum cenſus jam majori tempore agendus eſſet, & Conſules non ſufficerent, huic quoque officio* Cenſores *conſtituti ſunt.*

Cen-

Cenſus] Cenſus a cenſendo dictus, cenſere eſt putare, exiſtimare, judicare, notare, æſtimare. Hinc cenſus definiri poteſt, quod eſt æſtimatio rerum & bonorum facta, ſecundum quam tributa pendebantur, unde cenſum agere, eſt recenſere hominum facultates. Hinc Cic. in Verr. 4. *In cenſu habendo poteſtas omnis æſtimationis habendæ, ſummæque faciundæ Cenſori permittitur.* Ita autem agebatur cenſus, ut quiſque civis nomen, genus, ætatem de ſe, uxore, liberiſque & ſervis dare teneretur. Deinde pecunias & prædia ſua profitebantur, quæ ita in cenſum juxta formam cenſualem referebantur, ut poſſet conſtare *nomen fundi cujuſque, & in qua civitate, & quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat: & id arvum, quod in decem annos proximos ſatum erit, quot jugerum ſit: vinea quot vites habeat: oliva quot jugerum, & quot arbores habeat. Pratum, quod intra decem annos proximos ſectum erit, quot jugerum. Paſcua, quot jugerum eſſe videantur: item Sylvæ cæduæ: omnia ipſe, qui defert, æſtimet*, *l.* 4. *ff. de cenſ.* addito juramento legitimo, ſe vere illa & bona fide æſtimaſſe. Dionyſ. Halicar. *l.* 4. *cap.* 165. Ita ut ei, qui cenſum neglexiſſet, pœna eſſet propoſita, ut, bonis in fiſcum redactis, virgis cæſus, ſub haſta veniret. Dionyſ. eod. Suet. *in Caligula cap.* 38. Quamobrem Zonaras tradit, qui ſe, aut bona, cum cenſus agebatur, profeſſi non erant, eorum facultates a Cenſoribus, ipſi a Conſulibus vendebantur. Annotavit Illuſtris Salmaſius de *modo uſurarum*, Cenſum tantum in urbe Romana agi, in provinciis autem profeſſionibus magis uti ſolitum fuiſſe: quanquam revera non differant niſi nomine tenus. Hinc Cic. abſolute *profiteri*, *edere cenſum*, & profiteri quantum quis habet in bonis in Orat. *pro Archia* dixit. Sic in *l.* 4. *ff. de cenſ. Is vero, qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager eſt.* Sic quoque §. 4. Aliquando etiam cenſus non ipſum negotium, verum tabulas ſive libros & formam cenſualem, in quibus civium profeſſiones deſcribebantur, denotat, *l.* 4. *ff. de cenſibus.* Eſt autem, inquit Theophilus, cenſus tabula ſeu charta, in qua Romani ſcribebant ſuas facultates, ut belli tempore pro modo patrimonii ſui unuſquiſque conferret. Sic etiam nonnunquam cenſus univerſum cujuſque pa-

Digitized by Google

patrimonium, omnes facultates & fortunas ſignificat. Hinc apud Horat. *l.* 2. *Od.* 15.

> *Privatus illis cenſus erat brevis,*
> *Commune magnum.*

Id eſt, propriæ facultates & copiæ erant exiguæ. In eadem ſignificatione occurrit apud Plin. *in proœm. l.* 14. *Poſteris* (ait) *laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus, judex fieri cenſu, Magiſtratum ducemque nil magis exornare, quam cenſus.* Sic apud Suet. *in Tiberio cap.* 49. *Sat conſtat, Cn. Lentulum augurem, cui cenſus maximus fuerit, metu & angore ad faſtidium vitæ ab eo actum, & ut ne quo niſi ipſo herede moreretur.* Id eſt, cui maximum fuit patrimonium, utpote qui, ut Seneca teſtatur *l.* 2. *cap.* 27. *de benef.* quater millies ſeſtertium ſuum vidit, id eſt, ut vult Lipſius, centies centena millia, ſive decem milliones Philippicorum noſtra æſtimatione. Ita cenſus Senatorius, cenſus Equeſter, erat Senatoris vel Equeſtre patrimonium, quod quiſque habere debuit, qui in ordinem Senatorium vel Equeſtrem legi vellet.

Cenſum autem, ut conſtat ex Dionyſio, Livio, inſtituit Servius Tullius. *Cenſum*, inquit *l.* 1. *cap.* 42. *inſtituit rem ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli paciſque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent.* Sic quoque Flor. *l.* 1. *cap.* 6. *Ab hoc* (inquit) de Servio ſermonem habens, *populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus: ſummaque regia ſolertia ita eſt ordinata Reſpub. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur; ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.* Hoc autem jus primo Regum, deinde Conſulum, & Dictatorum; poſtea proprio ad id Magiſtratu creato, Cenſorum fuit. Valer. Max. *l.* 3. *cap.* 4. Regi Tullio *quater condere luſtrum contigiſſe*, id eſt, quater egiſſe cenſum. Quintum P. Valerius & T. Lucretius coſſ. anno poſt Reges exactos ſecundo; ſextum decennio poſt T. Largius egit. Vid. Dionyſ. *l.* 5.

Et

Digitized by Google

Et Conſules non ſufficerent, huic quoque officio Cenſores conſtituti ſunt.] Unde Zonaras: *Cenſores vero anno ſequente deſignati ſunt L. Papyrius, & L. Sempronius. Eorum creandorum cauſa fuit, quod coſſ. ob multitudinem omnia negotia exequi non poterant.* Vide Feneſtell. *de Magiſt. Rom. cap.* 17. Pompon. Lætum de *Magiſt. Rom.* M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintum coſſ. *Ortum autem*, inquit Liv. *l.* 4. *cap.* 8. *initium rei eſt, quod in populo per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque Conſules, cum tot populorum bella immінerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab Senatu eſt rem operoſam, ac minime Conſularem ſuo proprio Magiſtratu egere: cui ſcribarum miniſterium, cuſtodiæque & tabularum cura, cui arbitrium formulæ cenſendi ſubjiceretur.* Cenſui igitur agendo populi ſuffragiis præfecti ſunt L. Papyrius, & L. Sempronius Anno *U. C.* 310. Cenſores abs re appellati ſunt, Liv. *dict. loc.* vel ut tradit Feſtus, *quod rem ſuam quiſque tanti æſtimare ſolitus ſit, quanti illi cenſuerint.* Unde Varro *l.* 4. *Cenſor* (inquit) *eſt, ad cujus cenſitionem, id eſt arbitrium cenſeretur populus.* Javolenus in *l.* 111. *ff. de V. S.* a cenſendo Cenſores dictos putat, quod his jus fuerit & *conſtituendi* & *præcipiendi. Cenſere eſt conſtituere & præcipere: unde etiam dicere ſolemus, cenſeo hoc facias, & ſemet aliquid cenſuiſſe. Inde Cenſoris nomen videtur eſſe tractum.*

Initio Cenſorum poteſtas non adeo magni momenti erat, ideoque primores civitatis ſæpiſſime eam ſpreverunt. Utpote quæ conſiſtebat tantum in populo cenſendo luſtroque faciendo. Verum interjecto tempore tanto incremento eorum poteſtas aucta eſt, ut rerum maximarum minimarumque penes eos reſideret arbitrium. Ideoque merito inter majores Magiſtratus numerabantur. Unde Livius *l.* 4. *cap.* 8. *Idem hic annus cenſuræ initium fuit, rei à parva origine ortæ. Quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eos regimen, Senatus equitumque centuriæ decoris dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus Magiſtratus, publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent.* Plutarchus in vita T. Q. Flaminii, ſummum Magiſtratum & Rei-

Digitized by Google

Reipub. gerendæ quaſi culmen vocat. Et de Catone inquit, *decem annis poſt Conſulatum petivit Cato cenſuram. Faſtigium quoddam eſt hic Magiſtratus honorum omnium, & quodammodo omnium in Repub. actionum conſummatio; præfulgetque cum ingenti alia auctoritate, tum morum & vitæ judicio. Neque enim vel matrimonium vel ſobolis procreationem, vel quotidianum victum, vel convivium ſolutum & liberum indagine, quæ cujusque libido & inſtitutum ſit, arbitrabantur prætermittendum. Quod autem longe ex his acutius, quam ex publicis & civilibus actionibus mores hominum perſpici putarent, cuſtodem & moderatorem, correctoremque, ne quis ad voluptates deflecteret, aut excederet patria & vetera inſtituta, deſignabant unum ex nobilitate, alterum ex plebe. Poteſtas erat iis equum adimendi, Senatu movendi eum, qui vitam agebat turpem vel libidinoſam. Quare Catonis petitionem fere nobiliſſimi quique & Principes Senatus premebant.* Hinc quoque Aſconius Pædianus in divinationem Ciceronis: *Regendis moribus* (inquit) *civitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. Hi prorſus cives ſic notabant, ut qui Senator eſſet, ejiceretur Senatu, qui eques Romanus, equum perderet. Qui plebejus in Ceritum tabulas referretur, & ærarius fieret, & per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed ab hoc eſſet civis tantum, ne pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. Iidem impleto quinquennio urbem luſtrabant, & Soli taurilia ſacrificia, de ſue, ove, tauro faciebant. Eorum notam plerumque ſucceſſores ſolvebant.* Legimus enim apud Livium *l.* 39. *c.* 42. Cenſores Marcium & Lucium Valerium metu mixta expectatione Senatum legiſſe. Septem moviſſe Senatu, ex quibus unum inſignem & nobilitate, & honoribus *L. Quintium Flaminium* Conſularem virum. *Patrum memoria* (inquit) *inſtitutum fertur, ut Cenſores motis e Senatu aſſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut Senatorio loco movit, aut quibus equos ademit. Longe graviſſima in L. Quintium oratio eſt; qua ſi, accuſator ante notam, non Cenſor poſt notam uſus eſſet, retinere Quintium in Senatu ne frater quidem T. Quintius, ſi tum Cenſor eſſet, potuiſſet.*

Notandum hic in tranſitu, eos, qui a Cenſoribus notati fuere,

fuere, perpetuo non fuiſſe infames, ut conſtare poteſt ex Valer. Max. *l.* 2. *cap.* 9. ubi tradit *C. Getam*, *a L. Metello* & *Qu. Domitio* Cenſoribus Senatu motum, poſtea Cenſorem factum fuiſſe. Item *M. Valerium Meſſallam* cenſoria nota perſtrictum, cenſoria poſtmodum poteſtate imperaſſe. Quemadmodum nec *Mamerco Æmilio* obfuit nota cenſoria, quin poſtea Dictator crearetur. *Ceritum* vero *tabulæ*, quarum meminit Aſconius *loc. cit.* appellatæ, in quas Cenſores referri jubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis privabant. Unde Cerites apud Gell. *l.* 16. *c.* 13. dicuntur municipes, qui ſuffragii jure carebant, conceſſumque illis, ut Romanæ civitatis honores quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent pro ſacris Bello Gallico receptis cuſtoditiſque. Hinc apud Eraſmum Chiliad. prima, *Cerite cera digni:* id eſt, ingenti ignominia. Cujus tradunt originem fuiſſe, quod Romani Ceritibus bello ſubactis eam dixere conditionem, ne ſuffragii jus haberent, ne leges ullas ederent aut haberent, eamque ignominiam in adagium abiiſſe. Hinc apud Horat. *Epiſt. lib.* 1. *Epiſt.* 6.

Quid deceat, quid non obliti: Cerite cera digni.

Cære ſive Cærete nobiliſſimum olim Etruriæ oppidum fuit, cujus incolæ Cærites, aut a Cærete Cæretani. Servius in Æneid. ad hunc verſum,

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem.

de urbis hujus appellatione ita diſſerit: Eſt Agylla Tuſciæ civitas a conditore Agella appellata, cui ex inſcitia Romana inditum eſt aliud nomen. Nam quum Romani euntes per Thuſciam interrogarent Agyllinos, quæ diceretur civitas, illi utpote Græci quid audirent ignorantes, & optimum ducentes, ſi prius eos ſalutarent, dixerunt χαῖρε, quam ſalutationem Romani nomen civitatis eſſe arbitrati ſunt, & detracta aſpiratione, eam Cære nominaverunt, ut refert Hyginus de urbibus Italicis. Ex hac civitate prodiiſſe innumeros circulatores, præſtigiatores, quos Græci vocant ἀγύρτας, περιοδευτὰς,

Itali Chæretanos, Galli corrupto vocabulo, *Charlatans*, *bateleurs*, annotavit Chabotius ad *Horat. cit. loc.* Vid. Liv. *lib.* 7. *cap.* 20. Pertinebant & multa alia ad Cenſorum munus, ut de juramento cognoſcere, in perjuros animadvertere, epularum ſumptus cohibere, principem Senatus conſtituere, addere tribus, tueri urbes, templa, vias, pontes, aquarum ductus, & alia quædam ædificia publica; vectigalium quoque portoriique curam habuere, leges etiam condendi & abrogandi, certiſque de cauſis cognoſcendi, ut de matrimonialibus apud eos fuerit arbitrium. Quæ omnia cenſoriæ poteſtatis jura paucis verbis complectitur Cic. 3. *de ll.* ubi omnes partes ita enumerat: *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias pecuniaſque cenſento: urbis templa, vias, & aquas, ærarium, vectigalia tuento: populique partes in tribus diſtribuunto: exin pecunias, ævitates, ordines partiunto: equitum, peditumve prolem deſcribunto: cælibes eſſe prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto: bini ſunto: Magiſtratum quinquennio habento: reliqui Magiſtratus annui ſunto, eaque poteſtas ſemper eſto.* Quod de juramento cognovere, teſtis eſt Cic. 3. *off.* Conviviorum cohibuiſſe ſumptus teſtatur Valerius *l.* 2. *cap.* 9. ubi tradit *M. Antonium.* & *L. Flacculum* Cenſores *Duronium* Senatu moviſſe, quod legem de coercendis conviviorum ſumptibus latam Tribunus plebis abrogaverat. Sic quoque *Cornelium Rufinum*, duobus conſulatibus & dictatura ſpecioſiſſime functum, Senatu amoverunt Cenſores, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet & convivio appoſuiſſet. Et apud Plin. *lib.* 14. *cap.* 14. *P. Licinius Craſſus*, & *L. Julius Cæſar cenſores anno urbis conditæ* 675. *edixerunt, ne quis vinum Græcum Ammineumque octonis æris ſingula quadrantalia venderet; tanta vero vino Græco gratia erat, ut ſingulæ potiones in convictu darentur.* Quod etiam principem Senatus conſtituerunt, videre eſt apud Gell. *l.* 4. *c.* 10. ubi de ordine in ſententiis rogandis ſermonem habens inquit, primum rogatum fuiſſe in Senatu, qui a Cenſoribus princeps in Senatum lectus erat. Plutarch. *in vita Scipionis Africani* ait, Cenſores legiſſe Scipionem Africanum, Senatus Principem: quod genus honoris iis tum viris conſuevit deferri, qui gloriam & aucto-

auctoritatem maximis in Remp. meritis, præſtantiſſimiſque rebus gerendis eſſent conſecuti. Idem iterum eſt continuatus, tertiumque lectus Princeps a *T. Q. Flaminio* & *M. Cl. Marcello* cenſoribus, *Liv. l.* 40. *cap.* 51. Ædes quoque ſacras, vias, aquæ ductus, & loca publica facienda locare, aut aquarum fluxus dare & inhibere poterant. *Eodem anno ædes Salutis à C. Junio Bubulco cenſore locata eſt.* Liv. *l.* 9. *c.* 43. Et *l.* 41. *c.* 27. *Cenſores vias ſternendas ſilice in urbe, glarea extra urbem ſubſternendas, marginandaſque primi omnium locaverunt*, &c. ubi & de aquæductu, & cura locorum publicorum, tum & vectigalium portoriique; & *l.* 4. *c.* 8. ubi tradit publicorum jus, privatorum locorum, & vectigalia populi Romani ſub Cenſorum nutu & arbitrio fuiſſe. Et *l.* 40. *c.* 51. *Portoria* (inquit) loquitur de M. Æmilio Lepido & Fulvio, *quoque & vectigalia iidem multa inſtituerunt. Complura ſacella publica, quæ occupata à privatis, publicaque ſacra ut eſſent paterentque populo, curarunt. In lege cenſoria portus Siciliæ ita ſcriptum erat: Servos, quos domo quis ducet ſuo uſu, pro his portorium ne dato. l.* 203. *ff. de V. S.* De populi in tribus diſtributione in priori parte egimus, populumque Romanum in tres tribus diviſum annotavimus, in Tatienſes a Tatio Sabinorum Rege, Ramnenſes a Romulo, & Luceres, a quo hi denominati, an a Lucumone vel ab alio, non certo conſtat. Verum aucto populo Romano alias facere partes oportuit, itaque deſcriptus eſt in quatuor urbanas & 31 ruſticas tribus. *Cœlibes eſſe prohibento.* Camillus & Poſthumius cenſores, inquit Valerius *l.* 2. *c.* 9. æra pœnæ nomine eos, qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, in ærarium deferre juſſerunt. Cum in hunc modum increparentur: *Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem ſcribit; parenteſque vos alendo nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligaverunt. Accedit his, quod etiam fortuna longam præſtandi hujuſce muneris vacationem eſtis aſſecuti: cum interim conſumpti ſint anni veſtri, & mariti & patris nomine vacui. Ite igitur & nodoſam exſolvite ſtipem, utilem poſteritati numeroſæ.* Hinc Metellus Numidicus in oratione, quam in cenſura dixit ad populum, cum eum ad matrimonia capeſſenda adhortaretur: Si

ſine uxore poſſemus Quirites eſſe, omnes ea moleſtia careremus. Sed quoniam natura ita tradidit, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati conſulendum. Gell. *l.* 1. *c.* 6. Morum coercitionem penes eos fuiſſe, jam ſupra docuimus ex Livio *l.* 4. *c.* 8. Et conſtat id ipſum, ut & cætera cenſoriæ dignitatis munera ex Trebell. Pollion. in *Valerianis*; ubi Decius recitans Senatuſconſultum, quo Cenſor dicebatur, *Felicem te* (inquit) *Valeriane, Senatus ſententia, imo animis atque pectoribus: totius orbis ſuſcipe cenſuram, quam tibi detulit Romana Reſp. quam ſolus mereris, judicaturus de moribus noſtris. Tu æſtimabis, qui in Curia manere debeant, tu Equeſtrem ordinem in antiquum ſtatum rediges, tu cenſibus modum pones, tu vectigalia firmabis, divides ſtatum, Reſpublicas recenſebis: tibi legum ſcribendarum auctoritas dabitur, tibi de ordinibus militum judicandum eſt: tu arma reſpicies: tu de noſtro Palatio, tu de judicibus, tu de Præfectis eminentiſſimis judicabis. Excepto denique de Præfecto urbis Romæ, exceptis Coſſ. ordinariis, & ſacrorum Rege, & maxima Virginum veſtalium, (ſi tamen incorrupta permanebit,) de omnibus ſententias feres.* Hæc de poteſtate Cenſoria delibaſſe ſufficiant. In creandis vero Cenſoribus obſervatum, ut ad hoc munus obeundum niſi duo viri eligerentur, unde apud Ciceronem in 3. *de leg. Bini ſunto*, virtute & morum integritate inſignes; num vero Conſulares, id non certo conſtat, neque pro vero affirmari poteſt. Quanquam ex Livio id ipſum probari poſſe videatur, *l.* 27. *c.* 13. ubi inquit: *Creati Cenſores ambo, qui nondum Conſules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus.* Ex quibus verbis colligi poſſe putant, præter conſuetudinem eos Cenſores ante geſtum Conſulatum creatos. Verum comperiemus in evolvendis veteribus monumentis, non adeo ſollicite id fuiſſe obſervatum, an Conſulatum, Præturam, vel Dictaturam geſſiſſet, qui ad cenſoriam dignitatem provehebatur, modo ex Patribus eſſet, in quem illud munus conferebatur. Quippe legimus apud Liv. *eod. lib. cap.* 6. Craſſum Licinium, nec conſulatu nec prætura functum, ex ædilitate gradum ad cenſuram feciſſe.

Quod

Quod autem ex patribus creati, itaque patriciis Magiſtratibus annumerata hæc quoque fuerit cenſoria dignitas, conſtat ex Liv. *l.* 4. *c.* 8. & *cap.* 23. Imo & aliquando nefas fuiſſe Cenſores præterquam ex patribus creari, Feneſtella *de Magiſt. Rom. cap.* 17. Verum (ut idem inquit) id quoque, ut cætera, immutatum eſt, atque indifferenter fieri cœptum. Et poſtea cum plebe quoque hunc honorem communicarunt patres. Atque Cenſor de plebe primus Martius Rutilius creatus fuit, qui quoque primus de plebe Dictator dictus fuerat. Liv. *l.* 7. *c.* 22. *l.* 10. *cap. ult.* Illud quoque notandum, quod ex duobus Cenſoribus, altero mortuo, in defuncti locum alium ſubrogari non licebat. Quod C. Julio çenſore mortuo, in ejus locum M. Cornelius ſuffectus, ea res poſtea religioni fuit: quia eo luſtro Roma a Gallis capta, ne deinde unquam in demortui locum Cenſor ſufficeretur, cautum. Liv. *l.* 7. *c.* 31. & *l.* 6. *c.* 27. *Creati cenſores, C. Sulpicius Camerinus, Sp. Poſthumius Regillenſis. Cœptaque jam res morte Poſthumii, quia collegam ſuffici Cenſori religio erat, interpellata eſt. Igitur cum Sulpicius abdicaſſet ſe Magiſtratu, Cenſores alii vitio creati non geſſerunt Magiſtratum.* Sic etiam *l.* 9. *c.* 34. in oratione Sempronii, ubi inquit: *An collegam ſubrogabis? quem ne in demortui quidem locum ſubrogari fas eſt. Urbs eo luſtro capta eſt, quo demortuo collega C. Julio cenſore L. Papirius Curſor, ne abiret Magiſtratu, M. Cornelium Maluginenſem collegam ſubrogavit, & quanto moleſtior illius cupiditas fuit, quam tua, Appi? nec ſolus, nec ultra finitum lege tempus L. Papirius cenſuram geſſit, tamen neminem invenit, qui ſe poſtea auctorem ſequeretur, omnes deinceps Cenſores poſt mortem collegæ ſe Magiſtratu abdicarunt.* Itaque Cenſore defuncto non ſolum alium in locum mortui ſubrogare religio fuit, verum etiam collegam Magiſtratu abire oportebat. Quanquam Appius contra mores & inſtituta ſolus cenſuram gerere, collega ſe Magiſtratu abdicante, non dubitavit. Ut videre eſt apud Livium *loc. cit.* Ceterum creabantur quinto quoque anno, *Magiſtratum quinquennium habento.* Cum ceteri Magiſtratus annui eſſent, ſola cenſura quinquennio durabat, nimirum quia luſtris duntaxat ſingulis cenſeri populum vetus inſtitutum fuit:

 qua-

Digitized by Google

quare illud ſpatium luſtrum dicebatur, auctore Feſto, a *luendo*, hoc eſt ſolvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per Cenſores perſolvebantur. Varro *l.* 5. *de ling. lat.* Plinius Junior: *Nam priore luſtro, quanquam poſt magnas remiſſiones, reliqua creverunt.*

Luſtrum a Latinis vocatur, quod Olympias apud Græcos dicitur, id eſt, quinquennium, quum quadriennio exacto, quintus annus jam procurrit. Quare ſæpe Luſtrum pro abſoluto quadriennio ponitur:

Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris.

Papin. Stat. *Sylv. lib.* 4. *cap.* 2.

Unde quoque Cujacius, *in commentariis ad lib. XI. Cod. de luſtralis auri collatione: Luſtrale aurum* χρυσάργυρον *dicebatur. Cujus oneris Zoſimus magnum Conſtantinum auctorem facit. Id Evagrius & Zonaras deſcribunt eleganter. Et quarto quoque anno pendi ſolitum narrant, id eſt, ſingulo luſtro.* Poſtea tamen ne mora poteſtas cenſoria, quæ multum accreverat, nimis gravis eſſet, tempus illud quinquennale imminutum eſt lege Æmilia, a Mamerco Æmilio dictatore lata, & ex quinquennali annua & ſemeſtris facta. Liv. *l.* 9. *c.* 33. *Appius Claudius cenſor circumactis decem & octo menſibus, quod Æmilia lege finitum cenſuræ ſpatium temporis erat, cum C. Plautius collega ejus Magiſtratu ſe abdicaſſet, nulla vi compelli, ut abdicaret, potuit.* Vide quoque Valer. Max. *l.* 4. *cap.* 1. Qui mos poſtea obtinuit, & creati quidem ſingulis quinquenniis, at non in quinque annos. Inſignia eadem habebant atque Conſules, præter lictores. Manſit integra hæc cenſuræ poteſtatis vis ad P. Clodii Tribunatum, utpote qui plebiſcito ſanxit, ne quem Cenſores notarent, niſi antea legitime accuſatus, & utriuſque Cenſoris judicio damnatus foret, in tantum, ut Metello cenſori, quod minus juſte pœnam irrogaſſet, aqua & igne interdictum fuerit. Alexand. ab Alex. *Dier. genial. l* 3. *c.* 13. neve in legendo Senatu quemquam præterirent. Verum eam Clodii legem ſuſtulit Metellus Scipio, eamque poteſtatem iterum integram, ut olim in Repub. viguiſſet,

ſet, reddidit Reipub. Quæ ſub Principibus iterum fuit imminuta, imo cum in eo Magiſtratu magna vis & maxima dignitas eſſet, eandem, *cuncta legum & Magiſtratuum munia in ſe trahentes*, ut inquit Tacitus, ad ſe traduxerunt Principes & Cæſares. Nomen vero declinarunt, cum non *Cenſores*, ſed *morum Præfectos* ſe appellarent. Quanquam non omnes ab hoc nomine abſtinuiſſe hiſtoriæ teſtantur. Julius Cæſar oblatam ſibi cenſuram non ſprevit, verum ſub nomine *Præfecti morum* accepit. Suet. in Jul. Cæſare *cap.* 76. *Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum &c.* Rem habuit, titulum ſpecie modeſtiæ recuſavit. A vero aberrat Dio quod ſcribit, eum Cenſoris appellatione abſtinuiſſe, quod id parum honorificum exiſtimaretur. Quippe ſuperius demonſtravimus ex Plutarcho, cenſuram fuiſſe ſummam dignitatem, & honorum culmen. Veſpaſianum & Titum *Cenſoris* nomen cum reliquis titulis uſurpaſſe, docet nos vir ſumma doctrina & eruditione ſeculi noſtri florentiſſimus EZECHIEL SPANHEMIUS, in *Elegantiſſimis ſuis diſſertationibus de præſtantia & uſu numiſmatum antiquorum*, *diſſert.* 8. Ita ut in nummis Claudium Vitellium curuli inſidentem & ante eum transvectionem equitis, cum inſcr. CENSOR, videamus. Non opus ut omnia hic deſcribamus, quæ vir ſummus ibi diſputat, quoniam majori cum fructu hæc peti poſſint ex ipſo fonte.

---

§. 18. *Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, interdum re exigente, placuit majoris poteſtatis Magiſtratum conſtitui, itaque* Dictatores *proditi ſunt; a quibus nec provocandi jus fuit: & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc Magiſtratum, quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere.*

Popu-

Populo deinde aucto] exiguam admodum manum ſecum adduxerat Romulus, qui Romanam condidit gentem, 3000. ſcil. peditum, equitum 300., qui numerus eo crevit, ut decedens reliquerit peditum 46000., equitum non multo pauciores mille. Ann. 256. primus Dictator T. Laertius cenſum egit. Cenſa ſunt puberum capita 150700. quod ingens hæc populi multitudo indies magis magisque augebatur potiſſima quoque cauſa fuit, novi hujus Magiſtratus creatio, cujus auxilio & ope ſeditioſa plebs intra obſequii limites coërceretur, & domeſtica illa vis a Repub. averteretur.

Notandum vero, Pomponium in recenſendis Magiſtratibus, qui variis temporibus creati fuere, non obſervaſſe illam ſeriem, quam apud auctores fide dignos invenimus. Quippe conſtat Dictatores, Tribunos plebis, Ædiles aliosque, qui ſequuntur, Magiſtratus, ante Cenſores creatos fuiſſe, quoniam anno urbis conditæ 311: primum creari cœperunt Cenſores. Verum facile hic error condonandus Juriſconſulto, qui non videtur adeo ſollicitus fuiſſe de tempore, quo quiſque Magiſtratus creatus fuit, modo de ipſis conſtare poſſet Magiſtratibus.

Cum crebra orirentur bella.] Ex æmulatione & invidia finitimorum populorum, quos neque flumina, neque montes etiam, quibus ſeparabantur a Romanis, continere, aut tutari in finibus ſuis poterant, ſi non mutuo potiſſimum metu ſepararentur, quod omnium fortiſſimum pacis eſt vinculum, ſemper fuit & erit, Anton. Fabr. *in ſuis Ration. ad. h. l.* Crebra vero bella, quibus jactabatur ſæpiſſime Reſpub. occaſionem quoque dediſſe affirmat Pomponius creando Dictatori, ad quem tanquam ad unicum refugium & tutiſſimum præſidium Reſpub. in ſumma neceſſitate & rerum diſcrimine confugeret. Hinc quoties externi belli vis Reipub immineret, cui avertendæ majori ſeveritate & potentia quam conſulari opus eſſet, Dictator creabatur, cui ſumma rerum permiſſa, videret ne quid Reſpub detrimenti caperet. Scribit Liv. *l.* 2. *c.* 18. T. Laertium dictatorem primum fuiſſe creatum ob belli Latini metum, quod triginta jam conjuraſſe populos, concitante Octavio Mamilio, ſatis conſtabat.

Di-

Dictatores proditi ſunt.] Appellatus eſt autem *Dictator* & *Dictatura* a dicendo, quia dicendo creabatur, ut Varro tradit *lib.* 4. Dicebatur enim a Conſule, & quidem noctis ſilentio. Liv. *lib.* 9. *cap.* 38. Vel quod dicto audientes ipſi omnes eſſent. *Creato Dictatore primum Romæ, poſteaquam præferri ſecures cœperunt, magnus plebem metus inceſſit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum, neque enim ut in Conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque provocatio erat: neque ullum uſquam, niſi in cura parendi auxilium.* Liv. *l.* 2. *c.* 18. Vel, ut vult Dionyſ. *l.* 5. *c.* 248. a poteſtate imperandi & edicendi quidlibet, tum aliis æqua & juſta, quæ pro ſuo arbitrio uſui judicabat præſcribendi. *Dictum* enim apud veteres Latinos ſummum imperium ac ſupremam poteſtatem ſignificat. Virgil. 6. *Æneid.*

Hic ego namque tuas ſortes arcanaque fata
Dicta mea genti ponam.

Hanc adminiſtrationis publicæ ſpeciem a Græcis mutuaſſe, idem ſcribit Dionyſius loco cit. *Nam* (inquit) *qui* αἰσυμνῆται *apud priſcos Græcos vocabantur, tyranni quidam erant electi. Eligebantur autem a civitatibus pro ratione temporum; non infinitum nec continuum, ſed certum præfuturi temporis ſpatium, quando & quantiſper poſtularet Reip. utilitas.* Spartianus in Adriano, docet ordinarium fuiſſe Lartii veteris Magiſtratum: *Per Latina oppida* (inquit) *dictator & ædilis, & duumvir fuit. cap.* 19. Dictus idem apud veteres *Magiſter Populi*, Cic. 3. *de fin. Rectius* (inquit) *appellabitur Magiſter populi* (*is enim eſt Dictator*) *quum Sylla, qui trium peſtiferorum vitiorum luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis Magiſter fuit.* Unde quoque *lib.* 2. *cap.* 18. refert, *Dictatorem, moderatorem, magiſtrum Conſulibus appoſitum.* Et Seneca *Epiſt.* 108. prope finem ſcribit, *Eum, quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos Magiſtrum populi vocatum. Hodieque id extat in auguralibus libris: & teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt. Prætor* etiam *Maximus* appellatur a Feſto, quaſi ſummus Magiſtratus, cui maximum

Digitized by Google

ſive ſupremum competit imperium. Item *populi Magiſter* dictus, quia *ſumma ei in populum poteſtas. Ex quo factum, ut qui poteſtatem aliquam de publico haberet, utpote quæ a ſuprema Dictaturæ poteſtate ortum duceret, Magiſtratus, velut a candido canditatus, vocaretur.* Feneſtella *de Magiſt. Rom. cap.* 8. Huic Magiſtratui non abſimilem fuiſſe apud Belgas Ruartem, apud Leodienſes Mamburum, ſcribit Strada *de bello Belgico lib.* 9. Cauſa prima creandi, ut dicere incepimus, fuit ſeditio, & metus ab hoſte. Quo autem anno fuerint creati, nec quis primus Dictator creatus ſit, non ſatis conſtare inquit Liv. *lib.* 2. *cap.* 18. Cauſſam dicit fuiſſe belli imminentis Latini metum. Eutropius affirmat *lib.* 1. *cap.* 12. *nono anno poſt Reges exactos, cum gener Tarquinii, ad injuriam ſoceri vindicandam, ingentem collegiſſet exercitum, nova Romæ dignitas eſt creata, quæ Dictatura appellatur, major quam Conſulatus.* Dionyſ. anno undecimo creatum tradit, & Titum Lartium primum Dictatorem, Sp. Caſſium *Magiſtrum* equitum creatum. Quos & Liv. quoque nominat. Verum de annis non ſatis inter ſcriptores convenit. Altera cauſa hujus creandi Magiſtratus fuit ſeditio, cui primo egena plebs occaſionem præbuit, quæ ære alieno preſſa, ad bellum Latinum nomina dare recuſabat. Interjecto vero tempore etiam pluribus de cauſis Dictatorem creare cœperunt: ut *clavi figendi* gratia; vel *comitiorum, ludorum, Senatus legendi, Magiſtratus coercendi, quæſtionis exercendæ;* denique quoties Reſpub. brevi & extraordinario hoc indigebat imperio. Quando civitas morbo laborabat, cum vis peſtilentiæ, & inſanabilis pernicies corpora afficeret, clavum figere, ejuſque figendi cauſa Dictatorem dicere moris erat. Liv. *lib.* 7. *cap.* 3. ubi inquit: *Itaque Cn. Genutio, L. Æmilio Mamerco ſecundum Conſulibus, cum piaculorum magiſque conquiſitio animos quam corpora morbi afficerent, repetitum ex ſeniorum memoria dicitur, peſtilentiam quondam clavo ab Dictatore fixo ſedatam. Ea religione adductus Senatus, Dictatorem clavi figendi cauſa dici juſſit. Dictus L. Manlius Imperioſus, L. Pinarium Magiſtrum equitum dixit. Lex vetuſta eſt priſcis literis verbiſque ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit, idibus Septembris clavum pangat.* vid. *lib.* 8. *cap.* 18. Figebatur clavus dextro lateri Jovis

vis optimi maximi ea ex parte, qua Minervæ templum eſt. Ferunt quoque eum *clavum*, *quia raræ per ea tempora literæ erant*, *notam numeri annorum fuiſſe, eoque Minervæ templo dicatam legem. Quia numerus a Minerva inventus eſt. Volſiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Etruſcæ deæ comparere*, *diligens talium monumentorum auctor Cintius affirmat*. Liv. *lib.* 7. Ait quoque Feſtus *lib.* 3. *Clavus annalis appellatur*, *qui figebatur in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos*, *ut per eos numerus colligeretur annorum:*

Comitiorum habendorum cauſa creatum quoque Dictatorem tradit idem Liv. *lib.* 7. *cap.* 23. ubi Dictatorem L. Furium Camillum creatum invenimus, ut eſſet qui ægris Conſulibus comitia haberet: Et *cap.* 25: *Dictatorem Comitiorum cauſa T. Manlium Torquatum ex auctoritate Senatus dixit*. Et *lib:* 8. *cap.* 23. *Litteræ miſſæ*, *ut Dictatorem comitiorum cauſa diceret. Dixit M. Claudium Marcellum*, *ab eo Magiſter equitum dictus SP. Poſthumius.* *Ludorum cauſa* creatum Dictatorem idem tradit Liv. *lib.* 9. *cap. ult. Fabium* (inquit) *etiam in Aniliam proceſſiſſe*, *atque inde magnas prædas egiſſe*, *nec diſcrepat*, *quin Dictator eo anno A. Cornelius fuerit; id ambigitur belline gerendi cauſa creatus ſit*, *an ut eſſet qui ludis Romanis*, *quia L. Plautius Prætor gravi morbo implicitus erat*, *ſignum quadrigis mittendis daret*. Et *lib.* 9. *cap.* 34. *Quem ſemeſtri dictatura*, *quem interregno quinque diebus contentum fore putes? quem clavi figendi*, *aut ludorum cauſa Dictatorem audacter crees?* Senatus legendi cauſa M. Fabium Buteonem dictatorem creatum legimus apud Liv. *lib.* 23. *cap.* 22. qui, poſtquam ingenti approbatione in demortuorum locum legerat in Senatum centum ſeptuaginta ſeptem, extemplo ſe Magiſtratu abdicavit &c.

Coercendi Magiſtratus] Dictator creatus fuit P. Sulpicius, ut pro jure majoris imperii Cn. Servilium Conſulem, qui juſſu Senatus trajecerat in Siciliam, inde in Africam tranſiturum, in Italiam revocaret. *Quæſtionis exercendæ* Dictator dictus C. Mænius Liv. *lib.* 9. *cap.* 26. *Capuæ*, inquit, *quoque occultæ principum conjurationes patefactæ*, *de quibus cum ad Senatum relatum eſſet*, *haud quaquam neglecta res eſt. Quæſtiones decretæ:*

Google

Dictatoremque quæſtionibus exercendis dici placuit. C. Manius dictus. Is M. Follium Magiſtrum equitum dixit.

Feriarum conſtituendarum quoque dictum fuiſſe Dictatorem apud Liv. *lib.* 7. *cap.* 28. invenio.

Notandum, Dictatori ob enumeratas haſce cauſas creato non certum fuiſſe tempus præſcriptum, quo finito Dictatura ſe abdicare debebat, verum peracto negotio ſtatim ſe Magiſtratu abdicabat. At ſi *rei gerendæ* cauſa, hoc eſt belli, ſex menſium ejus erat imperium, ne in tanto imperio ſi diuturnum eſſet, inſolentior quis redderetur. Reipub. enim intereſt, ut magna imperia diuturna eſſe non ſinas, & temporis imponatur modus, quibus juris non poteſt. Hinc initio Reipub. Rom. conſulare imperium annuum fecere, ne mora corrumperetur, & tyrannidem redoleret.

Cum vero, ut diximus, multis de cauſis Dictator creari ſolitus fuerit, hæ tamen præcipuæ duæ ſemper habitæ ſunt, pacis & foris & domi præſtandæ. Quarum illa rei gerendæ dixerunt, hæc ſeditionis ſedandæ. Sig. *in Scholiis ad Tit. Liv. lib.* 7. Rem autem gerere, eſt Reipub. cauſa bellum gerere. Liv. *lib.* 34. *Novumque Imperatorem rei gerendæ cauſa ex Italia veniſſe.* Hiſce de cauſis creatus Dictator ultra ſex menſes munus exercere non poterat: verum finito ſemeſtri ſpatio illud deponere neceſſitatis erat. Unde Juriſconſultus: *Hunc Magiſtratum, quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſex menſes retinere.* Vid. *leg. unic. ff. de offic. Præfect. Prat.* Quamquam Sylla contra moresatque inſtituta majorum imperium in annos plures ſibi prorogarit. Cujus exemplum ſecutus J. Cæſar perpetuæ Dictaturæ munus ſibi vindicavit. de *bell. Civ cap.* 412. & *cap.* 494 tradit Cæſarem, Pompejo juniore ſuperato, ad Urbem regreſſum, Patrem patriæ appellatum, Dictatorem perpetuum, Conſulem in decennium creatum fuiſſe.

Quod Zonaras affimat, cum inquit: *Cæſare victore, junior Pompeji filius fuga eſt elapſus. Poſt dies aliquot natu majoris caput Cæſari allatum: qui extremo hoc bello geſto Romam reverſus, Dictator perpetuus eſt creatus. Quæ manifeſta tyrannis fuit,*

Digitized by Google

fuit , præter Monarchiæ ſummam poteſtatem, ſucceſſore quoque carens.

Creabatur vero Dictator viva voce Conſulis , non a populo, ut dicere incepimus, idque noctis ſilentio , in foro Romano ; quippe extra agrum Romanum Dictatorem dici poſſe negabant patres. Terminatur autem ager Romanus in Italia. Liv. *lib.* 7. quanquam illud in creatione C. Julii, quippe qui in caſtris creatus, non obſervatum Livius teſtetur. Sic etiam Camillus abſens Dictator dictus fuit. Liv. *lib.* 5. *cap.* 46. Liv. *lib.* 9. *cap.* 38. captatis auſpiciis, Cic. 3. *de ll. Iſque avi ſiniſtra dicta populi Magiſter eſto.*

Auctoritas tamen patrum præcedebat, ita T. Manlius Torquatus comitiorum cauſa ex auctoritate Senatus dictus eſt. Liv. *lib.* 7. *cap.* 16. Ex Senatuſconſulto L. Æmilium Mamercum eadem de cauſa Dictatorem dixerunt. Liv. *lib.* 8. *cap.* 16. Nonnunquam in rebus aſperis & trepidis a populo creatum invenimus, qui non tamen Dictator, ſed prodictator dicebatur. *Dictatorem*, inquit Liv. *lib.* 22. *cap.* 8. *populus creare non poterat , quod nunquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum , & Magiſtrum equitum M. Minutium Rufum.*

Interdum quoque Dictatorem , quem populus juſſit, ex Senatus tamen auctoritate, dictum legimus apud Liv. *lib.* 22. *cap.* 5. ſcribit Cæſar *lib.* 2. *de Bel. Civ.* ſe a M. Lepido prætore Dictatorem creatum. Initio vero ad hoc honoris faſtigium non niſi patricii & viri Conſulares ſpectatæ virtutis evehebantur. Unde Liv. *lib.* 2. *cap.* 18. *Conſulares legere, ita lex jubebat , de Dictatore creando lata.* Et Feneſtella *cap.* 8. *Prius non niſi e patribus , velut pleraque alia, Dictatorem legi fas fuit.* Verum , inquit, *ut cætera quoque id ipſum imminutum eſt.* Bello enim , *quod populus Romanus cum Faliſcis geſſit , Tarquinienſibuſque , primus de plebe creatus eſt Dictator C. Marius Rutilus, qui & ipſe Magiſtrum Equitum etiam de plebe hominem L. Plautium dixit.* Quod & affirmat Liv. *lib.* 7. *cap.* 17. *Concitatur deinde omne nomen Etruſcum , & Tarquinienſibus Faliſciſque ducibus ad Salinas perveniunt , adverſus eum terrorem Dictator C. Marius Rutilus primus de plebe dictus ,*

Digitized by Google

ctus , Magiſtrum Equitum item de plebe C. Plautium dixit.

Nec provocandi jus fuit, & cui etiam capitalis animadverſiò data eſt.] Dictatore creato, pro illo tempore Reſpub. ab unius pendebat nutu & arbitrio, unius tantum adorabatur purpura, unus fulminabat Jupiter, cui belli & pacis cæterarumque rerum, quæ ad Reipub. adminiſtrationem pertinebant, competebat regimen, cæteris cum Magiſtratibus, tum civibus obſequii relicta gloria. Ejus itaque ſummum fuit imperium regiaque poteſtas, quare ab eo provocari non licuit; quippe cum nullum habebat ſuperiorem, ſupremus erat Judex, penes quem univerſa reſidebat Juriſdictio, vitæ neciſque arbitrium. Quod ſatis oſtendunt lictores, faſces, ſecures, cæteraque Regum inſignia, quæ vim & poteſtatem imperii illius ſignificabant. Legimus enim apud Liv. *lib.* 8. *cap.* 22. L. Papyrium Curſorem Dictatorem, Fabium Rutilium Magiſtrum equitum, quod adverſus edictum ejus, quamvis proſpere pugnaverat, juſſiſſe ſpoliari, ac virgas & ſecures expediri: nec contentioni aut precibus militum conceſſit animadverſionem, verum eum profugientem Romam perſecutus eſt: nec ibi quidem remiſſo prius ſupplicii metu, quam ad genua ejus, & Fabius pater & ipſe adoleſcens procumbebant, & iram Dictatoris deprecabantur. Præcedebant Dictatori Lictores 24. ſi Dioni adhibenda fides, hinc totidem faſces, totidemque ſecures illi quoque attribuendi. Quod affirmat Plutarch. *in Fabio Maximo. At Fabius ipſe*, ait, *ilico imperii ſui populo vim ſpeciemque oſtenderet, quo magis obſequentibus uteretur, & dicto audientibus civibus, proceſſit cum* 24. *faſcibus.* Et apud Juvenal. *Sat.* 8.

- - - Poſthac virga deducere multa.
Fumoſos equitum cum Dictatore Magiſtros.

Id ipſum teſtatur Dionyſ. *lib.* 10. *cap.* 479. ubi inquit: *Præfectus urbis Fabius miſit qui ad imperium Quintium adducerent. Is forte tum quoque tractabat opus quoddam ruſticum: & conſpecta accedentium turba, ſuſpicatus eam ad ſe venire, ſumpta veſte paulo decentiore, proceſſit eis obviam; cumque appropinquaſſet, oblati ſunt ei equi decoris ornati phaleris, aſſiſtere juſſis* 24. *lictoribus*

ribus cum virgis & ſecuribus: oblatæ item veſtes purpureæ, & reliqua inſignia, quibus olim regium imperium exornabatur. Ibi videns ſe creatum Dictatorem, adeo non delectatus eſt hoc honore, ut etiam indignabundus dixerit; Peribit ergo & anni hujus fructus propter meas occupationes, & male eſuriemus omnes. Unde quoque Appian. Alex. *de Bel. Civ. ubi de Syllæ Dictatura: Ipſe vero jam plane regnans Dictator Conſulibus præerat: nam & ſecures ei ut Dictatori præferebantur viginti quatuor.* Polyb. *lib.* 3. *Hiſt. Rom.* inter Dictatorem & Conſulem hanc differentiam annotavit, quod Conſulem utrumque duodenæ ſecures ſequantur; hunc viginti quatuor. Summum itaque ſive merum habuit imperium, id eſt, jus gladii poteſtatemque animadvertendi in homines facinoroſos, jus vitæ ſcil. & necis, quod capitalem animadverſionem vocat Pomponius. Seneca de Nerone loquens, inquit, *nulli unquam citius gladium commiſſum fuiſſe*, id eſt, jus vitæ & necis Sic ſecuris jus imperii non ſolum ſummi illius & univerſi, ut cum dicimus Provinciam aliquam faſcibus & ſecuribus ſubjectam, ſed etiam meri imperii, quod in facinorum coercitione conſiſtit, ſignificat. Et quamvis lex Porcia pro tergo civium videretur lata, quæ gravem pœnam, ſi quis verberaſſet, necaſſetve civem Romanum, ſanxit; Dictatori tamen impedimento eſſe nequibat, quo minus pro poteſtate ſibi conceſſa civem Romanum & in vincula conjicere, & capite multare, in exilium agere, bonis interdicere, aliaque ſummæ poteſtatis jura exercere poterat ſine Senatus populique conſilio. Salus enim univerſorum civium, jus de tergo, vitaque, leges, aræ, foci, dii penates, omnes fortunæ ejus tutelæ ac poteſtati credebantur. Penes illum pacis bellique reſidebat arbitrium. Nullum cuique refugium vel auxilium niſi in obedientia & obſequio, utpote cujus imperium & edictum ſemper pro numine obſervatum. Liv. *l.* 8. *cap.* 34. ita ut nullus eſſet in Repub. Magiſtratus, cujus implorare auxilium adverſum Dictatoris poteſtatem quis poſſet, cum & Cõnſules & Prætores, Ædiles cæterique Magiſtratus, exceptis Tribunis plebis, quaſi civiliter erant mortui, & dormire videbantur. Unde Dionyſ. *lib.* 5. *Decreviſſe* (ait) *Senatum, conſulari poteſtate in præſens ſublata,*

Digitized by Google

ta, alium Magiſtratum creare belli paciſque, & omnium rerum poteutem. & infra: *Cælium, dicto collega Dictatore, illico Magiſtratu ſe abdicaſſe.* Et iterum, *ſæpe civitatem legitimis Magiſtratibus diſſolutis, omnia unius poteſtati permittere neceſſe habuiſſe.* Dictatore itaque creato, omnes Magiſtratus ceſſarunt; ſcil. quatenus ex nutu Dictatoris pendebant, cum nihil eorum exſequi, quæ ipſi jure Magiſtratus competebant, ſine permiſſu & conſenſu Dictatoris, poterant, præter Tribunos plebis, ut jam diximus, & penes eum omnis Juriſdictio, omneque imperium cum civile tum etiam militare erat; Verum notanda, quæ refert Sig. *lib.* 3. *de antiq. Jur. Provinc. Dictatorem quacunque de cauſa creatum, ubi Dictatores dicti ſunt & inierunt Magiſtratum, dictaturæ jus quodcunque legibus contineretur accepiſſe, præter imperium militare; eo vero nunquam affectos, niſi poſt legem curiatam.* Neque enim *cum legimus Dictatorem dictum rei gerendæ cauſa, intelligere debemus, ea nominatione imperium militare eſſe tranſmiſſum, verum cauſam, cur extraordinario jure opus eſſet, bellum fuiſſe, quod ei gerendum eſſet, ubi lege curiata imperium accepiſſet. Nam ſi nominatione Conſulis imperium militare accepiſſet, quid nova amplius de imperio lege fuiſſet opus, quam tamen, ut ſupra dixi, latam invenimus.* Hinc cum Magiſtratus Imperator legebatur, populus curiatim vocatus ſic rogabatur; *Vultis, jubetiſne, ut hic Conſul, aut Prætor, aut Dictator, imperium in hac aut illa Provincia habeat?* Unde apud Liv. *lib.* 9. 38. Papyrius Dictator ad exercitum proficiſcens ſibi legem curiatam de imperio tulit: *Papirius* (inquit) *C. Junium Bubulcum Magiſtrum equitum dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit.* & poſt: *Dictator poſtero die auſpiciis repetitis pertulit legem, & profectus cum legionibus &c.* Vid *lib.* 5. *cap.* 46. Et Cic. contra Rullum: *Conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Et in *Epiſt. ad Lentulum* 9. *lib.* 1. *Appius in ſermonibus antea dictitabat, poſtea dixit etiam in Senatu palam, ſeſe, ſi licitum eſſet, legem curiatam ferre. Sortiturum eſſe cum collega Provinciam: ſi curiata lex non eſſet, ſe paraturum cum collega, tibique ſucceſſurum: legemque curiatam Conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe: ſe, quo-*

Digitized by Google

quoniam ex Senatuſconſulto Provinciam habebat, lege Cornelia imperium habiturum, quoad urbem introiiſſet. Obſervandum hic, non omnino neceſſarium fuiſſe ut lege curiata imperium deferretur, quoniam id ipſum ex peculiari Senatuſconſulto aliquis habere poterat. Cum itaque ſummum haberet Dictator imperium, cum civile tum etiam militare, cæteris ſolutis Magiſtratibus, nulla ab eo conceſſa fuit provocatio; quippe ut dicere incepimus in prima noſtrarum exercitationum parte, quoniam Dictator in ſumma neceſſitate creabatur, quando bellis inteſtinis atque ſeditionibus dilacerabatur Reſpub., ita ut neceſſe eſſet illi per unum conſuli, omnibus legibus majorem poteſtatem habentem, huic malo provideri non poterat, niſi provocandi jure ſublato, plebi nullum uſquam, niſi in cura parendi erat auxilium. Unde Quintius apud Liv. *lib.* 3. *cap.* 20. *dictitabat, Dictatore opus eſſe Reipub., ut, qui ſe moverit ad ſollicitandum ſtatum civitatis, ſentiat ſine provocatione dictaturam eſſe.* Dionyſius legem Valerii, quam de provocatione tulerat, cauſam quoque creandi Dictatoris fuiſſe tradit. *lib.* 5. Hinc M. Fabio ad populum provocante a Papirii Dictatoris judicio, populus ſibi cognitionem criminis non vindicavit, nec Dictator illam admiſiſſet, quia de jure ſuæ poteſtatis nihil diminuturum ſe velle obteſtabatur. Atque optare ſe, inquit, ne poteſtas tribunitia inviolata ipſa violet interceſſione ſua Romanum imperium, ne populus Romanus in ſe potiſſimum Dictatorem & jus dictaturæ extinguat. Itaque provocationem declinaverunt ipſi Tribuni, & orare Dictatorem inſiſtunt, ut *veniam errori humano, veniam adoleſcentiæ Q. Fabii daret; ſatis eum pœnarum dediſſe.* Liv. *l.* 8. Quod ſi provocationi locus fuiſſet, nullus dubito quin facile ei ceſſiſſet Papirius, neque populus permiſiſſet ſe eo jure privari. Vid. quæ annotavimus ad *§.* 4. *h. tit.* Illud quoque ſummæ Majeſtatis erat teſtimonium, quod Conſul cum lictoribus Dictatori occurrere non poterat. Hinc in Fabio Max. Dictatore Plutarchus; *Quum autem alter Conſul ad ipſum progrederetur, miſſo apparitore, dimittere juſſit eum lictores; & inſignibus depoſitis imperii, privati more ſibi occurrere.* Quanquam vero ſummum erat Dictatoris imperium regiaque pote-

Rrr ſtas,

Digitized by Google

ſtas, ipſi tamen equo vehi minime jus erat, niſi populi ſuffragio, ut conſtaret fortaſſe, licet magna eſſet Dictatoris potentia, infinitam tamen non eſſe, ſed aliquo fine adhuc circumſcriptam, eumque aliquando populo indigere. Itaque quando equitare vellet, neceſſe habebat populum rogare ut equum ſibi aſcendere liceret, exque permiſſu populi equo vehi poterat. Unde apud Livium *lib.* 23. *cap.* 14. *Nam nec Conſul ulli rei, quæ per eum agenda eſſet, deerat: & Dictator M. Junius Pera, rebus divinis perfectis, latoque, ut ſolet, ad populum, ut equum aſcendere liceret* &c. Vid. Plutarch. in Fabio Max.

---

§. 19. *Et his Dictatoribus* Magiſtri Equitum *injungebantur ſic, quomodo Regibus Tribuni celerum, quod officium ferè tale erat, quale hodie Præfectorum prætorio: Magiſtratus tamen habebantur legitimi.*

Et his Dictatoribus Magiſtri equitum injungebantur] *Injungebantur, id eſt*, inquit Coccejus de *Orig. Jur.* ad *h.* §. *adjungebantur*; vel *jungebantur*, ut vult Veltman. ad *h. t.* ſed dubito an bene: quippe quoniam ipſe dicebat Dictator Magiſtrum equitum, eumque ſibi adjungebat, non admittit verborum ſenſus illam interpretationem: rectius Anton. Fab. *in ſuis Ration. ad h. t.* intelligit per verbum *Injungebantur*, neceſſitatem Dictatori impoſitam, qua tenebatur ſibi Magiſtrum equitum eligere. Itaque creato Dictatore, is ſtatim dicebat Magiſtrum equitum. Dictatorem ſine Magiſtro creari, fas non erat, ut colligimus ex Liv. *lib.* 23. *cap.* 23. Quippe cum Terentius Conſul ex SC. Dictatorem M. Fabium Buteonem, Senatus legendi cauſa in ſex menſes creaſſet, ipſe Buteo cum lictoribus Roſtra aſcendit, neque duos Dictatores tempore uno, quod nunquam antea factum eſſet, probare ſe dixit: neque Dictatorem ſe ſine Magiſtro equitum. Unde Dionyſ. *lib.* 5. *cap.* 249. de T. Largio Dictatore ſermonem habens, inquit; *Ergo mox ut Magiſtratum iniit, equitum Magiſtrum crea-*

Digitized by Google

creavit Sp. Caſſium, qui mos uſque ad noſtram ætatem ſervatur à Romanis; nec ullus hucuſque Dictator imperium abſque Magiſtro equitum geſſit. Magiſter equitum, inquit Varro, dicitur, quod ſumma ejus poteſtas in equites & accenſos; ut eſt ſumma in populum Dictatoris. Et ſicut olim Tribuni celerum Regibus aderant, & Legatus Conſuli, & Prætori Quæſtor auxilio & adjumento erant, ſic Dictatori Magiſter equitum, & Imperatori Præfectus prætorio, ut ſi quando abeſſent, aut graviori morbo impliciti fuiſſent, vices eorum gerere & munia obire poſſent, ac quædam inter eos ſocietas & conjunctio imperii, ut virtutis, ignaviæ cujuſque teſtes forent. Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 23. Præerat igitur Magiſter equitum equitibus, quemadmodum Dictator legionibus; ſubjectus autem erat Dictatoris imperio, & ſine ejus juſſu vel imperio nihil moliri vel exequi poterat. Unde apud Liv. legimus, Q. Fabium & M. Minucium, qui contra edictum Dictatoris pugnaverant, in capitis diſcrimen veniſſe, & niſi precibus populi liberati, ultimo ſupplicio fuiſſent affecti. Diſciplina enim militaris flagitat, ut miles Centurionis, Centurio Tribuni, Tribunus Legati, Legatus Coſſ., Magiſter equitum Dictatoris pareat imperio. Liv. *lib.* 8. *cap.* 34. Verum contigit aliquando, ut Magiſter equitum Dictatori æquatus fuerit, Liv. *lib.* 22. *cap.* 29. ubi Minucium Fabio æquatum imperio legimus, quamvis id ſtatim revocatum; quippe ipſe *Magiſter depoſito æqualis imperii jugo, Magiſterium equitum, ſicut par erat, Dictaturæ ſubjecit: imprudentiſque vulgi errorem gratæ mentis ſignificatione correxit.* Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 2.

Quod officium fere tale erat, quale hodie Præfectorum prætorio.] Hinc Arcadius Chariſius *in l. unic. ff. de off. præfect. Præt.* Ad vicem Magiſtri equitum Præfectos Prætorio antiquitus inſtitutos eſſe, a quibuſdam ſcriptoribus traditum eſt. Nam cum apud veteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & Magiſtros equitum ſibi eligerent, qui adſociati participeſque curarum (militiæ gratia) ſecundam poſt eos poteſtatem gerebant, regimine Reipub ad Imperatores perpetuos tranſlato, ad ſimilitudinem Magiſtrorum equitum

Digitized by Google

Præfecti prætorio a Principibus electi ſunt, cui Prætorii ſui ſive aulæ curam committerent. Niſi quod data ſit iis plenior licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem. Quamobrem, inquit Pomponius, fere Magiſtri equitum fuiſſe officium, quale hodie Præfecti prætorio. Quippe Magiſtrum equitum conſtat nullam niſi pro militia operam Reipub. navaſſe: Præfectus vero Prætorio non ſolum ad latus Principis cohortibus Prætoriis præerat, ſed criminalem & civilem Juriſdictionem, ac auditorium habuit. *l.* 40. *ff. de reb. cred. l. unic. Cod. de ſenten. Præfect. præt.* Unde nec ab illorum ſententiis appellandi, *l. d.* ſive provocandi, verum ſupplicandi intra biennium tantum noſtro numini contra cognitionales ſedis Prætorianæ Præfecturæ ſententias poſt ſucceſſionem Judicis numerandum eis tribuitur facultas. Neque adverſus eorum ſententias alius Magiſtratus reſtituere minores non poterat, quanquam aliter Magiſtratus non ſolum contra ſuam, ſed & aliorum ſententiam reſtituendi jus habebat. Vid. *l.* 16. & 17. *ff. de minor.* Simulac autem lectus erat Præfectus Prætorio, dabatur ei cingulum cum gladio, & cum gladio merum imperium; unde illud Trajani, cum Præfectum ſuum cingulo donaret, tantæ poteſtatis & dignitatis inſigni, ad eum dixiſſe fertur: *Accipito hunc enſem: & ſi quidem recte ac e Repub. imperavero, pro me; ſin ſecus, in me utere.* Plin. Jun. *in Panegyr.* Initio ad hanc dignitatem Senatores evehi vetitum fuit, primus Imperator Titus a patre Præfectus Prætorio factus eſt. Ita enim Suet. *in Tit. c.* 6. *Præfecturam quoque Prætorio ſuſcepit, nunquam ad id tempus, niſi ab equite, adminiſtratam.* Idem tradit Capitolinus *de Pertinace cap.* 7. cum ſcribit M. Aurelium palam doluiſſe, quod ille, quum Senator eſſet, Præfectus Prætorio a ſe fieri non poſſet. Poſtea vero hoc inſtitutum Alexander Severus mutavit: qui, narrante Lampridio *de Alex. Sever. cap.* 21. *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri clariſſimi & eſſent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eo uſque, ut ſi quis Imperatorum ſucceſſorem præfecto Prætorii dare vellet, laticlaviam eidem per libertum ſubmitteret. Alexander autem idcirco Senatores eſſe voluit Præfectos Prætorii, ne quis non Senator de*

Romano

Romano Senatore judicaret. Scribit enim Capitolinus in Marco, illud quoque Senatoribus detuliſſe, ut quoties de illorum capite eſſet judicandum, non pateretur equites Romanos talibus intereſſe cauſis; unde Spartian. *in Adriano, cap.* 8. *Equites Romanos, nec ſine ſe de Senatoribus, nec ſecum judicare permiſit.* Quum autem judicabat de Senatoribus Præfectus Prætorio, qui rariſſime factus ex ordine Senatorio, idcirco ut conſervaret Senatoribus illud commodum, Senatores eſſe voluit Præfectos Prætorio. Hanc dignitatem poſtea admodum inquinavit Heliogabalus, quum ſaltatorem, qui hiſtrionicam Romæ fecerat, adſciverit, ut tradit Ælius Spart. *in Heliog. cap.* 12.

Auguſtus hujus Magiſtratus auctor, duos ex equeſtri ordine Præfectos Prætorio creavit, ob eandem fartaſſe rationem, ob quam tradit Florus Regibus exactis imperium ad Conſules tranſlatum, ſcil. ne poteſtas ſolitudine corrumperetur, ut ſibi invicem obſtarent, ne quid alter novi moliretur. Quod exemplum tamen non imitatus fuit Tiberius, cui ex duplici placuit ſingulare imperium, quod in Ælium Sejanum contulit, cujus conſilii ipſum poſtea pœnituit, quando eum ob nimiam potentiam ſuſpectum coactus fuit e medio tollere. Interjecto tempore alii quoque Imperatores duos & aliquando plures fecere; tradit enim Lampridius, Commodum tres creaſſe Præfectos Prætorio. Conſtantinus Imperator nimiam Præfectorum potentiam ſuſpectam habens, pro duobus quatuor creare voluit, quibus ſingulis ſingulas aſſignavit regiones ſive Provincias. Hinc fuit Præfectus Prætorio Orientis, qui quinque Diœceſes gubernavit; alter Illyrici; tertius Italiæ; quartus Galliis, Hiſpaniis, & Britanniæ præfuit. Eos civilia tantum juſſit tractare negotia, & militibus, quibus antea imperabant, Magiſtros militum præpoſuit. Vid. Pancirol. *de not. Imp. Orient. cap.* 5. Unde *tot. Cod. de offic. Præf. Præt. Orient. & Illyr.* Poſtquam Juſtinianus Africam a Vandalis exemit, ei proprium dedit Præfectum; quippe antea ſub præfectura Italiæ erat. Hinc *tit. de off. Præfect. Præt. Afr.* De quorum poteſtate in hanc ſententiam Caſſiodorus ſcribit, *lib. 6. Epiſt. Poteſtati Præfecti Prætorio nulla dignitas eſt*

æqualis: vice ſacra, hoc eſt Imperatoris, judicat: nullus ei miles foris auctoritate præſcribit, excepto officiali Magiſtro militum. Curiales etiam verberat, in officio ſuo jus retinet ſingulare: & talibus tantiſque noſcitur jubere, quos etiam Provinciarum non auderent judices in qualibet parte contemnere.

Magiſtratus tamen habebantur legitimi] Ita legitur in Florentino. Ventura Cæcus, & fortaſſe eum ſecutus Coraſius, item Zaſius legunt, *Magiſtratus enim habebantur*. Quam vero ob cauſam loco particulæ *tamen* legant *enim*, fateor me divinare non potuiſſe. Quippe nulla erat quæſtio, an Magiſtros Equitum Magiſtratibus annumerari oporteret, ideoque non opus ut hac particula uteretur Pomponius, quaſi voluiſſet aliquid affirmare, quod a quibuſdam negabatur. Placet itaque magis Florentina. Verum de ſenſu non conveniunt interpretes. Putat Cujacius hæc verba non ad Dictatores, qui non ſunt legitimi, id eſt ſtatuti & ordinarii, ut Dionyſ. ſentit, qui Dictatoribus opponit Πάς νομίμας ἀρχας, id eſt, legitimos Magiſtratus *lib.* 10. Item quia Dictatores ante Pomponius ſatis affirmaverat eſſe Magiſtratus, qua ratione nec ad Magiſtros equitum hæc verba ſunt referenda, cum eos pares fecerat Trib. Celerum, & Præfect. Præt. qui etiam non erant legitimi Magiſtratus. Itaque (inquit) his verbis Pomponius refutat opinionem eorum, qui ſub Dictatoribus exiſtimabant ceſſaſſe alios Magiſtratus: Quæ verborum interpretatio mihi non arridet, tanquam a mente Pomponii alieniſſima. Sermonem enim hic habet de eo Magiſtratu, nimir. de Equitum Magiſtro, de quo paulo ante diſputare inceperat. Quod ſub Dictatoribus legitimi Magiſtratus non ceſſarint, ſatis evincunt, quæ apud veterum monumentorum auctores paſſim legimus. Hinc interdum legimus Conſulem a Dictatore increpari. Unde & apud Liv. *lib.* 8. *cap.* 22. L. Papirius Dictator inquit: *Quæro de te, Q. Fabi, cum ſummum imperium Dictatoris ſit, pareantque ei Coſſ. regia poteſtas, Prætores iiſdem auſpiciis quibus Coſſ. creati, æquum cenſeas nec ne, Magiſtrum equitum dicto audientem eſſe?* Hinc etiam interdum prohibitum Conſuli, ne cum lictoribus ad eum accederet. Quæ, ſi Conſul aliique Magiſtratus ceſſaſſent, id eſt revera munus non obiiſſent,

ſent, fieri non potuiſſent. Quod Polybius aliique tradunt præter Tribunatum cæteros omnes Magiſtratus Dictatore creato, fuiſſe diſſolutos, id ſano ſenſu interpretamur; ſcil. eatenus diſſoluti, quatenus nihil injuſſu Dictatoris facere poterant, & ea quæ agebant, non jure ſui Magiſtratus, ſed juſſu Dictatoris exequebantur, quæ aliter pro poteſtate & dignitate, ac munere, quo ornati erant, facere potuiſſent. Fateor libenter nonnunquam Dictatorem fuiſſe ſine Conſulibus, ut in faſtis videre eſt. Verum hæc exceptio a regula, raro enim id accidit, ideoque prætereundum, neque ejus habenda ratio, *arg. l. 6. ff. de leg.*

Opinor itaque Pomponii verba referenda ad Magiſtrum equitum, quem, licet cum Trib. Celerum & Præfectis Prætorio compoſuiſſet, qui, utpote olim arbitrio Regum & Imperatorum conſtituti, legitimis Magiſtratibus non annumerabantur, attamen Magiſtratum legitimum fuiſſe, quanquam a Dictatore creatum arbitror: cum alioquin ſolius populi erat creare Magiſtratum, ideoque nec ipſe Dictator omnino legitimus, utpote Conſulis voce dictus; legitimus vero, quatenus forma creandi legitima erat, ut recte annotavit ad *h. l.* Coccejus; quo pertinet lex de creando Dictatore lata; itaque lex erat vice populi, & Conſul Dictatorem ſecundum legem a *Liv. lib.* 2. memoratam dicens, legitimum faciebat Magiſtratum, quemadmodum & Dictator equitum Magiſtrum ſecundum eandem legem faciens, legitimis annumerabatur Magiſtratibus; quod enim per alium quis facit, per ſe feciſſe videtur. Et hanc Pomponii eſſe mentem, mihi perſuadeo.

---

§. 20. *Iiſdem temporibus cum plebs à patribus ſeceſſiſſet, anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos,* Tribunos *ſibi in monte Sacro creavit, qui eſſent plebeji Magiſtratus; dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: vel quia tribuum ſuffragio creabantur.*

Iiſdem

Iiſdem temporibus cum plebs a Patribus ſeceſſiſſet.] Huic ſeceſſioni cauſam præbuit creditorum vel fœneratorum in egenos & ære alieno preſſos nimia crudelitas & ſævitia. Notandum, a condita fere urbe, vel lege vel conſuetudine introductum atque conſtitutum, ut liberi, qui pecuniam debebant, cum ſolvendo non eſſent, trahi a creditoribus, atque ad operas in ſervitute præſtandas cogi poſſent. Cum autem Romani poſt Reges exactos, continuis finitimorum ſuorum vexarentur bellis, plurimi, quibus res erat anguſta domi, cum propter continuas expeditiones, tum etiam propter populationes agrorum, & tributa iniquo tempore imperata, æs alienum facere cogerentur, contingebat, ut domum reverſi, & obærati, nihil habentes unde ſatisfacerent creditoribus, ab iis vincti in ſervitutem ducerentur, pro poteſtate & licentia ſibi a legibus conceſſa, qua abuſi multi in terga miſerorum crudeliſſime ſævierunt. Unde ſæpius fremebat plebs, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi a civibus captos & oppreſſos eſſe. Hinc apud Liv. *l.* 2. *c.* 23. quidam cum omnium malorum ſuorum inſignibus ſe in forum projiciens, obſitus veſtis ſqualore, in hæc verba prorumpit: *Sabino bello* (ait) *ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, ſed villa incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquum ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe. Id cumulatum uſuris, primo ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus. Ductum ſe ab creditore, non in ſervitium, ſed ergaſtulum & carnificinam eſſe. Inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum.*

Cum autem hiſce miſeriis vexata plebs, ſæpiſſime de crudelitate & ſævitia fœneratorum conqueſta eſſet, & petiiſſet ſe paululum ſublevari a patribus, ſeque non daturam nomina, niſi remiſſionem aliquam debitorum obtinerent, minata fuiſſet, animadverteretque ſe vanis patrum pollicitationibus illudi ac decipi, qui promittebant quidem cauſam plebis nexorumque poſt bella ſibi curæ fore, verum promiſſa exequi negligebant, tandem experti ſe vana a patribus ſpe lactari, Sicinio quodam auctore, ut Livius tradit, in Sacrum montem ſeceſſit,

Digitized by Google

neque prius inde revocari potuit, antequam Patres ipſi obtuliſſent per Menenium Agrippam, virum facundum & plebi carum, conceſſiſſentque, ut *plebi ſui eſſent Magiſtratus ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſent; neve cui patrum eum Magiſtratum capere liceret.* Liv. *l.* 2. *c.* 33. Sic etiam Dionyſ. *l.* 6. *Cumque Menenius juberet eum dicere, quænam eſſet illa ſecuritas, quam à plebe requiri exiſtimaret? Concedite* (inquit) *nobis aliquot annuos ex noſtro ordine creare Magiſtratus, qui nullam aliam poteſtatem habeant, niſi ut plebejis injuriam & vim patientibus ſuccurrant, nec patiantur quemquam jure ſuo fraudari.* Et Flor. *Prima diſcordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque ſerviliter ſævientibus, in ſacrum montem plebs armata ſeceſſit: ægreque, nec niſi Tribunos imperaſſet, Menenii Agrippæ facundi & ſapientis viri auctoritate revocata eſt.* Quo facto diſcordia ſublata eſt, & plebs in urbem rediit.

Anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos.] Sexto decimo anno, poſtquam Reges ejecti erant, ſeditionem populum Romanum feciſſe, & Tribunos plebis ſibi creaviſſe tradit Eutropius *l.* 2. *c.* 14. Hinc Cic. apud Aſconium in *fragm. Cornel. Tanta*, inquit, *in illis virtus fuit, ut anno ſexto decimo poſt Reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederent: leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent: duos Tribunos crearent: montem illum trans Anienem, qui hodie mons ſacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent &c.* Gellius *l.* 17. *c.* 21. quoque tradit ducenteſimo ſexageſimo anno Tribunos & Ædiles ſibi plebem creaviſſe, Aulo Virginio Montano & T. Vetuſio Gemino Coſſ. Vel ut alii volunt, hiſce Conſulibus ſeceſſio accidit, Sp. vero Caſſio, & Poſtumio Cominio Coſſ. Tribuni creati ſunt, ut Liv. teſtatur. *lib.* 2. *cap.* 33. Quorum Conſulatus incidit in annum 260. ut videre eſt apud Phigium, Euſebium, Emmium, Sigonium in Faſtis.

Tribunos ſibi in monte ſacro creavit.] Accurſius, & qui eum ſequuntur, male ſacrum montem interpretantur Aventinum, qui unus ex ſeptem collibus Romæ eſt; cum Livius ſacrum montem trans Anienem amnem tria ab urbe millia paſſuum

 deſcri-

Digitized by Google

deſcribit, cui ſeceſſio nomen dedit, ut inquit Feſtus *lib.* 17. *Sacer mons*, inquit, *appellatur, quod eum plebs, cum ſeceſſiſſet à patribus, creatis Tribunis plebis, qui ſibi eſſent auxilio, diſcedentes, Jovi conſecraverunt.* Hinc ſacrata lex, quod in ſacro monte lata ſit. Tribuni igitur creati duo C. Licinius, & L. Albinus. Hi autem, ut Liv. inquit *l.* 2. *c.* 32. tres ſibi collegas creaverunt, & in his Sicinius fuit ſeditionis auctor. De duobus, qui fuerint, minus convenit. Aliter vero Dionyſ. *lib.* 6. *Plebs* (inquit) *in eas, quæ tunc erat tributa, curias annuos Magiſtratus creavit L. Junium Brutum, C. Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat; & præter hos C. & P. Licinios & Sp. Icilium Rugam. Hi quinque primi tribuniciam poteſtatem acceperunt quarto die ante Idus Decembres; quemadmodum fit & noſtro tempore. Junium Brutum* & *Sicinium Bellutum* nominat quoque Plut. in Coriolano. Suidas *Sicinium & Brutum.* Pædianus *C. Sicinium. L. F. Bellutum, L. Junium, C. F. Paterculum edit.* Quæ nomina a Pædiano ex Livio proferuntur. Unde Sigonius ad hunc locum, ſi Livium citat auctorem Pædianus, quomodo diſſentire poteſt Livius ab eo; potius itaque (inquit) exiſtimandum corrupta fuiſſe hæc nomina apud Livium. Quod autem ad numerum attinet, omnes fere in eo conſentiunt, quinque primo anno factos, licet non omnes in monte ſacro; ibi enim duo tantum creati, qui tres ſibi collegas creaverunt, ita ut eſſent quinque ſinguli ex ſingulis claſſibus. Anno deinceps 297. C. Horatio & C. Minutio Coſſ. quinque adjectis decem ſunt effecti, qui numerus deinde ſtante Repub. conſervatus eſt. Liv. *lib.* 3. *cap.* 30. *Triceſimo ſexto anno à primis Tribunis plebis decem creati ſunt: bini ex ſingulis claſſibus; itaque cautum eſt ut poſtea crearentur.* Quanquam legimus apud Livium *l.* 4 *c.* 16. L. Minutium undecimum aliquando Tribunum plebis cooptatum fuiſſe quoſdam tradidiſſe auctores. Verum ipſe Livius vix illis auctoribus fidem adhibet, cum inquit: *Vix eſſe credibile, numerum Tribunorum patres augeri paſſos: idque potiſſimum exemplum à patricio homine introductum: nec deinde id plebem conceſſum ſemel obtinuiſſe aut certe tentaſſe.*

Qui

Qui eſſent plebeji Magiſtratus] Id eſt ſolius plebis, qui plebem tuerentur contra vim & injuriam patriciorum. Plebeji, ut Manutius exponit, dicebantur, qui plebis cauſa & ex ipſa plebe. Patricii qui patriciorum cauſa, & ex Patriciis familiis primum erant inſtituti. Veteres tamen putabant omnino non eſſe Magiſtratum Tribunum pleb. ad quod probandum Plutarchus inter cætera argumenta adfert, quod non anni principio ut reliqui Magiſtratum ineant: dies enim ſolennis ineundi Tribunatum erat 4. Id. Decemb. ut ſupr. ex Dionyſ. retulimus. Neque purpuram quoque geſtare: cum cæteri Magiſtratus incedant purpurati. Hæc fere ſunt ejus verba in Problem. *Cur purpura prætextam veſtem Tribunus non geſtat, aliis Magiſtratibus gerentibus? An quia omnino Magiſtratus non eſt? nam neque lictores habet Tribunus plebis, neque pro tribunali ſedens reſponſa dat, neque initio anni, quod alii ſolent Magiſtratus, ineunt, neque Dictatore creato abdicat, ſed omni Magiſtratuum jure in hunc tranſlato, ipſe ſolus officium retinet ſuum: utpote non Magiſtratum gerens, ſed diverſæ functionis ordiniſque perſona. Atque ut oratores nonnulli exceptionem negant eſſe judicii genus, cum contrarium ejus quod judicii eſt, præſtet: (judicio nimir. ſententia fertur, exceptione infringitur & aboletur) eodem modo cenſent tribunatum plebis impedimentum potius Magiſtratui, quam Magiſtratum eſſe.* Videtur quoque Livius ſatis indicare Tribunatum initio vix pro Magiſtratu habitum fuiſſe, in deſcribenda Ap. Claudii Conſulis contentione cum Tribuno pleb. Lætorio *l.* 2. *c.* 56. ubi inquit: *Occupant Tribuni templum poſtero die, Conſules nobilitaſque ad impediendam legem in concione conſiſtunt. Submoveri Lætorius jubet, præterquam qui ſuffragia ineant. Adoleſcentes nobiles ſtabant, nihil cedentes viatori, tum ex his prehendi Lætorius jubet. Conſul Appius negare, jus eſſe Tribuno in quemquam, niſi in plebejum: non enim populi, ſed plebis eum Magiſtratum eſſe, nec illum ipſum ſubmovere pro imperio poſſe more majorum, qui ita dicatur: ſi vobis videtur, diſcedite Quirites. Facile & contemptim de jure differendo perturbare Lætorium poterat. Ardens igitur ira Tribunus, viatorem mittit ad Conſulem: Conſul lictorem ad Tribunum, privatum eſſe clamitans ſine imperio,*

ut P. Clodius fecit, qui patricius, ut tribunatum obtinendo ſe de Cicerone inimico vindicaret, a M. Fontejo ſe adoptari effecit. Quod idem Dolabellam feciſſe tradit Dio, & Plutarchus in *Antonio*. Poſtea Tribunatus tam vehementer appetebatur, ut non patribus tantum, ſed & equitibus communicatus ſit, ut alicubi Dio tradit. Sic etiam Suet. *in Aug. cap.* 10. *Et quo conſtantius cætera quoque exſequeretur, in locum Trib. plebis forte demortui, candidatum ſe oſtendit, quanquam patricius, necdum Senator.* Et *cap.* 40. *Comitiis Tribuniciis, ſi deeſſent candidati, Senatores ex Equitibus Romanis creavit: ita ut poteſtate tranſacta, in utro vellet ordine, manerent.* Poſtea vero ſive Sylla ſive alius, ait Appianus, tribunatum a plebejis ad Senatores tranſtulit: ex quo tempore nemo Tribunus fieri potuit, niſi Senator. Attejus Capito apud Gell. *l.* 14. *c. ult.* videtur ad Atinium plebiſcitum referre hoc inſtitutum, ait enim: *Tribunis Senatum habendi jus erat, quanquam Senatores non eſſent ante Atinium plebiſcitum.* Quaſi dicat, Atinio plebiſcito lectos e Senatu. Quanquam non certo conſtet de tempore hujus plebiſciti. Nonnulli hanc legem a C. Atinio Labeone latam arbitrantur, anno U. C. 633. Tandem ipſi Principes & Cæſares tribuniciam poteſtatem ſibi ſumere conſueverant, tanquam firmiſſimum imperii munimentum. Ea quippe ornati *inviolabiles habebantur & ſacroſancti. Sacroſanctum* autem Feſto dicitur, *quod jurejurando interpoſito eſt inſtitutum, ſi qui id violaſſet, ut morte pœnas penderet. Cujus generis ſunt Tribuni plebis.*

Primum hanc poteſtatem Senatuſconſulto Julius Cæſar in omnem vitam ſibi oblatam accepit, ut tradit Dio *l.* 42. & 44. Recepiſſe deinde Auguſtum perpetuam tribuniciam poteſtatem tradit Suet. *in Aug. cap.* 27. eaque publice primus uſus eſt, atque inde exortum eſt, ut qui poſt illum Imperatores lege quadam tum aliis tum tribunicia poteſtate uterentur. Hujus ſummi faſtigii vocabulum Auguſtum repperiſſe, inquit Tacit. 3. *Annal. ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, hac tamen appellatione aliqua cætera imperia præemineret.* Vi enim hujus poteſtatis tria maxime Auguſtis competebant. Jus intercedendi ampliſſimum; alterum ut Sacroſancti eſſent; tertium,

Senatum cogendi facultas: Verum obſervandum, quod Vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus de Repub. literaria egregie meritus Ezechiel Spanhemius in *diſſert.* 6 & 8. *de præſt. & uſu numiſ.* annotavit, ſcil. non confundendam Tribuniciæ poteſtatis, & Tribunorum plebis prærogativam; quarum prior, ut ab Auguſto reperta, aut juxta Dionem a Julio, omnia alia imperia præeminebat, poſtremi vero utut Sacroſancti, infra Conſulum tamen & Prætorum faſtigium cenſebantur. Unde Tribuniciam poteſtatem aſſumebant quidem, ut præcipuum quoddam inſigne Majeſtatis, verum Tribuni plebis nomen declinabant, unde ſemper in nummis expreſſum, TR. POT. VII. TR. POT. VIII. *Adſumptum autem illud ab Imperatoribus nomen* (inquit Vir Ampliſſimus) *non vero Tribunorum plebis, ex more illorum temporum, quibus poteſtas Tribunicia, Cenſoria, Conſularis, pro dignitate Tribuni plebis, Cenſoris, Conſulis reperta. Hinc etiam diſcrimen haud leve hujus Tribuniciæ poteſtatis & Tribunorum plebis obſerves. Primo, quod illa patriciorum, quales neceſſe erat creari aut fieri Cæſares, hic plebejus eſſet Magiſtratus. Secundo, quod prior omnia imperia præemineret, ut ſupra ex Tacito vidimus; hi non item, qui infra Conſulum & Prætorum faſtigium cenſebantur. Tertio, quod in illa etiam intra primum ab urbe milliare præſidii opiſque ejuſdem indigebant; in Tribunis plebis autem tantum intra urbis Pœmeria. Quanquam*, pergit, *& Tribunos plebis nonnullos Imperatores legamus extitiſſe, ſed privatos etiamnum, neque adhuc ſummi faſtigii hæredes & conſortes; puta Hadrianum, qui, auctore Spartiano, Tribunus plebis factus eſt, Candidato & Quadrato iterum Coſſ. Aut Severum, qui tribunatum plebis Marco Imp. decernente promeruit.* Nero autem Imperator multum de Tribunicia poteſtate detraxit, ut videre eſt apud Tacit. 13. *Annal.* ubi inquit; *Simul probibiti Tribuni, jus Prætorum & Conſulum præripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo deſignatus Conſul, ne quid intra domum pro poteſtate animadverterent: neve multam ab iis dictam Quæſtores Ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret, deque eo Conſules ſtatuerent.* Verum imperio ad Othonem devoluto, Tribuniciam poteſtatem iterum in eum

eum collatam tradit Tacit. & deinde Hadrianum & ſequentes Imperatores eam accepiſſe teſtantur Spartianus, Lamprid. Capitolin. De poteſtate autem Tribunorum ut quædam delibemus, diſputandi ratio a nobis flagitat. Sciendum itaque eam initio non adeo amplam fuiſſe, verum interjecto tempore paulatim magis magiſque auctam eſſe, ut magni muneris loco proque regali poteſtate Cæſaribus delata ſit, ut ſtatim diximus. Principio itaque Tribunorum poteſtas conſiſtebat tantum in auxilii latione, ut Livius inquit, adverſus Conſules, & defenſione plebis adverſus Magiſtratuum majorum injurias, qui inſolenter in plebem inſultabant. Obviam ire potentiæ Magiſtratus, nimiamque ejus licentiam retundere, munus eſt & poteſtas Tribunatus plebis. Plutarch. in *Problemat.*

Itaque nec juri dicundo, nec poſtulatis civium noſcendis, ſicut alii Magiſtratus, præerant. Unde apud Gell. *l.* 13. *c.* 12. *Trib. pl. antiquitus creati videntur, non juri dicundo, nec cauſis querelisque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent: ut injuria, quæ coram fieret, arceretur.* Idem teſtatur Plut. in Coriolano: *Habet enim Magiſtratus ille vim in intercedendo potius, quam in agendo, & ubi reliqui dempto uno quid decreverunt omnes, is obtinet qui adverſatur & intercedit.* Et in vita Gracchorum: *Eſt autem*, inquit, *Tribunorum plebis maxima in prohibendo poteſtas: uno enim prohibente, nihil alii, etiamſi complures ſint, efficere poſſunt.* Coercebat itaque Tribunus per interceſſionem cæteros Magiſtratus, atque etiam ipſos collegas. Et unius interceſſione reliquorum poteſtas irrita fiebat, ut jam diximus. Quæ interceſſio peragi ſolita ſolenni verbo, VETO. Liv. *l.* 6. *Faxo*, inquit, *ne juvet vox iſta* VETO, *quia nunc concinentes collegas noſtros tam læti auditis.* Qua interceſſione etiam adverſus Senatuſconſulta utebantur; unde apud Tacit. *Annal.* 16. *Aderat conſilio Ruſticus Arulenus flagrans juvenis, & cupidine laudis efferebat, ſe Senatuſconſulto interceſſurum: nam plebis Tribunus erat.* Quorum tamen interceſſionibus ſi non obtemperabatur, prehenſionem habebant, id eſt, jus prehendendi & in carcerem mittendi jure ſacroſanctæ poteſtatis, etiam Conſulem, Prætorem,

Digitized by Google

torem, Cenſorem Sic idem teſtatur, Metellum Conſulem a L. Flavio Tribuno in carcerem ductum eſſe. Et apud Liv. *l.* 9. *c.* 34. legimus, P. Sempronium Tribunum plebis Appium Cenſorem prehendi & in vincula duci juſſiſſe. Tradit quoque Valer. Max *l.* 9. *c.* 5. *M. Druſum L. Philippum Conſulem, quia interfari concionantem auſus fuerat, obtorta gula, & quidem non per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in carcerem præcipitem egiſſe, ut multus e naribus ejus cruor profunderetur.* Sic quoque L. Licinius Lucullus, & A. Poſthumius Albinus Conſules, cum delectum ſevere agerent, nec quenquam gratia dimitterent, a Tribunis plebis, qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti ſunt. Liv. *Epitom. l.* 48.

Tria itaque erant Tribunorum plebis jura, *auxilii latio, intercedendi jus, & jus prehenſionis.* Vocationem vero non habebant. Unde Antiſtius Labeo Juriſconſultus apud Gell. *l.* 13. *c.* 12. per viatorem a Trib. pl. vocatus reſpondet: *Cum a muliere quadam Tribuni pl. adverſum eum aditi, Gellianum ad eum miſiſſent, ut veniret & mulieri reſponderet; juſſit eum, qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, jus eos non habere, neque ſe, neque alium quemquam vocandi: cum moribus majorum Trib. pl. prehenſionem haberent, vocationem non haberent. Poſſe igitur eos venire, & prehendi ſe jubere; ſed vocandi abſentem jus non habere.* Quod & M. Varro aſſerit, cujus verba ex Gellio hic ſubjiciam: *In Magiſtratu* (inquit) *habent alii vocationem, alii prehenſionem, alii neutrum. Vocationem, ut Conſules, & cæteri, qui habent imperium. Prehenſionem, ut Tribuni plebis & alii, qui habent viatorem. Neque vocationem, neque prehenſionem, ut Quæſtores & cæteri, qui neque lictorem neque viatorem habent. Qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere poſſunt; & hæc omnia ſive adſunt, quos vocant, ſive acciri juſſerunt. Tribuni plebis vocationem habent nullam; neque minus multi imperiti, perinde atque haberent, ea uſi ſunt. Nam quidam non modo privatum, ſed etiam Conſulem in roſtra vocari juſſerunt. Ego Triumvir vocatus à Porcio Tribuno plebis, non ivi, auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item Tribunus cum eſſem, vocari neminem juſſi, nec vocatum à collega parere*

parere invitum. Propter hoc prehendendi jus inquit Gellius jus abnoctandi ademptum fuiſſe Tribunis pl., quoniam ut vim fieri vetarent, aſſiduitate eorum & præſentium oculis opus erat. *Præterea Tribuni plebis*, inquit, *l.* 3. *cap.* 2. *quibus nullum diem abeſſe Roma licet, quum poſt mediam noctem proficiſcuntur, & poſt primam facem ante mediam ſequentem revertuntur, nam dicuntur abſuiſſe unum diem; quando ante horam noctis ſextam regreſſi parte aliqua illius in urbe Roma ſunt.* Horumque domus interdiu nocteque patebat omnibus, tanquam aſylum & tutiſſimum refugium, ad quod quique opem imploraturi confugere, & ſemetipſos recipere poſſent, auxilii ſui juriſque expediundi gratia. Quare Plutarchus in *Problemat.* docet Tribunum ſe facilem & humilem præbere, *ſe in tribunatu non ſupra plebem efferre, ſed intervenientibus civibus habitu, amictu, victuſque ratione eſſe ſimilem. Faſtus enim Conſulem, Prætoremque decet. Tribunum plebis (ut dicebat Curio) conculcandum ſe præbere convenit, neque Majeſtatem in vultu præ ſe ferre, aut aditus ad ſe difficiles facere, vel moleſtum multitudini, ſed propter hanc aliis odioſum, popularibus autem tractabilem promptumque eſſe. Eam ob rem quoque id receptum fuit, ut Tribunorum januæ nunquam clauderentur, ſed noctes dieſque apertæ eſſent tanquam portus & perfugium ope indigentibus. Quanto ſubmiſſius ſe pro ſua perſona gerit, tanto magis augetur potentia Tribunus.* Poſtea vero eo poteſtatis venere, ut comitia Conſulum Prætorumve, & aliorum Magiſtratuum habere, & ne quid fieret, inhiberent, Liv. *l.* 5. *c.* 25. *Tribuni plebis aſſiduis concionibus prohibendo Conſularia comitia, cum res prope ad interregnum perducta eſſet, evicere tandem, ut Tribuni militum Conſulari poteſtate crearentur.* Senatum diſſolvere, vel cogere, Appian. Alex. *l.* 2. *bell. civ.* de Curione Trib. pl. ſermonem habens, cum nihil peregiſſet imperfectis adhuc rebus, Senatum diſſolvit; id enim Tribuno facere licebat. Et Cic. 3. *de orat.* ſcribit, vocatu Druſi Trib. pl. non ſolum Senatum, ſed & Conſulem Philippum in curiam veniſſe. Leges novas pro arbitrio & voluntate promulgare, quæ plebiſcita dicta fuere, tribuniciæ fuit poteſtatis, quibus Hortenſia lege lata omnes tenebantur Quirites. Pontificum Augurumque colle-

Digitized by Google

gia denunciare, conciones qualeſcunque ciere, reliquis Tribunis & quibuſcunque Magiſtratibus diem dicere, ærarii curam gerere, atque Senatus decreta vel approbare vel improbare. Hinc cum L. Manlius Acidinus a Senatu impetraſſet, ut ex Hiſpania decedens, ovans rediret, prohibitus eſt a M. Porcio Lecca Tribuno plebis, ut apud Liv. videre eſt *l.* 32. *c.* 7. Denique agros, vectigalia, pecunias publicas, Magiſtratus, Provincias, quibus vellent, dare, vel auferre populi ſuffragio veriti non ſunt, Phig. *Annal. l.* 2. Mulctam irrogare, illuſtres cives indicta cauſa bonis & exilio multare, obtorto collo ad ſupplicium trahere: Conſules ipſos alioſque Magiſtratus, ut ſup. diximus, in carcerem ducere. Diemque illis dicere, poſtquam Magiſtratu abiere, ſupr. ex Valerio allegavimus. Diximus ſup. juri dicundo non præfuiſſe, neque de litibus & jure controverſo cognoviſſe. Poſtea tamen aliqua etiam Juriſdictio tributa iis videtur, ut Juriſconſultus noſter tradit §. 34. ubi inquit, decem Tribunos, Conſules duos, decem & octo Prætores, ſex Ædiles in civitate jura reddidiſſe. Vid. Cic. *pro Quint.* & ad *Herenn. l.* 2. *c.* 13. ubi definiturus quid ſit Judicatum, *Judicatum eſt id* (inquit) *de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum; ea ſæpe diverſa ſunt, ut aliud alii judici, aut Prætori aut Conſuli, aut Tribuno plebis placitum ſit; & fit ut de eadem re ſæpius alius aliud decreverit, aut judicaverit.* Et docet nos Dionyſ. *l.* 6. plebem a patribus impetraſſe, ut ſibi quotannis duos e plebe viros deſignent, qui Tribunis ſubminiſtrent quicquid opus ſit, & lites, quas Tribuni eis commiſerunt, judicent. E quibus perſpicimus, Tribunos de rebus quibuſdam & litibus cognoviſſe ac judicaſſe, ideoque aliquam habuiſſe Juriſdictionem, verum quibus de cauſis cognoverint, non adeo manifeſtum eſt. *Partem majorem Tribunorum plebis cum Prætore urbano tutores dediſſe* illis, quibus neque teſtamento neque lege proviſum erat, conſtat *ex* §. 17. *inſt. de Atil tut.* *Lex Atilia* (inquit Ulpianus tit. 11. §. 18.) *jubet mulieribus, pupilliſve non habentibus tutores dari a Prætore, & majori parte Tribunorum pl., quos tutores Atilianos appellamus.* Verum poſſet nobis objici, quod tutoris datio non deſcendat ex Juriſdictione, verum

vel

vel ex Principis, vel legis, vel SC. conceſſione; ideoque tutoris dandi poteſtas non probat Juriſdictionem competere ei, qui tutorem dedit. De hac re ita ſcribit Ulpianus *l.* 6. §. 2. *Tutoris datio neque imperii neque Juriſdictionis, ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatuſconſultum, vel Princeps.* Ita ut argumentum a tutoris datione, ad Juriſdictionem alicujus probandam deſumptum non procedat. Hæc Ulpiani ſententia maximas parit difficultates, & inter Doctores magnam contentionem, cum alii aliter interpretentur, ita ut in diverſas eatur ſententias, quæ vix conciliationem admittunt. Videtur enim non ſatis conſtare, quamobrem tutoris datio neque imperii ſit, neque Juriſdictionis: cum Ulpianus in *l.* 1. *ff. de Juriſd.* ipſe teſtetur, *Jus dicentis officium latiſſimum patere, nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, vel in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, judices litigantibus dare.* Quanquam jus dicentis officium Juriſdictione latius ſit, ita ut ea etiam complectatur, quæ ad Juriſdictionem minime pertinent; Magiſtratus tamen jus dicentis officium non poteſt ultra Juriſdictionis terminos extendi; ſunt enim hæc conjugata jus dicens, jus dicere, & Juriſdictio, ut inquit Gentil. *de Juriſdict. l.* 1. *c.* 1. Præterea inquit idem Ulp. *in l. nec mandantem pr. ff. de tut. dat. nec Præſidem mandare poſſe, ut aliis tutorem det. ſed an mandare aliquid poſſit nec ne, quæritur de iis, quæ ſunt Juriſdictionis, vel imperii, l.* 1. *& paſſim ff. de offic. ejus cui mand.* Quomodo igitur nec Juriſdictionis nec imperii Ulp. eſſe dicit, tutorem dare? Non deſcribimus hic omnia argumenta, quibus nonnulli Doctores probare conantur Ulpiani negativam ſententiam, eo enim fere omnes utuntur argumento; ſcil. quia non exercetur nomine, quo quis imperium vel Juriſdictionem habet, ſed ex cauſa tantum, quod hæc poteſtas a lege, Senatuſconſulto, vel Principum conſtitutione nominatim conceditur vel non habentibus imperium aut Juriſdictionem, ut ait Longevallius de *Juriſd. omnium Jud.* Cujacius affirmat jus dandi tutores non eſſe Juriſdictionis, ſed eſſe legis; legem enim hoc dare etiam privatis hominibus, puta parentibus, ut liberis ſuis totores dare poſſint. *l. verbis legis ff. de V. S.* Verum optime

& erudite huic difficultati reſpondit ſtatim a nobis allegatus Alber. Gentil. in eleganti tractatu ſuo de *Juriſdictione l. 1. c. 1.* Primo negat Ulpianum hæc duo inter ſeſe opponere, nempe aliquid eſſe Juriſdictionis & imperii, & aliquid dari ſpecialiter lege, vel SC. vel a Principe. Verum probat quicquid ſpecialiter vel lege, vel SC. defertur & conceditur, illud quoque commode dici poſſe eſſe imperii vel Juriſdictionis. Quippe merum imperium, quod ſpecialiter datur lege, vel SC. vel conſtitutione *l. 1. in fin. ff. de offic. ejus cui mand.* Juriſdictione in latiori ſumpta ſignificatione continetur, quare ſub titulo *ff. de Juriſdictione* ponitur. Quin & in Codice Theodoſii titulus de Juriſdictione ad criminales etiam cauſas pertinet: item in Codice Juſtiniani. Negari enim non poteſt, mero imperio ineſſe criminalem Juriſdictionem. Criminalis autem Juriſdictio vera Juriſdictio eſt. Imo de capite jus dici Pomponius in hac lege *§.* 23. teſtatur. Itaque merum imperium eſt ſpecies Juriſdictionis, quanquam ex lege vel ſpeciali conſtitutione dimanat. Ita etiam tranſactio non poteſt fieri niſi ex decreto Prætoris, cui ſpecialiter oratione Divi Hadriani ea cognitio tributa eſt *l. 8. ff. tranſact.* & tamen ea diſerte in illa lege vocatur Juriſdictio. Sic judicem dare litigantibus ad eos pertinet, quibus id lege, vel conſtitutione vel SC. conceditur *l. 12. §. 1. ff. de Jud.* & tamen Judices dare totum Juriſdictionis eſt: Juriſdictio enim definitur quod ſit Judicis dandi licentia *l. 3. in fin. ff. de Juriſd.* Ex quibus recte infertur, mentem Ulpiani non fuiſſe, quod ea, quæ ex ſpeciali lege ſive SC. aut conſtitutione conceduntur, propterea quod ex illis derivantur, non eſſe Juriſdictionis. Verum voluiſſe Juriſconſultum eatenus tutoris dationem non eſſe Juriſdictionis, quatenus opponitur illis rebus, quæ Magiſtratibus jure Magiſtratus competunt, & Juriſdictioni ita cohærent, ut ab ea divelli neque ſeparari queant, id eſt, quæ Magiſtratus ſimulac creatus eſt ac ea dignitate ornatus, vi & jure poteſtatis ſive Magiſtratus exercere poteſt. *Hæc tria*, inquit Juriſconſultus ſtatim a nobis citatus, *diſtinguenda ſunt. Juriſdictionem a lege dari vel deferri. Juriſdictionem ſpecialiter & nominatim a lege dari: Juriſdictionem lege confirmari.*

Ju-

Juriſdictionem lex & mos majorum, qui idem valet quod lex & eandem vim obtinet, dat omnibus Magiſtratibus, & quæ jura hac ratione quis habet, jure proprio ſive jure Magiſtratus habere & exercere intelligitur. Juriſdictionem autem ſpecialiter & nominatim certo Magiſtratui defert, ut tutoris dationem, idque ideo, ne quilibet Magiſtratus ſibi earum cauſarum cognitionem uſurpet. E quibus concludimus, Ulpianum negare quidem tutorum dationem eſſe Juriſdictionis vel imperii, ſcil. ordinariæ Juriſdictionis, quæ jure Magiſtratus competit, id eſt, quam quis habet, quia eſt Magiſtratus, verum ex eo numero cauſarum Juriſdictionis voluit eſſe, quas lex vel Princeps noluit cuivis Magiſtratui competere. Ita quoque Ulpiani dictum explicat Merillus, tutoris dationem neque imperii eſſe neque Juriſdictionis: ſcil. non competere jure Magiſtratus. Verum ex eo non ſequitur, ergo non eſt Juriſdictionis. Prætori jus competit dandi tutoris non quia Prætor, verum quod lex id ipſi conceſſit; attamen dando tutorem Juriſdictionem exercet, ſive velis mixtum imperium, cui Juriſdictio ita cohæret, ut ab ea divelli nequeat. Et quod ab uno procedit, etiam alteri applicari poteſt, licet quædam poſſint dici magis eſſe imperii quam Juriſdictionis, quædam magis ad Juriſdictionem, quam imperium pertinere. Unde concludimus, Tribunos Juriſdictionem habuiſſe, quia tutores dare potuerint, non jure Tribunatus, verum quia hæc pars legalis Juriſdictionis ſive ex lege vel conſtitutione Principis, aut SC. ipſis fuerit conceſſa & demandata. Sane miror tam denſas quorundam cerebro offuſas tenebras, ut non videant vel a lege vel conſuetudine ſive more & conſtitutione Principis omnem Juriſdictionem Magiſtratibus tribui atque concedi, ac omnem poteſtatem & imperium profluxiſſe, ideoque abſurdiſſimum eſſe argumentum, quo probare conantur aliquid Juriſdictionis non eſſe, quia ex prædictis cauſis habet originem. Sigonii verba hic deſcribere non abs re erit, *cap.* 13. *de jud.* ubi inquit: *Quin etiam tutoris poſtulatio ad legis actionem, datio ad Juriſdictionem pertinet. Auctor eſt Ulpianus, cum inquit, jus dicentis officium latiſſimum eſt. Nam & pupillis non habentibus tutores conſtituere poteſt. Eſt autem in-*

intelligendum, ſi neque teſtamentarius, neque legitimus tutor adeſſet, tum datum a Prætore fuiſſe, eodem teſte. Hoc autem cum faciebat Prætor, tertiam partem Juriſdictionis explebat, quæ verbum DO *continebat. Atque hoc idem de Conſulibus & Tribunis plebis dicimus, quorum idem jus fuiſſe accepimus.* Alterum argumentum quo Juriſdictionem Tribunorum adſtruere volumus, deſumptum eſt ex Tit. 7. *fragm.* Ulp. §. 6. ubi inquit; *Si maritus pro muliere ſe obligaverit, vel in rem ejus impenderit divortio facto, eo nomine cavere ſibi ſolet ſtipulatione tribunicia.* Ex quibus Ulpiani verbis perſpicimus, Tribunos ut & Cenſores de cauſis matrimonii cognitionem habuiſſe, ipſis ſtipulationes etiam de iis competiiſſe, eaſque interponi juſſiſſe. Quæ ſtipulationes ex Juriſdictione Tribunorum veniunt, quemadmodum Prætoriæ a Prætore, Ædilitiæ ab Ædilibus. Et Cic. *in orat. pro Quintio.* Cum Prætor perſeveraret decernere procuratorem ejus, qui ipſe non ſatiſdaret, ſatiſdare oportere Tribunos appellatos ait: qui tamen auxilium, cujus ergo creati erant, ferre non poterant, niſi prius de Prætoris injuria cognoviſſent. Et Liv. *l.* 4. *c.* 53. *Mænio contra vociferante, ſi injuſti domini poſſeſſione agri publici cederent, ſe moram delectui non facere, decreto interpoſito novem Tribuni ſuſtulerunt certamen, pronuntiaveruntque ex Collegii ſententia, C. Valerio Conſuli ſe, damnum aliamque coercitionem, adverſus interceſſionem collegæ delectus cauſa detrectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros eſſe. Hoc decreto Conſul armatus cum paucis appellantibus Tribunum, collum torſiſſet, metu cæteri ſacramento dixere.*

Quibus ex locis ſatis apparere mihi perſuadeo, Juriſdictionem Tribunos habuiſſe. Quod & probat jus militiæ irrogandæ, quam Tribunos habuiſſe, multis locis oſtendit Liv. De T. Mænio: *In mulcta temperarunt Tribuni. Cum capitis anquiſiſſent, duo millia æris damnato mulctam dixerunt.* Item, *Tribuni pl. ducentum millium æris mulctam M. Poſthumio dixerunt.* Quæ non ex poteſtate vel Reipub. adminiſtratione alicui competit, verum omnino ex Juriſdictione pendet, & derivanda eſt. arg. *l.* 2. §. 1. *ff. ſi quis in jus voc. non ierit.* ubi inquit Juriſconſultus: *Si quis in jus vocatus non ierit, ex cauſa*

Digitized by Google

cauſa a competenti judice, multa pro Juriſdictione judicis damnabitur.

Ad quæ verba *competenti Judice* Anton. Faber in ſuis *rationalibus*, ita commentatur: Scil. *per competentem Judicem* non tantum intelligi Judicem competentem in illa cauſa, ſed & qui Juriſdictionem aliquam habet & jus dicendæ multæ, ita ut hæc pari paſſu ambulent, & jus multæ dicendæ nulli competat, niſi cui aliqua competit Juriſdictio. Quanquam ex eo non ſequatur, omnes Magiſtratus, qui Juriſdictionem habent, etiam habere jus multæ irrogandæ; quippe conſtat Duumviris quanquam inter Magiſtratus numerantur Juriſdictionem habentes, attamen pœnali judicio eam defendere leges non permittere, *l. unic. ff. ſi quis jus dicent. non obtemp.* At vero cui jus multæ dicendæ, ei etiam competit Juriſdictio. *His datur mulctæ dicendæ jus, quibus publice judicium eſt, & non aliis niſi ſpecialiter permiſſum. l. 2. §. 9. ff. de jud.* Hoc eſt, qui jus dicunt & Juriſdictionem habent, mulctam irrogare poſſunt, ita ut jus multæ infligendæ ſupponat Juriſdictionem aliquam, ad quam defendendam judicium pœnale ſive multæ irrogandæ jus Magiſtratui Juriſdictionem habenti datum atque conceſſum eſt. Jus autem dicebant in Baſilica Porcia, a Catone pecunia publica excitata & ſub Curia foro adjuncta, quam Baſilicam Porciam appellavit Plutarch. *in Catone.* Itaque non e tribunali jus dicere ipſis permiſſum, ſicut Prætores ſolent, ſed e ſubſelliis; quod non ſummi, ſed minores eſſent Magiſtratus. Alexand. ab Alexand. *dier. genial. l. 5. c. 3.* Verum notandum, quod ſi Tribuni pl. poteſtate ſibi conceſſa abuterentur, & contra commoda plebis aliquid ſceleſte & injurioſe agerent, aut exorta offenſione apud collegas minus juſte quis interceſſiſſet, ſacroſanctus amplius non erat, ſed poterat ei a reliquis Tribunis dies ad populum dici; juſſuque populi aut Tribunorum in vincula duci, eique Tribunatus abrogari, & in exilium agi, Senatuque amoveri. Hinc legimus apud Valer. Max. *l. 6. c. 5.* Quod cum *L. Cotta Tribunus plebis fiducia ſacroſanctæ poteſtatis creditoribus ſuis nollet ſatisfacere, collegium Tribunorum decreviſſe; ſi neque ſolveret pecuniam, neque daret cum quo ſponſio fieret, appellantibus ſe creditoribus*

auxi-

auxilio futurum: iniquum ratum majeſtatem publicam privatæ perfidiæ obtentui eſſe. Itaque Cottam in Tribunatu quaſi in aliquo Sacrario latentem tribunicia inde juſtitia extraxit. Sic quoque Cn. Tremelio Tribuno pl. mulcta dicta eſt, quod cum M. Æmilio Lepido Pontifice maximo injurioſe contenderat. Liv. *l.* 47. L. Rheginum a Tribuno pleb. Cæpionem in carcerem conjectum liberaſſe, tradit idem Valerius *l.* 4. *c.* 7. Et idem *l.* 6. *c.* 1. auctor eſt *M. Claudium Marcellum Ædilis Curulis C. Scantinio Capitolino Tribuno pl. diem ad populum dixiſſe, quod filium ſuum de ſtrupro appellaſſet. Eoque aſſeverante ſe cogi non poſſe ut adeſſet, qui Sacroſanctam poteſtatem haberet, & ob id tribunicium auxilium implorante, totum collegium Tribunorum negavit ſe intercedere, quo minus pudicitiæ quæſtio perageretur.* Et M. Octavio, qui contra publicam utilitatem legem a Tiberio Graccho collega latam, qua cautum, ne ultra quinquaginta jugera civis Romanus haberet, interceſſerat, quia ſubornatus a locupletibus, Tribunicia poteſtas, majore parte tribuum ſuffragante, fuit abrogata. Plutarch. *in Gracchis*, & Appianus *lib.* 1. *Bell. Civ.*

Dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur.] Nomen *Tribuni* non ab eo tempore deducit, quando plebs ſibi in monte ſacro Tribunos creavit: verum ab eo tempore derivat, quo Romulus populum univerſum in tres tribus diviſit, ſinguliſque ſuos præfecit duces. Nam & olim Tribuni celerum, qui ſub Regibus equitibus præerant, & veluti ſecundum a Regibus locum obtinebant, de quibus ſupra diximus. Unde hæc vox manaverit, de eo variæ ſunt auctorum opiniones. Varr. *l.* 4. *de ling. lat.* ex eo derivatam putat, quod terni ex tribus tribubus, *Ramnenſium*, *Lucerum*, *Tatienſium*, olim ad exercitum mittebantur. Juriſconſultus noſter putat ex eo ortam, quod tunc temporis tres tantum populi partes erant, quas tribus nominabant, & ex ſingulis ſinguli creabantur, qui eis præeſſent, illi Tribuni vocati. Nonnulli a centuriarum equeſtrium numero dictos volunt Tribunos, quas initio Reipub. tres fuiſſe conſtat. Alii, quia tribuum ſuffragio creabantur. Tribunorum igitur appellatio ab illa tempeſtate, qua Tribuni mili-

tum

tum creati fuere, petenda. Quia vero ſeceſſione Cruſtumerina plebs ſibi duos Tribunos feciſſet, ut ſcribit Varro, ſicut ex ſeceſſione ſecunda ex Tribunis militum ſibi feciſſe Tribunos plebis conſtat, ideo inquit Cujacius, meo quidem judicio, retinuerunt Tribunorum nomen, ſed additum eſt πρὸς ῥῆμα plebis, ut Zonaras ait πρὸς διαστολὴν Tribunorum militum, ut diſcernerentur ab aliis Tribunis. Quippe & *Tribuni Celerum*, & *militum*, *Tribuni Ærarii*, *Tribuni vigilum*, *Scholarum*, in jure occurrunt.

Vel quia Tribuum ſuffragio creabantur.] Suffragium eſt conſenſus ſive ſententia, qua quis voluntatem ſuam in mandando alicui Magiſtratu declarat. Quæ declaratio fiebat, quando Populus Romanus more ſolenni convocatus, ſuffragia dabat. Quod jus dandi ſuffragii non omnibus & cuivis e populo competebat, verum quibuſdam denegatum, & iis tantum conceſſum, cum quibus comitiorum communio fuit. Ab iis autem arcebantur fœminæ, majores quoque ſexagenarii, qui, ſi ſuffragii cauſa comitia frequentarent, a juvenibus de ponte, per quem cœperunt comitiis ſuffragium ferre, dejiciebantur. Sexagenarios de ponte olim dejiciebant, ut Feſt. tradit. Sic Cic. *pro Roſcio: Habeo etiam dicere, quæ contra morem majorum minorem annis ſexaginta de ponte in Tiberim dejecerit.* Hinc canit Ovid. *l.* 5. *Faſtor.*

Pars putat, ut ferrent juvenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Quare *depontani* ſenes dicti ſunt. Ut enim ordine negotia peragerentur, Romulus initio populum diviſit in tres tribus, & ſingulas tribus in decem curias partitus, unde comitia Curiata originem derivant: in quibus populus curiatim ſuffragia dabat. Moris enim erat in his comitiis, ut populus per curias diſtributus ſententiam rogaretur, & quod plures curiæ juſſiſſent, id ratum eſſet, & populi juſſum diceretur. De quibus ad §. 2. quædam delibavimus. Deinde Servius Tullius ſextus Romanorum Rex, Populum Romanum in ſex claſſes diſtribuit. Quas iterum in centurias diviſit. Ita ut totum

Romanorum corpus ex 193. centuriis conſtaret. A quibus centuriis dicebantur Centuriata Comitia, quæ nihil aliud quam populi conventus, per claſſes in centurias diviſi, ad ſuffragium ferendum, in quibus ſuffragia per centurias colligebantur, & quod plures juſſiſſent centuriæ, id ratum habebatur. De quibus quoque, quæ ad §. 2. annotavimus, vide.

Deinde Tribuni plebis tributa introduxere comitia anno 262. M. Augurino, & A. Sempronio Atratino Coſſ. quando Cn. Marcius Coriolanus nobilium primus damnatus a plebe perduellionis eſt, quod de Tribunorum poteſtate abolenda in Senatu diſſeruiſſet. De cujus capite plebs primis tributis comitiis in ſuffragia vocatus, eum abſentem exilio damnarunt. Liv. *l.* 2. *c.* 35. Poſtea vero anno 281. *L. Pinario Ruſo, & P. Furio Fuſo Coſſ. Volero Publilius* homo plebejus & infimæ ſortis, qui ordines duxerat, creatus Trib. pl. rogationem de Comitiis tulit ad populum. *Uti. Tribuni. plebis. Ædiles. Tributis. non. Curiatis. crearentur. Comitiis. Et. quicquid. Tribunus. plebem. rogaret. Iiſdem. ſciſceretur. comitiis.* Ante hanc legem plebejos Magiſtratus curiatis, patricios centuriatis comitiis creatos vero ſimile eſt. Tributa autem comitia inde dicta, quia *ex regionibus & locis, hoc eſt, per tribus ſuffragium ferebatur.* apud Gell. *l.* 15. *c.* 27. Tributa autem a tribubus, unde vero tribus, ſup. diximus. Ex Gellio igitur conſtat, non ſolum eos cives Rom. qui in ipſa urbe habitabant, & tribubus ſive locis diſtincti eſſent, ſuffragii jus habuiſſe. Sed & eos, qui extra urbem in Italia habitabant, atque etiam regionibus & tribubus ipſam urbem circumjacentibus diſtincti eſſent, poſtquam civitate cum jure ſuffragii donati erant, ſive municipes & coloni eſſent.

Solitum erat hiſce comitiis creari Magiſtratus minores, quales erant *Tribuni plebis, Ædiles plebis, Ædiles curules, Quæſtores, Triumviri Capitales, Triumviri Nocturni, Triumviri, Tribuni militum.* De quibus Vid. Liv. *l.* 2. *cap.* 56. Gell. *l.* 6. *cap.* 9. Liv. *lib.* 4. & 9. 22. 23. fiebat quoque Sacerdotum in Collegia cooptatio. Sacerdotum vero non omnium. Quidam enim a collegis ſuis cooptabantur, quales erant, *Salii, Luperci, Fratres Avernales, Sacerdotes Galli & Sodales Titii,*

tii, *Veſtales* a Pontifice Max. *Rex Sacrorum*, centuriatis; *Flamines* & *Curio Maximus* Curiatis creabantur comitiis. Solus Pontifex Max. ante legem Domitiam, Tributis Comitiis fiebat, donec deinde etiam Pontifices, Augures, Feciales, Semptemviri epulonum & Quindecimviri ſacris faciundis creati fuere. Tertia tributorum comitiorum cauſa fuit *legumlatio*, non omnium, ſed earum quas Tribuni pl. ferebant, quæque plebiſcita appellabantur. Ut ad §. 2. diximus, & in eo a lege differunt, quod lex a populo ferebatur, *Senatorio Magiſtratu interrogante*, *veluti Conſule*. Plebiſcitum autem plebs *plebejo Magiſtratu interrogante*, *veluti Trib. pl.* conſtituebat. Itaque plebiſcito non univerſus tenebatur populus, verum plebs tantum, lex vero omnem populum, id eſt, Patricios & Senatores æque ac plebem obligabat. Donec lege Hortenſia L. Valerio & Horatio Coſſ. ſancitum fuit, ut quod plebs tributim juſſiſſet, populum teneret. Unde plebiſcita leges quoque appellata fuere.

Quarta tributorum comitiorum cauſa *judiciorum exercitatio*. Scil. ejuſmodi judicia, quæ mulctæ alicui indicendæ cauſa exercebantur. Perſonæ, quibus tributorum comitiorum habendorum jus erat, erant Tribuni pl. Conſules, Prætores, Dictatores. Perſonæ, quæ ſuffragia tulerunt, erant omnes cives Romani, per tribus 35. diſtributi, non ſolum, ut diximus, qui Romæ, verum etiam qui extra urbem in Italia domicilium habebant. Locus, ubi habebantur, non unus erat hiſce comitiis, quemadmodum aliis, ut curiatis & centuriatis, deſtinatus. Verum interdum in *Campo Martio*, aliquando in *Comitio*, nonnunquam in *Pratis Flaminiis*, vel *Circo Flaminio*. De tempore idem dicendum, quod de aliis obſervatum, ſcil. non potuiſſe niſi diebus comitialibus haberi. Et antequam habebantur, indici oportebat a Magiſtratu, qui ea habiturus erat, trinundino antequam haberentur. Notandum vero in hiſce habendis comitiis auſpicia obſervari non ſolitum fuiſſe, ut in aliis moris fuiſſe oſtendimus. Quod de avium inſpectione, & tripudiorum animadverſione intelligendum. Quippe obſervatio de cœlo, ut in aliis, tributis quoque adhibebatur.

Digitized by Google

Populus ſuffragia daturus in tribus diſcedebat. Deinde ſortitiones fiebant. Quæ variæ erant, ſed quarum omnium prima, in qua tribu Latini ſuffragia ferebant. *Teſtibus datis, Tribuni populum ſummoverunt : Sitellaque allata eſt, ut ſortirentur, ubi Latini ſuffragium ferrent.* Liv. *l.* 25. *c.* 3. Altera ſortitio fiebat inter Tribus, quo ordine quæque earum ſuffragium latura eſſet. In ciſtas autem populus tabellas ſui ſuffragii mittebat per pontes tranſiens. Unde apud Cic. *Pontes diſturbat, ciſtas dejicit.* Multi enim pontes erant, multæque ciſtæ, cum multæ eſſent tribus; in cujus pontis initio ſtabant *Diribitores*, qui populo tabellas miniſtrabant.

Ex multis autem locis conſtat, eum ipſum, qui Comitia tributa habebat, ciſtam deferre colligendis per tribus ſuffragiis, ſolitum fuiſſe, iſque *Rogator* dicebatur. Nominibus Tribuum vero in ciſtam conjectis, quæ prima exierat, prima ſuffragium dabat. Quod jus primi ſuffragium ferendi prærogativa dicebatur. Sitellæ in ſortiendo mentio eſt apud Plaut. *in Caſina act.* 2. *ſcen.* 6. *Appone hic ſitellam ſortis crede mihi.* Et apud Cic. *Dum tabellæ diribuntur, dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit.* Et lib. 1. de nat. Deor. *Ut igitur T. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre de M. Octavio deferentem ſitellam.* Unde apud Turneb. *adverſ. l.* 13. *c.* 13. vetuſtæ legis fragmentum, *Ad ſitellam ſorti veniet is, in eam ſitellam manum dimittito.* Iterum: *Sortem ex hacce lege apertam brachioque aperto literam digitis opertam.* Colligebantur autem ſuffragia viritim, ita ut omnes, qui ex eadem Tribu eſſent, rogarentur, & quum tota tribus ſuffragium tuliſſet, numerabantur ſententiæ, id eſt, tot puncta notabantur in tabella, quot tabellæ ſimiles reperiebantur, & in quam plures conſenſiſſe videbantur, ea tribus ſententia renuntiabatur. Roſin. *antiq. l.* 6. *c.* 20. Et Gruch. *l.* 2. *c.* 4. Obſervandum vero, initio vocibus & ſententiis palam coram omni populo ſuffragia ferre ſolitum fuiſſe, poſtea lege Caſſia a L. Caſſio Longino lata hunc morem ſuffragii ferendi introductum. Verum cum animadverſum, hanc legem mentes hominum tegere, ac cuique libertatem dare, ut quod vellent facerent, promitterentque quod rogarent, ac libidinem occulta-

Digitized by Google

cultaret, ad priſtinam conſuetudinem reditum. Hinc Cic. Orat. *contra Rullum: Sed tamen* (ait) *magnificentius & ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitiis non tabellam indicem tantæ libertatis, ſed vivam vocem præ vobis indicem veſtrarum erga me voluntatum ac ſtudiorum tuliſtis.* Petituri autem Magiſtratum candida veſte induti, unde candidati nuncupati, tribus circuibant; manus ſingulorum prenſabant, & quoſcunque etiam ex infima plebe homines rogabant, ut in conſequendis honoribus ſe ſuis ſuffragiis adjuvarent. Unde Plutarch. in *Coriolano, de more petentes Conſulatum rogabant & prenſabant cives togis in comitiis ſive tunicis amicti, ſive quo magis ea ſpecie ſummitterent ſe ad petitionem, ſive quo ſubjicerent oculis, qui cicatrices habebant, perſpicuas virtutis notas.*

---

§. 21. *Itemque ut eſſent, qui Ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt: qui etiam* Ædiles *appellati ſunt.*

Itemque ut eſſent, qui Ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt: qui etiam Ædiles appellati ſunt.] Tres in Republica Ædilium ordines fuiſſe apud Veterum monumentorum auctores legimus, quorum alii *Plebeji*, alii *Curules*; alii *Cereales*. Plebeja vero Ædilitas cæteris vetuſtior, utpote quæ cum Tribunatu plebis Reipub. inducta. Quanquam non ſimul cum Tribunis in monte ſacro creati ſint, ut tradit Dionyſ. *l.* 6. Verum cum, inita inter patres & plebem concordia, plebs, quæ in montem ſacrum ſeceſſerat, in urbem rediiſſet, a Senatu petiit ſibi permitti quotannis duos e plebe viros deſignent, qui Tribunis ſubminiſtrent quicquid opus ſit: & lites, quas Tribuni eis commiſerant, judicent, ædiumque ſacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habeant. Hoc quoque per Senatum conceſſo, creaverunt quos tum miniſtros & collegas ac judices Tribunorum appellabant, nunc vero ab officio una vernacula lingua Ædiles (id eſt, Sacrarum Ædium curatores,)

tores,) vocant, poteſtatem habentes alterius Magiſtratus miniſtram, ut antea. Ædiles itaque appellati, inquit Pomponius, quod ædibus præerant; & Ædibus quidem ſacris, iiſdemque publicis; & videtur Pomponius verbum *Ædibus* ad Ædem ſacram Cereris ſolummodo referre, in qua omnia ſua ſcita plebs deferebat, & Senatus quoque Conſulta aſſervabantur, *ab iiſdem Conſulibus inſtitutum, ut Senatuſconſulta in Ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque.* Liv. *l.* 3. *c.* 55. Quod munus imperante Auguſto tranſlatum ad Quæſtores, penes quos manſit perpetuo ætate Cæſarum eorum cuſtodiendorum cura, & mutata illa conſuetudine, in intimo reponebantur ærario. Pomponio quoque adſtipulatur Varro. Teſtatur quoque Zonaras *Annal. Tom.* 2. *Creatis Tribunis duos iis fuiſſe adjunctos Ædiles, quorum miniſteriis ad literas uterentur. Qui cum omnia decreta, omnia plebiſcita, & Senatuſconſulta acciperent atque aſſervarent, nihil eos eorum omnium quæ agebantur latebat. Olim igitur his de cauſis, dicundi juris ergo creabantur. Poſt autem cum alia, tum rerum venalium forum eis eſt commiſſum. Unde à Græcis* ἀγορανόμοι *appellantur.*

Videtur ſecundum Pomponii mentem initio ſacrarum tantum ædium curam ad Ædiles pertinuiſſe, verum poſtea privatarum quoque ædium aliarumque rerum curam habuiſſe teſtantur ſcriptores. Cum enim urbis intererat, ne in ea domus ruinoſæ eſſent vel inordinate extructæ, quo aſpectus deformaretur, privatarum quoque ædium curam egerunt, teſte Varrone *l.* 4. Præterea curabant, ut loca publica, Theatra, ſtadia, fora, porticus, Baſilicæ, atque mœnia, magnificis operibus reficerentur. Tum quoque feriarum & ſacrificiorum certaminumque curam Senatus Ædilibus commiſit.

Viarum, cloacarum, aquæductuum publicorumque quaſi omnium operum tutela atque cura iis commiſſa. Inſuper menſurarum ac ponderum, rerumque in urbe venalium examen iis erat. Unde Juvenalis *Satyr.* 10. *verſ.* 102.

Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Ædilis Ulubris.

Et

Et Perſ. Sat. 1. verſ. 130.

- - - Italo quod honore ſupinus,
Fregerit Heminas Arreti Ædilis iniquas.

Hemina eſt menſuræ genus dimidium ſextarii continens. Verum quia Ædiles menſuris præerant, pro qualibet menſura hic ponitur, quas iniquas frangebant. A Græcis dicuntur μέτρα κοβολὰ *mutilæ* menſuræ, ut πλασὰ falſæ, apud Plaut. *Si quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes, ædilitatem gerit.* Et in *l.* 13. §. 8. *ff. locati. Si quis menſuras conduxerit, eaſque Magiſtratus* (ſcil. Ædilis) *frangi juſſerit, ſiquidem iniquæ fuerint &c.* Plura adhuc de Ædilitate, ubi ad §. 26. pervenerimus.

---

§. 22. *Deinde cum Ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet: ut eſſent illi qui præeſſent, conſtituti ſunt* Quæſtores, qui pecuniæ præeſſent: *dicti ab eo, (quod) inquirendæ, & conſervandæ pecuniæ cauſa creati erant.*

Deinde cum Ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet] Ærarium aliquando ſumitur pro loco & repoſitorio ipſius pecuniæ publicæ. Ut apud Cæſ. *de bell. Civ. Quibus rebus Romam nunciatis tantus repente terror invaſit, ut quum Lentulus Conſul ad aperiendum ærarium veniſſet, ad pecuniam Pompejo ex Senatuſconſulto proferendam, protinus aperto ſanctiore ærario ex urbe profugeret.* Nonnunquam denotat ipſam pecuniam quæ in ærario recondita aſſervabatur. Dictum ab ære, quod veteres ærea utebantur pecunia Hinc Iſidorus *lib.* 16. *Antiquiſſimi, nondum auro argentoque invento, ære utebantur, nam prius ærea pecunia in hominum uſu fuit, poſtea argentea, deinde aurea ſubſecuta, ſed ab ea qua cœpit, nomen retinuit, unde & ærarium dictum, quia prius tantum æs in uſu fuit, & ipſum ſolum recondebatur.*

Digitized by Google

debatur. Servius Romanorum Rex primus æs ſignavit nota pecudum, unde pecunia appellata, Plin. *l.* 33. *c.* 3. Quanquam alii ad Saturnum primum nummorum ſignandorum & monetæ in formam cudendæ uſum referant, in qua ab una parte caput ejus impreſſum, altera navis, qua in Italiam vectus erat, apud Tertull. *Apologet. adverſ. Gent. cap.* 10. *Si quæras rerum argumenta, nuſquam invenio fideliora, quam apud ipſam Italiam, in qua Saturnus poſt multas expeditiones, poſtquam Attica hoſpitia conſedit, exceptus à Jano, vel Jane, ut Salii volunt; mons quem incoluerat, Saturnius dictus; civitas, quam depopulaverat, Saturnia uſque nunc eſt, tota denique Italia poſt Oenotriam, Saturnia cognominabatur; ab ipſo primum tabulæ, & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet.* Hinc Ovid. in 1. *Faſt.*

Multa quidem didici; ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Æs Janus primus ſignavit, *Macrob. Satur. l.* 1. Hinc quoque ærarii præſidem appellavere. Æs itaque pro omni pecunia ſive argento ſive auro facta. Seneca de benef. *l.* 5. *cap.* 14. *Æs alienum habere dicitur & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit.* Ærarium autem in æde Saturni a Valerio Publicola conſtructum, conſtitutum voluerunt.

Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit Æra,
Veſtaleſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.

Æs, inquit Vet. Scholiaſt. in *æde Saturni condebatur, nondum argento auroque ſignato. Unde ærarium nomen accepit &c.* Rationem, quamobrem potiſſimum ædem Saturni præ cæteris locis Romani elegerint, tradunt, quia aureo illo ſeculo, quo Saturnus vixit, Italiamque incoluit, nullum admiſſum furtum, aut, ut Macrobius ait, quia ſub illo nihil erat privatum. Vel ut alii volunt, ob reverentiam ſacri loci, qui inviolabilis cenſebatur, ideoque tutiſſima credebantur, quæ in iis deponebantur. Verum illorum ſententiæ ſubſcribo, qui cenſuerunt,

Digitized by Google

fuerunt, Valerium Publicolam Saturni ædem æris publici, legum, Senatuſconſultorum tabularumque publicarum, & ſignorum militarium Sacrarium eſſe voluiſſe, quia locus erat provida naturæ manu munitiſſimus, omni aditu perſeptus, undique præruptus, acceſſu difficillimus. Plutarch. *in Problem. Qui* (inquit) *Saturni templo utuntur loco ærarii ibidemque contractuum monumenta adſervant? An quia obtinuit opinio, regnante Saturno avaritiam apud homines, injuſtitiam locum non habuiſſe, ſed fidem & juſtitiam? Aut quia Deus ille fructibus atque agriculturæ præeſſe creditur? Ex ubertate autem frugum & venditione pecuniæ naſcitur copia. Itaque Saturnum auctorem cuſtodemque ejus faciunt. Aut* (inquit) *hæc quidem vetuſta ſunt. Primus autem ædem Saturni ærarium fecit poſt Reges exactos Valerius Publicola, cum ſentiret locum iſtum munitum eſſe, & conſpicuum, ab inſidiis tutum.*

Ærarium Romæ triplex fuiſſe, opinantur quidam. Unum, in quo civium tributa, ac ſacrorum vectigalia, & prædæ Imperatorum aſſervabantur, quibus ſumptus bellorum ordinarii ſuſtinebantur. Alterum ſanctius. Tertium fuit, in quo pecunia Gallici belli cauſa ſervabatur, de quo Appianus *l.* 2. *de bell. Civ. Poſt hæc* (inquit) *perfregit Cæſar rarium, Tribuno pl. Marcello obſtanti mortem minatus, inde ſiſteret; pecuniaſque ad id temporis intactas abſtulit, quas ferunt per Gallicos tumultus depoſitas cum execratione publica in caput cujuſcunque contrectare auſi, niſi cauſa Belli Gallici. Ajebat enim, religione ſolutam Rempub. perdomitis a ſe Gallis, ut nihil inde ſit periculi.* Dionyſ. & Plutarch. vero Ærarium in univerſum ab eo expilatum tradunt. Verum illud Ærarium, quod a Cæſare expilatum ſcribunt, a Floro appellatur ſanctum. *Ærarium* (inquit) *quoque ſanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, juſſit effringi: cenſumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium.* Nonnulli tantum duplex fuiſſe ærarium volunt: unum quod *Vulgare*, in quo, ut diximus, communis Reipub. cenſus & ordinaria recondebantur tributa. Alterum *Sacrum*, quod ad ultimam Reipub. neceſſitatem & extremam ſublevandam laborantis Reipub. fortunam deſtinatum erat, in quo aurum viceſimarium, quod ex viceſimis redactum, reponebatur. Quod

& Ærarium ſanctius appellatum, de quo Liv. *l.* 27. *cap.* 12. *Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Conſulibus, aurum viceſimarium, quod in Sanctiore ærario ad ultimos caſus ſervaretur, promi placuit.* Et Cic. *l.* 7. *ad Atticum Epiſt.* 21. *Capuam Cn. Caſſius Trib. pl. venit, attulit mandata ad Conſules, ut Romam venirent, pecuniam de Sanctiore ærario auferrent, ſtatim exirent urbe relicta.* Cæſar *l.* 1. *bel. Civ. Lentulus Coſ. aperto Sanctiore ærario ex urbe profugit.* Sed & tertium addit Manutius, ſcil. illud, quo effracto, cum per annos multos clauſum fuiſſet, C. Cæſar pecuniam univerſam belli civilis initio ſumpſit, in quo conditum fuit aurum, quod in uſum Gallici belli erogandum aſſervabatur. *Cum autem* (inquit Manutius) *tria æraria memorantur, diſtinguuntur pecuniæ potius, quam loca: cum in uno Saturni templo publicæ omnes pecuniæ aſſerventur, ſed in eo templo tres fuiſſe cellas, in quibus theſauri publici reponerentur, licet exiſtimare.* De effracto à Cæſare ærario ita canit Lucanus:

- - - - - - tum conditus imo,
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi,
Quos tibi Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Frabricius Regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,
Victoriæque dedit Minoia Creta Metello,
Pauperiorque fuit tum primum Cæſare Roma.

Quantum vero pecuniarum inde abſtulerit, tradit Plin. *l.* 33. *cap.* 3. ubi inquit: *C. Cæſar primo introitu urbis in civili bello ſuo ex Ærario protulit laterum aureorum XXVI. M. & in numerato pondo CCC. M. & fuit aliis temporibus Reſpub. locupletior.* Præterea non recondebantur tantum in ærario, ut dicere incepimus, opes Reipub.; verum & Senatuſconſulta, & leges in ære inciſæ, & tabulæ publicæ in eo ſervabantur. Unde Cic. 3. *in Verr. Primum mihi literas publicas, quas in ſanctiore ærario*

rio conditas habebant, proferunt. Et apud Suet. *in Aug. cap.* 9. *Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos quam naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur Regem populo Romano naturam parturire: Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, quoad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe ne Senatuſconſultum ad ærarium deferretur.* Idem in *Jul. Cæſ. cap.* 28. *Acciderat autem, ut is legem de jure Magiſtratus ferens, eo capite, quo à petitione honorum abſentes ſummovebat, ne Cæſarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox lege jam in æs inciſa & in ærarium condita, corrigeret errorem.* In ærarium enim ſemel relatis legibus, nil ex illis abſque nova ad populum rogatione mutari poterat. Suet. *in Auguſt. cap.* 49. mentionem facit ærarii militaris, a militibus, quorum cauſa conſtitutum, ſic dictum; ex illo enim pecunia militibus dividenda promebatur. *Ærarium* (inquit) *militare cum vectigalibus novis inſtituit.* Anno *V. C.* 758. ut Phig. refert, *M. Æmilio & L. Arruntio Coſſ.* Dionyſ. *l.* 55. tradit Anno V. C. 759. *M. Æmilio, deinde Lepido, L. Arruntio Coſſ. quum nullus reditus excogitari poſſet, quem omnes probarent; omneſque eum quæri indignarentur, Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militaris nomen indidit, intulit. Verum* (inquit) *cum hæc pecunia ſumptuum magnitudinem minima parte attingeret, ac perenni copia eſſet opus, Senatoribus negotium dedit, ut pro ſe quiſque aliquam rationem inveniret.* Cum autem multæ variæque de eo propoſitæ fuiſſent ſententiæ, nulla earum probata, *inſtituit, ut vigeſima pars hæreditatum ac legatorum, exceptis iis, quæ proxime genere junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferretur.* Verum poſtea anno V. C. 766. quia vigeſimæ penſio adeo omnibus fere moleſta erat, ut videretur aliquid novi motus excitatura, miſſo in Senatum libello, aliorum redituum excogitandorum negotium eis dedit: multis ea re in Senatu ſermonibus agitata, nonnulliſque etiam ſibi per literas indicatis, quum quidvis eos facilius quam vigeſimam toleraturos intelligeret, in agros & domos penſionem tranſtulit, ac confeſtim, non oſtenſo quantum aut quo pendendum cuilibet modo fo-

Digitized by Google

ret, alios alio dimiſit, qui privatorum ac civium facultates deſcriberent: qua ratione effecit, ut mallent vigeſimam pendere, quam novum illud ſubire onus. Dionyſ. *l.* 56. Alia quoque nova huic militari ærario conſtituit vectigalia, quibus tanquam ſubſidio niteretur. Ea fuere 1°. centeſima rerum venalium, id eſt, centeſimus quiſque nummus rerum auctione venditarum. Quare appellat Suet. *in Calig. cap.* 16. *Centeſimam auctionum.* Hinc apud Tacit. *Annal. in fin. Centeſimam rerum venalium poſt bella civilia inſtitutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti.* Quam poſtea Tiberius ducenteſimam fecit, ut Tacit. ſcribit *l.* 2. *Regnum in provinciam redactum eſt, fructibuſque ejus levari poſſe centeſimæ vectigal profeſſus Cæſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit &c.* Hanc poſtea remiſit C. Cæſar Caligula, ut ex nummo ejus æreo videre eſt, in cujus una parte inſcriptum, C. CÆSAR DIV. AUG. PRON. AUG. S. C. in altera, COS. QUAT. PON. M. TR. P. IIII. PP. R. CC Hoc eſt, *Remiſſa ducenteſima.* Et in nummo Galbæ, R. XL. Hoc eſt, *remiſſa quadrageſima*, ut apud Urſinum de Numiſ. legimus. Apud Tacit. *l.* 13. *Manet tamen abolitio quadrageſimæ quinquageſimæque, & quæ alia ex actionibus illicitis publicani invenerant.* Bona quoque damnatorum in ærarium militare relata fuiſſe, teſtatur Zonaras, qui Agrippæ Poſthumii nepotis Auguſti bona in ærarium relata refert. Sic quoque legem Papiam Poppæam incitandis cœlibum pœnis & augendo ærario, quam Auguſtus ſanxit, inſerviiſſe, tradit Tacit. 3. *Annal. M. Pappio Mutilo & Cn. Poppæo Coſſ.* Quanquam & ante legem ab Auguſto latam tradit Valer. *l.* 2. *c.* 9. obtinuiſſe, ut ii, qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, æra pœnæ nomine in ærarium detulerint.

Poſtquam vero imperium Romanum ad Cæſares devolutum eſt, Principes ærarium ſuum habuere, diverſum atque diſtinctum ab ærario populi, quod & fiſcus appellabatur, id eſt, proprium Principis ærarium. *Res enim fiſcales quaſi propriæ & privatæ Principis ſunt. l.* 2 *§ 4. ff. ne quid in loc. pub.* Et Plin. *ad Trajanum: Ac fortaſſe* (inquit) *non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes, imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo,*

Digitized by Google

tuo, quam de publico credis. Seneca de benef. *lib. 7. cap. 6. Cæſar omnia habet, fiſcus ejus privata tantum ac ſua, & univerſa in imperio ejus ſunt, in patrimonio propria.* Et apud Ælium Spart. in *Adriano: Damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta.* Sermonem hic habet de fiſco privato, ſive privato ærario, quaſi alius eſſet fiſcus præter privatum Principis, qui ſcil. publicus dicitur. Privati ærarii etiam mentio apud Cornel. Nep. *in vita Attici cap. 8. Excogitatum eſt* (inquit) *a quibuſdam, ut privatum ærarium, Cæſaris interfectoribus ab equitibus Rom. conſtitueretur. Id facile effici poſſe arbitrati ſunt, ſi & principes illius ordinis pecunias contuliſſent.* Et alibi Spartianus *in Adriano: Quæ Antonius in privatum ærarium congeri noluit; quare, Senatu præcipiente, in ærarium publicum ſunt relata.* Quod Ærarium pepuli Romani aliquando quoque fiſci nomine denotatur apud Spartian. eſt *in Adriano: Ad colligendam* (inquit) *gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit &c.* Habet igitur Princeps fiſcum ſeu ærarium privatum, quod proprium ejus patrimonium, quod alio peculiari, quam dignitatis titulo ſibi acquiſivit, vel donatione, vel emptione, vel legato aut hæreditate. Unde a Zenone in *l. 2. Cod. de quadrien. præſcript.* hæc diſtinctio obſervata. Et *l. 3. §. 10. ff. de jure fiſci. Si in locis fiſcalibus, vel publicis religioſis aut in monumentis theſauri reperti fuerint: Divi fratres conſtituerunt, ut dimidia pars ex his fiſco vindicaretur, item ſi in Cæſaris poſſeſſione repertus fuerit, dimidiam æque partem fiſco vindicari.* Utriuſque ærarii mentio in *l. unic. Cod. de Quæſt. & Magiſt. off.* Sic quoque *Inſt. de rer. diviſ. §. 38. locus Cæſaris* diſtinguitur a *loco, qui ad fiſcum pertinet.* Poteſt definiri fiſcus, *quod ſit jus majeſtatis circa reditus publicos, ſive circa Reipub. patrimonium, ad tuendam dignitatem & potentiam ſuam Imperantibus conceſſam.*

Hodie vocatur *Domeynen*, Gallis *Domanium Coronæ ſive Franciæ. Quod* Grotius vocat *patrimonium populi, cujus fructus deſtinati ſunt ad ſuſtinenda Reipubl. & regiæ dignitatis onera. lib. 2. cap. 6. de jure bel. & pac.* quod conſequenter a Regibus

alienari nec in totum nec pro parte poteſt. Cum in hoc jus majus fructuario non habet. Unde apud Thuanum *lib.* 63. *anno* 1577. ubi Rex ordinibus communicat, ſe, ſi caſus ferat, ut ad arma devenire neceſſe eſſet, pecunia indigere, ideoque ad collationem in tam juſtum bellum faciendam, ſe decreviſſe C̄ aureorum annuorum, CIↃ ex patrimonio regio in perpetuum alienare: idque ut accedente ordinum auctoritate fiat, expetere, Æmarus Burdegalenſis Præſes ordinum nomine reſpondit, *& nullo caſu alienari a Rege patrimonium coronæ multis verbis diſſeruit. Quippe cujus Rex tantum ſit uſufructuarius, proprietate penes regnum manente: quam nullo tempore alienatam, ne quidem extrema neceſſitate urgente. Cum Joannes Rex apud Anglos captivus eſſet, meminerint homines: quippe fulcrum & columen regni illud eſſe, quod ſacrum inviolabile & proinde inalienabile majores ſemper exiſtimaverint.*

Populi autem Romani ærarium a primordio Reipub. exiguum & tenue fuit, verum interjecto tempore, tot provinciis, tot regionibus devictis Romanoque imperio adjectis, propagatisque longe lateque imperii finibus, indies magis magisque aucta ſunt populi Romani vectigala atque tributa, & inde auctius magis cœpit eſſe ærarium.

Ut eſſent, qui illi præeſſent, conſtituti ſunt Quæſtores, qui pecuniæ præeſſent] Origo Quæſtoribus creandis antiquiſſima eſt, & pene ante omnes magiſtratus, inquit Ulpianus *l. unic. ff. de off. Quæſt.* Gracchanus Junius *lib.* 7. *de poteſtatibus.* etiam ipſum Romulum & Numam Pompilium binos Quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicuti dubium eſt, an Romulo & Numa regnantibus Quæſtor fuerit; ita Tullo Hoſtilio Rege Quæſtores fuiſſe, certum eſt. Sane crebrior opinio eſt apud veteres, Tullum Hoſtilium primum in Rempub. induxiſſe Quæſtores. Hinc apud Tacit. *lib.* 11. *Sed Quæſtores, Regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit, ab L. Bruto reperta. Manſitque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret.* Contra Canulejus Tribunus pl. apud Liv. *l.* 4. *c.* 4. nullos Quæſtores, Regum fuiſſe tempore, tradit. *Quid* (inquit) *poſtea? nullane res nova inſtitui*

Digitized by Google

ſitui debet? & quod nondum eſt factum (multa enim nondum ſunt facta in novo populo) ea, ne ſi utilia quidem ſint, fieri oportet? Pontifices, Augures, Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati ſunt: cenſus in civitate, & deſcriptio centuriarum claſſiumque, quæ non erant, a Servio Tullio eſt facta: Conſules unnquam fuerant, Regibus exactis creati ſunt. Dictatoris nec imperium, nec nomen fuerat, apud patres eſſe cœpit. Tribuni plebis, Ædiles, Quæſtores nulli erant: inſtitutum eſt ut fierent. Plutarchus in *Poplicola*, eorum primam inſtitutionem ad *P. Valerium Poplicolam* refert, inquiens: *Quum eſſet enim ad bellum collatione ſtipendii opus, pro facultatibus civium, quod pecuniam neque ipſe tractare vellet, neque permittere amicis, nec vero ut omnino in tecta privata pecunia publica deferretur, attribuit ærario templum Saturni, quo ad noſtram uſque ætatem utuntur, populoque conceſſit, ut duos Quæſtores crearet.* Idem affirmat Zonaras Tom. 2. pag. 20. ubi de Poplicola differens, *Pecuniæ* (inquit) *tractationem alii mandavit, ne Conſulum per eam potentia augeretur, tum primum Quæſtoribus deſignatis. Ii principio cauſarum rerum capitalium cognitioni præfuere, ab inquiſitione veritatis Quæſitores appellati? Poſt etiam ærario ſunt præfecti, judiciis aliorum curis commiſſis.* Phigius 2. *Annal. V. C.* 244. auctores conciliare volens ex iis, quæ ex Zonara deſcripſimus, argumentatur, quod ſi fuerint Regum tempore iidem, quos Sex. Pomponius parricidii, & Livius perduellionis Duumviros appellat, a quibus ob ſororem occiſam, Horatium trigeminum damnatum ambo ſcribunt; non male profecto Junius Gracchanus tradit, Romuli & Tullii Hoſtilii tomporibus Quæſtores fuiſſe. Ipſos quidem, Regibus expulſis, Conſulum tempore, perduellionis, ſicut anno urbis 266. item falſi, ut anno 294. aliorumque criminum cognitioni præfuiſſe. Et veroſimile eſt Quæſtorum munus ab initio tempore Regum de perduellione aliiſque criminibus anquiſiviſſe, & ſecundum leges de illis cognoviſſe & judicaſſe; poſtea vero Regibus exactis, publicæ pecuniæ curam iis commiſſam & annuatim populo a Valerio Poplicola Quæſtores creandi poteſtatem conceſſam, qui ærario præeſſent, & pecuniæ tractationem haberent. Qui abs re no-

nomen acceperunt, id eſt, ab inquirenda vel quærenda pecunia Quæſtores dicti, ut inquit Pomponius. Et Varro *l.* 4. Quicquid autem ſit, veriſſimum eſt Quæſtores hoſce pecuniarios libera Repub. creatos, cum, ut Pomponius inquit, aucto ærario, opus fuit, qui præeſſent. Id accidit anno U. C. 269. ſi Dionyſ. & Liv. habenda fides. Plutarch. ad annos primos jam partæ libertatis refert. Et primo quidem duo creati, teſte Plutarcho, *Publius Veturius & M. Minucius*, & quidem ex patriciis; donec, ut inquit Tacitus, *eum quoque honorem populus mandaret*. Quod accidit anno Urb. 345. quando tres ex plebe creati ſunt Quæſtores, Liv. *l.* 4. *c.* 43. *& cap.* 54. *eod.* Livius autem *l.* 2. *cap.* 41. primos Quæſtores *Cæſonem Fabionem & L. Valerium. C. Fabio & Servio Cornelio coſſ.* nominat. Dionyſius quoque alterum horum nominat *Cæſonem Fabium.* Tacitus autem alterum *Æmilium Mamercum* vocat: Verum Plutarchus, ut modo allegavimus, plane diverſos ab hiſce Quæſtores nuncupat. Creati autem primum anno poſt Tarquinios exactos 63. ut ſcribit Tacitus, in qua computatione a Dionyſio & Livio iterum recedit, ſed perperam. Quippe ſi eum ſequamur, circa annum demum urbis 308. Quæſtores creatos ſtatuere neceſſe eſt. Quod a vero plane alienum, cum apud Livium & Dionyſium poſt annum 269. ſæpius Quæſtorum mentio. Quare pro 63. legit Lipſius 23. ut ratio conſtet.

Fuere itaque initio duo Quæſtores, ad quos omnis publicæ ſive Urbanæ pecuniæ cura pertinebat, quique ærario, quod in æde Saturni erat, ut jam diximus, præerant. Poſtea duo adhuc creati, qui Conſulibus ad miniſteria belli præſto eſſent, & pecuniam militarem adminiſtrarent. Vid. Liv. *l.* 4. de quibus ſtatim. Occurrit nobis hic examinanda quæſtio, an Quæſtores Urbani inter Magiſtratus numerandi? Coraſius ad *h. t.* negat fuiſſe Magiſtratus, quia nullo fungebantur imperio: qui nec prehenſionem, nec vocationem, & ita nec lictores, nec viatores habebant, ideoque a privato ad Prætorem in jus vocari poterant, ut ex *M. Varr. l.* 21. *rer. human.* ſcribit Gell. *l.* 13. *c.* 13. Verum meo judicio, fallitur Coraſius. Magiſtratum enim eſſe vel ex eo intelligimus, quod populi creabatur ſuffragio,

Digitized by Google

fragio, *l. unic. ff. de offic. Quæſt.* Comitiis curiatis olim, ut apud Tacitum. Magiſtratuum creatione populo jam initio ab ipſo Romulo Romæ fundatore conceſſa. M. Tullius Quæſtorem ſocium Proconſulis facit in publico munere adminiſtrando. Imo in *divinatione* Juriſdictionem tribuit Quæſtori: *Ubi hoc Quæſtori Cæcilio viro optimo, & homini æquiſſimo nunciatum eſt, vocari ad ſe Agonidem jubet. Judicium dat ſtatim: ſi pareret, eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe. Judicant recuperatores id, quod neceſſe erat: neque erat cuiquam dubium, quin illa dixiſſet. Iſte in poſſeſſionem bonorum mulieris mittit. Ipſam Veneri in ſervitutem adjudicat.* Verum aperte Gell. citato loco, cum inquit; *Quæſitum eſſe memini in pleriſque Romæ ſtationibus jus publice docentium aut reſpondentium, an Quæſtor populi Romani ad Prætorem in jus vocari poſſet: id autem non ex otioſa quæſtione agitabatur: ſed uſus forte natæ rei ita erat, ut vocandus eſſet in jus Quæſtor. Non pauci igitur exiſtimabant jus vocationis in eum Prætori non eſſe: quoniam Magiſtratus procul dubio populi Romani eſſet, & neque vocari, neque, ſi venire nollet, capi aut prendi, ſalva ipſius Magiſtratus majeſtate, poſſet.* Et Varronis ſententiam profert, qui ſcripſit, „Hos Magiſtratus in jus vocari poſſe, qui poteſtatem neque „vocationis neque prehenſionis habent.„ Ex quibus perſpicimus, Magiſtratus Romæ fuiſſe, qui neque prehenſionem neque vocationem habuere. Quod & alibi etiam teſtatur Varro *lib.* 12. *apud Gell. c.* 12. cum inquit: *In Magiſtratu alii habent vocationem, alii prehenſionem, alii neutrum. Vocationem, ut Conſules, & cæteri qui habent imperium. Prehenſionem, ut Tribuni plebis, & alii qui habent viatorem. Neque vocationem neque prehenſionem, ut Quæſtores & cæteri, qui neque lictorem habent neque viatorem.* Merito igitur Pomponius Quæſtores Magiſtratibus annumerat. Fuit autem Quæſtura primus honoris gradus, namque hinc aditum reliquis adeuntibus Magiſtratibus auſpicabatur. Siquidem primis experimentis Quæſturæ initiati, qui nullis ante honoribus uſi erant, inculpatæ vitæ teſtimonio ad Ædilitatem, mox Præturam, & demum Conſulatum evehebantur. Alexand. ab Alex. *cap.* 2. *lib.* 2. *Quæſtura non honoris ipſius finis, ſed patefactus ad Conſula-*

ſulatum ac triumphos locus novis hominibus videbatur. Liv. *lib.* 4. *cap.* 54. Unde Appian. Alex. *de bel. civ. lib.* 1. *Sylla* (inquit) *neque aliquem prius Prætorem quam Quæſtorem eſſe voluit, nec Conſulem antequam &c.* Et *l.* 11. *ff. de Muner. & honor. Ut gradatim honores deferantur, edicto, & ut a minoribus ad majora perveniatur, epiſtola Divi Pii ad Tatianum exprimitur.* Et in *l.* 14. *§.* 5. *Gerendorum honorum non promiſcua facultas, ſed ordo certus huic rei adhibitus eſt: nam neque prius majorem Magiſtratum quiſquam, niſi minorem ſuſceperit, gerere poteſt; neque ab omni ætate, neque continuare quiſquam honores poteſt.* Et Ulpianus *l. unic. ff. de offic. Quæſt.* §. 3. dicit Quæſtoriam dignitatem *ingreſſum eſſe & quaſi primordium honorum gerendorum, ſententiæque in Senatu dicendæ.*

Urbanorum Quæſtorum munus, ærarii & vectigalium populi Romani curam gerere, ut ſupra diximus: tum ſi quid pecuniarum publice vel privatim erogari, vel in ærarium condi deberet, ad eorum curam pertinebat. Inde captis a Marcello Syracuſis Quæſtor cum præſidio ad Naſum ad accipiendam pecuniam regiam, cuſtodiendamque miſſus, Liv. *l.* 25. *c.* 31. Cumque exercitus ſcribi, & legiones in campum duci oporteret, ſigna militaria ex ærario depromere, atque ad Conſules in expeditionem ituros mittere. Hinc apud Liv. *l.* 3. *c.* 69. *Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus, ut ſigna eo ipſo die a Quæſtoribus ex ærario prompta delataque in campum quarta diei hora, mota ex campo ſint.* Legatos ab ultimis terrarum oris Romam venientes, pro dignitate populi Romani excipere, iiſque obviam proficiſci ipſorum demandabatur curæ, publicum hoſpitium & munera, quæ lautia dicta ſunt, commeatus large & hoſpitaliter exhibere, & quandoque veſtimenta per Quæſtorem Reipub. nomine præſtabant legatis eorumque comitibus. Sic Pruſiæ Bithyniæ Regi Romam venienti datus, qui circumduceret eum L. Cornel. Scipio Quæſtor, qui & Capuam ei obviam miſſus fuerat: & ædes, quæ ipſum comiteſque ejus benigne reciperent, ab eo conductæ. Liv. *l.* 45. *cap.* 44. Valer. Max. *l.* 5. *c.* 1. & *l.* 6. *c.* 6. *n.* 5. *Legatos ab Urbe Apollonia Romam miſſos, Cn. Fabius, & Cn. Apronius ædiles orta contentione pulſaverant; quod ubi comperit,*

con-

Digitized by Google

continuo eis per Feciales legatos dedit, Quæſtoremque cum his Brunduſium ire juſſit, ne quam a cognatis in itinere deditorum injuriam acciperent.

Quod autem ad commeatus & veſtimenta attinet, ſcribit Liv. *l.* 42. *c.* 6. Legato Antiochi Regis centum millium æris munus miſſum, & ædes liberas hoſpitio datas, ſumtumque decretum, donec in Italia eſſet. Sic *Legatis Maſiniſſæ Regis in ſingulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millibus æris: & veſtimenta bina legatis, ſingula comitibus, Numidiſque; qui ex cuſtodia miſſi redderentur Regi, ad hoc ædes, libera loca, lautia legatis decreta.* Liv. *l.* 30. *c.* 17. Duo igitur principio Quæſtores urbani vel ærarii dicebantur, quorum curæ ea, quæ jam enumeravimus, demandata erant. Poſtea cum de plebe promiſcue etiam fieri cœperunt, duo adhuc creati, qui rem militarem comitabantur, & Conſulibus apud exercitum aderant, annonam, ſtipendia & commeatus ſuppeditantes. Privatam militum pecuniam apud ſigna depoſitam cuſtodiebant, manubias ærario Pop. Rom. publicandas recipiebant, & de his apud Quæſtores urbanos reddebant rationem, Phig. *lib.* 2. Qui numerus manſit uſque dum Italia tota ſtipendiaria facta, tum octo ad tractanda provinciarum vectigalia, in quas cum Proconſulibus & Proprætoribus ſorte mittebantur, facti ſunt. E quibus duo in urbe manebant, reliqui in provinciis rem curabant. Tacit. *l.* 11. *Mox duplicatus numerus, ſtipendiaria jam Italia, & accedentibus Provinciarum vectigalibus.* Quod accidit circa annum urbis DCLXXXVIII. Poſtea lege Syllæ ad viginti numerum auctum, ut de fontibus pœnas exigerent, tradunt auctores. Vid. Tacit. *d. loco.* Quem numerum C. Julium Cæſarem iterum duplicaſſe, teſtatur Dio *l.* 43. ubi inquit: *Numerus autem Magiſtratuum in reliquis idem qui ante obſervabatur, ſed Prætores quatuordecim, quadraginta Quæſtores facti ſunt.* Notandum vero, Quæſtoribus Provincialibus ampliorem conceſſam poteſtatem, majuſque datum imperium, quam cæteris. Itaque conceſſum ut lictores haberent, utque veſtem cæteraque Magiſtratus inſignia in Provinciis ferre, ac de iſtiuſmodi negotiis jus dicere poſſent. Unde Cic. *in Verr.* 3. *Ne diutius*

teneam, pecunia attributa numerata eſt. Profectus eſt Quæſtor in Provinciam: venit in Galliam exſpectatus ad exercitum Conſularem cum pecunia. Hi autem Quæſtores, lictores, & veſtem, & inſignia Quæſtoria habebant. Quod Ciceronis ſignificant verba. *Nam ſimulac me Dyrrachium attigiſſe audivit Plancius, ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abjectis, veſte mutata profectus eſt.* Et 1. in Verr. *Sic enim a majoribus accepimus, Prætorem Quæſtori ſuo, parentis loco eſſe oportere: nullam neque gratiorem, neque juſtiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quam conjunctionem ſortis, quam provinciæ, quam officii, quam publicam muneris ſocietatem.* Scribit vero Dio dicto loco, Anno V. C. 709. a Julio Cæſare ærarii procurationem a Quæſtoribus ad Ædiles tranſlatam, quæ poſtmodo ad Quæſtores non rediit, verum Prætoriis viris demandata: cujus auctorem Auguſtum Suetonius fuiſſe ſcribit *cap.* 36. *Auctor* (inquit) *& aliarum rerum fuit, in queis, ne acta Senatus publicarentur: ne Magiſtratus depoſito honore ſtatim in Provincias mitterentur: ut Proconſulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publicè locari ſolebant, certa pecunia conſtitueretur: ut cura ærarii a Quæſtoribus urbanis ad prætorios Prætoreſve tranſiret.* Quæ forte cauſa fuit, ut Auguſtus Prætorum numerum augeret, ita ſuſpicatur Torrentius. Claudius vero eam Quæſtoribus reddidit. Suet in Claudio *c.* 24. *Collegio Quæſtorum pro ſtratura viarum gladiatorum munus injunxit; detractaque Oſtienſi & Gallica Provincia, curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore Prætores, aut utique prætura functi ſuſtinuerant.* Verum quia deerat robur ætatis eum primum Magiſtratum capeſſentibus, Nero Prætura perfunctos & experientia probatos huic muneri præfecit, ut teſtatur Tacit. *l.* 13. *Dein* (ait) *Princeps curam publicarum tabularum a Quæſtoribus ad Præfectos tranſtulit.* Corrupte hic *Præfectura*, pro Prætura perfunctos legitur, ut vult Torrentius. Quod ſic eſſe ipſe Tacitus *lib.* 4. *Hiſtor.* oſtendit, quo loco etiam ſub Veſpaſiano adminiſtratum a Prætoribus ærarium ſcribit. *Secutum* (inquit) *eſt aliud certamen. Prætores ærarii (nam tunc a Prætoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem queſti, modum impenſis poſtulaverant.* Quod ergo,

go, inquit Torrentius, apud Gellium *lib.* 13. *cap.* 23. legi-
mus curam ærarii a Quæſtoribus ad Præfectum tranſlatum fuiſ-
ſe, id ita intelligemus, ut Præfectus ex Prætoriis fuerit. *Ma-*
nubiæ (inquit) *ſunt, ſicuti jam dixi, non præda, ſed pecunia*
per Quæſtorem Pop. Rom. ex præda vendita, contracta. Quod
per Quæſtorem autem dixi intelligi nunc oportet Præfectum æra-
rio ſignificari. Nam cura ærarii a Quæſtoribus ad Præfectum
tranſlata eſt. Sub Nerone itaque videtur ex Prætoriis creatos
dici Ærario Præfectos: quorum in jure noſtro ſæpiſſime
mentio. Ut in *l.* 15. *§. ult. ff. de jur. fiſ.* & *l.* 42. *eod. l.*
2. *§.* 4. *ff. ne quid in loc. pub.* & paſſim aliis in locis. Cæ-
terum ſilentio non prætereundum quod præter eos, qui ad
colligendam pecuniam provincias ſortiebantur, novum ſub
Imperatoribus cœpiſſe Quæſturæ genus, qui dicebantur Can-
didati *Cæſaris* ſive *Principis*, de quibus Ulpianus *l. unic. ff.*
de offic. Quæſt. qui proprio munere quæſturæ non fungeban-
tur, verum ſolis libris principalibus in Senatu legendis vaca-
bant, quique epiſtolas ejus in Senatu legebant. Quos *voces Re-*
giæ linguæ Caſſiodorus vocat. Suet. in *Nerone cap.* 15. *Ora-*
tiones ad Senatum miſſas, præterito Quæſtoris officio, per Con-
ſulem plerumque recitabat. Sic etiam in Auguſto *cap.* 65. *Nam*
Caji Luciique caſu non adeo fractus, de filia, abſens, ac libel-
lo per Quæſtorem recitato notum Senatui fecit. ita quoque *in*
Tit. cap. 6. *Receptaque ad ſe prope omnium officiorum cura, cum*
patris nomine & epiſtolas ipſe dictaret, & edicta conſcriberet,
orationesque in Senatu recitaret etiam Quæſtoris vice. Tacit.
l. 16. *Oratio Principis per Quæſtorem ejus audita eſt.* Vid.
Dion. *l.* 54. & 55. Vellejus *l.* 2. *c.* 124. ſcribit, ſe & fratrem
ſuum aliquando candidatos Cæſaris fuiſſe. Spartian. *in Ha-*
driano c. 3. *Quæſturam geſſit Trajano quater & Arunculejo*
coſſ. in qua cum orationem Imperatoris in Senatu agreſtius pro-
nuncians deriſus eſſet, uſque ad ſummam peritiam & facundiam
Latinis operam dedit.

Obſervandum vero progreſſu temporis munus & poteſta-
tem Quæſtorum libellis & epiſtolis Principum vacantium adeo
creviſſe & auctam fuiſſe ab ipſis Cæſaribus, ut legibus di-
ctandis, reſpondendiſque precibus, conſiliiſque Imperatori

Digitized by Google

dandis adhibiti fuerint. Unde in epiſtolis Symmachi Quæſtor legum conditor dicitur, & condendarum ſanctionum uſu exercitatus; itaque omnia faciebant, quæ ad munus & dignitatem cancellariorum pertinent, ut reſcripta niſi ab illis ſubſcripta robur haberent. Nov. 114. *cap.* 1. quamobrem Quæſtores ſacri Palatii dicti, & inter illuſtres perſonas relati. *l.* 2. *eod. de offic. Quæſt. & in l.* 32. *cod. de appell.* vocatur *Vir illuſtris Quæſtor ſacri palatii:* ſacris Judiciis præſidens, *Nov.* 126. qualis fuit Tribonianus, ut conſtat ex inſcriptione conſtitutionis de *veter. jur. enucl.* Dicebatur hic Quæſtor apud Græcos πάρεδρος, ut teſtatur Procopius *l.* 1. *de bell. Perſ.* eratque ſummus poſt Principem magiſtratus: reſponſa & reſcripta dictabat, omniaque civilia negotia tractabat, ſicuti hodie apud Gallos cancellarius. Balduin. *ad inſt. Proœm.* Patet Quæſturæ dignitas & munus ex Caſſiodoro *l.* 5. *Variar. Epiſt.* ubi Theodoricus Rex Senatui urbis Romæ ita reſcribit: *Omnes quos ad Quæſturæ culmen evehimus, doctiſſimos exiſtimamus, quales legum interpretes & conſilii noſtri decet eſſe participes. Dignitas ejus nec divitiis nec ſolis natalibus invenitur, ſed tantum eam doctrina cum conjuncta poteſt impetrare prudentia. Nam licet in honoribus aliis beneficia conferamus, hinc ſemper accipimus. Eſt nimirum curarum noſtrarum felix portio, januam noſtræ cogitationis ingreditur pectus, quo generales curæ volvuntur, agnoſcit. Æſtimate quid de illo debeat judicari, qui tanti particeps ſit ſecreti. Ab ipſo legum peritia poſtulatur, illuc vota confluunt ſupplicantium, & quod eſt omni theſauro pretioſius, penes ipſum civilitatis noſtræ fama reponitur.*

Dicti ab eo, quod inquirendæ & conſervandæ pecuniæ cauſa creati ſunt.] Superius de nominis derivatione quædam diſputavimus, & ſecundum Varronem a quærendo Quæſtores dictos ſtatuimus. *Lib.* 5. *de ling. lat.* inquit, *Quærere ab eo, quod quæ res ut recuperaretur datur opera: a quærendo quæſtio, ab his conquæſtor.* Verum ut genus quærendi non unum, ita nec unum genus Quæſtorum; nam & Quæſtores rerum capitalium dicebantur, qui quærendarum rerum capitalium cauſa creabantur, de quibus ſtatim.

§. 23 *Et*

Digitized by Google

§. 23. *Et quia, ut diximus, de capite civis Rom. injuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere, propterea Quæſtores conſtituebantur à populo, qui capitalibus rebus præeſſent. Hi appellabantur* Quæſtores Parricidii: *quorum etiam meminit lex* XII. *tab.*

Et quia, ut diximus, de capite civis Romani injuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere, propterea Quæſtores conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus præeſſent.] Judicium publicum ſive capitale primum ipſos Reges exercuiſſe auctor eſt Dionyſius, qui Romulum Regem delicta maxima cognoviſſe, minora Senatoribus permiſiſſe, tradit. Et Liv *l.* 1. *c.* 48. ait, *Tarquinium Superbum cognitiones rerum capitalium, ſine conſiliis per ſe ſolum exercuiſſe: per eam cauſam occidere, in exilium agere, bonis multtare potuiſſe.* Quæ poteſtas exactis Regibus ad Conſules tranſlata fuit, quippe, ut Liv. *l.* tradit, ex Regia poteſtate nihil fuit diminutum, omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuere. Verum poſtea, ut ſuperius ad §. 16. annotavimus, lege Valeria Conſulibus de capite civis Romani jus dicere vetitum fuit; poterat tamen permitti ſpeciali lege vel Senatuſconſulto. Hinc conſtituti ſunt Quæſtores, qui publicis judiciis ſive Quæſtionibus capitalibus præeſſent. Qui Magiſtratus non perpetuam habebat poteſtatem, ſed erat extraordinarius, quoties res poſceret, cum aliquod enorme & atrox crimen animadverſione & extraordinaria pœna dignum, admiſſum eſſet. Ut apud Livium ob ſororem occiſam perduellionis Duumviri creati fuere, qui Horatium perduellionis judicarent. Ipſæ autem Quæſtiones, quibus præerant, extraordinariæ dicebantur, iiſque extra ordinem præficiebantur Quæſtores, quare merito Magiſtratus extraordinarii dicuntur.

Quoties enim ejuſmodi crimen commiſſum erat, toties populus vel plebs rogabatur, num vellet de hoc vel illo quæri, &

Digitized by Google

& plebiſcito quæſtio, cui plebs vellet, decernebatur. Quem uſum & morem judicandi pluribus locis adfert Livius: unde Coſſo & Medullino Coſſ. Anno U. C. CCCXL. *Senatuſconſultum factum ſcribit, ut de Quæſtione Poſthumianæ cædis Tribuni pl. primo quoque tempore ad plebem ferrent: plebſque præficeret Quæſtioni, quem vellet. A plebe conſenſu populi Conſulibus negotium datur. lib.* 4. *c.* 51. Et *l.* 38. *c.* 54. *Hoc auctore exiſtimantur Petilii & vivo Africano rem ingreſſi & mortuo rogationem promulgaſſe, fuit autem rogatio talis: Velitis, jubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, oblata, coacta ab Rege Antiocho eſt, quique ſub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non eſt, uti de ea re Ser. Sulpicius Pr. Urbanus ad Senatum referat? Quem eam rem velit Senatus quærere de iis, qui Prætores nunc ſunt. Omnes tribus, uti rogaſſet, juſſerunt. Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petilia quærere vellent, C. Terentium Culleonem patres juſſerunt.* Sic quoque *lib.* 9. *c.* 26. *Cum omnia infida Romanis eſſent, Capuæ quoque occultæ principum conjurationes factæ, de quibus cum ad Senatum relatum eſſet, Dictatorem quæſtionibus exercendis dici placuit. C. Nævius dictus.* Atque in hunc quidem modum uſque ad annum DCIV. Quæſtiones publicæ exercitæ ſunt. Deinde perpetuæ Quæſtiones eſſe ac proprium Quæſitorem habere cœperunt. Poſtquam L. Piſo Tribunus plebis legem tulit, qua Quæſtionem repetundarum perpetuam fecit, ut Cicero teſtatur in Bruto hiſce verbis: *Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt. Nam & Quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ nullæ ante fuerant.* L. enim *Piſo Trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino & Manilio Coſſ. tulit.* Qui locus noſtram ſententiam confirmat; quippe ſi tum demum Quæſtiones perpetuæ conſtitutæ ſint; ante illam igitur a Piſone latam legem Magiſtratibus, qui quæſtionibus exercendis præficiebantur, poteſtas perpetua ſive ordinaria non fuit data. Quæſtio autem dicebatur perpetua, quando Prætori in ſingulos annos mandabatur. Ex quibus manifeſtum eſt, antequam aliæ Quæſtiones perpetuæ introductæ fuere, nemini hæc poteſtas annua, ſive quæ hoc ſenſu perpetua dici poteſt, competebat, ſed, ut diximus, quoties res poſceret, aut Conſules,

aut

Digitized by Google

aut Dictator vel Prætor Senatusconſulto aut lege quærere jubebatur. Interjecto vero tempore quæſtio quoque de *Peculatu*, de *Majeſtate*, de *Ambitu* perpetua facta eſt. Et ſingulis ſui Prætores præfecti, atque tum ſi de aliquo horum criminum quærendum eſſet, non novo Quæſitore vel Quæſtore, extra ordinem Senatusconſulto vel lege creato, opus erat, verum Prætor ei quæſtioni præfectus adibatur, iſque, ut ante, de crimine illo cum conſilio cognoſcebat.

Verum notandum, quanquam publicæ fuerint conſtitutæ quæſtiones, tamen adhuc multas extra ordinem quæſtiones aut SC. aut plebiſcito, ut ante, aut Conſulibus, aut Magiſtratibus, vel etiam privatis hominibus mandatas fuiſſe: *Sive*, inquit Sig. *lib.* 2. *de jud. c.* 4. *quia nulla dum lex de iis conſtituendis erat lata, ſive quod lata illa erat quidem, ſed pro rei atrocitate extra ordinem quærendum eſſe videbatur.* Nam Anno U.C. DCXI. P. Scævola Tribunus tulit ad plebem, vellentne quæri de *L. Tubulo*, qui Prætor, cum quæſtionem inter ſicarios exerceret, ob rem judicandam pecuniam ceperat. Eoque plebiſcito quæſtio *Cn. Cæpioni* Coſ. decreta eſt, ut inquit Cicer. 2. *de fin. cap.* 17. Anno deinde DCXV. *D. Brutus*, & *P. Scipio* Coſſ. ex SC. quæſtionem de cæde facta in ſylva Sila exercuerunt, ut idem ſcribit in *Bruto*. Sic Conſules Piſo & Meſſala rogationem promulgarunt, ut judicium conſtitueretur in Clodium de pollutis cerimoniis. Cic. *Epiſt. ad Att.* 13. Notandum vero, Quæſtorum officium non ſolum fuiſſe de rebus capitalibus inquirere, accuſatorem & defenſorem ac teſtes in officio ſuo continere: verum etiam reo de quacunque quæſtione publica diem dicere, eumque cauſa cognita ultimo ſupplicio afficere. Hinc errare mihi videtur Ventura Cæcus, illis aſſentiendum credens, qui eandem Quæſtorum parricidii fuiſſe auctoritatem confirmant, quæ ſub Principibus fiſci advocatorum fuit, inquirendi ſcilicet, & deferendi. Cujus contrarium, ex ſupra allegato judicio Horatiano conſtat. Sic Liv. *lib.* 3. *cap.* 24. & 29. ſcribit, M. Volſco, quod falſus haud dubie teſtis in Cæſonem extiterat, ab *Aulo Cornelio*, & *C. Servilio* Quæſtoribus diem dictam, eumque damnatum Lanuvium exulatum abiiſſe. Unde Sig. *lib.* 2. *de*

Digitized by Google

jud. Ac Quæſitorum quidem, ſive ordinarii ſive extraordinarii eſſent, quamquam poteſtas ab ea lege, qua creati erant, tota manavit; tamen omnium in his rebus collocata fuit, ut in foro, atque Tribunali, & in ſella curuli ſedentes, judice Quæſtionis aliquo operam fidemque navante, gladio, ut dixi, poſito, judicium exercerent, cum eis judicibus, qui eis obveniſſent, ſedentibus in ſuis ſubſelliis, ſcribis vero, accenſis, præconibus, lictoribus, aliiſque apparitoribus aſſiſtentibus. Quid autem gladius denotat aliud, quam merum imperium? Quid autem eſt merum imperium, niſi poteſtas animadvertendi in facinoroſos homines, & de ſontibus pœnam ad mortem uſque exigendi facultas? Id eſt, jus vitæ & necis, cujus juris inſigne gladius; quod & Seneca ita intellexit, quando de Nerone ſic loquitur, *nulli unquam citius gladium commiſſum fuiſſe.* Quare Imperatores pugionem ad hoc ipſum jus oſtentandum geſtare ſoliti, Cor. Tacit. *l.* 31. *Hiſtor.* de Vitellio, *ſolutum a latere pugionem Conſuli in concione reddidiſſe, tanquam jus vitæ & necis in cives.* Quo ſpectat illud Pauli Apoſtoli, *non ſine cauſa Magiſtratum gladium ferre.* Ex quibus, meo judicio, ſatis clare perſpicimus & inquirendi & exequendi poteſtatem habuiſſe Quæſtores. Et hi conſtituebantur a populo, ut inquit Juriſconſultus, eum in finem, ut capitalibus rebus præeſſent, id eſt, ejuſmodi rebus, quæ caput in ſummum diſcrimen vocant, quæ mortis vel morti ſimili pœna luuntur ac puniuntur. Crimen capitale definit Feſtus Pompejus facinus, quod luitur pœna capitis. Pœna autem capitalis eſt, *mors* vel *exilium*, ſic dicta, quia per id pœnarum genus caput eximitur de civitate, *l.* 2 *ff. de pub. jud. Rei capitalis damnatum ſic accipere debemus, ex qua cauſa damnato vel mors, vel etiam civitatis amiſſio, vel ſervitus contigit. l. 2. ff. de pœn.* Et *l.* 103. *ff. de verb. ſig. Licet* (inquit Modeſtinus) *capitalis Latine loquentibus omnis cauſa exiſtimationis videatur: tamen appellatio capitalis mortis, vel amiſſionis civitatis intelligenda eſt.* Amiſſio enim civitatis morti comparatur; Juriſconſultus namque *in l.* 63. *ff. pro ſocio §. ult. Intereunt autem homines* (inquit) *quidem maxima & media capitis diminutione, aut morte.* Sic deportati mortuorum loco habentur. *l.* 1. *§. pen. ff. de bon. poſſeſ. cont. tab.*

Hi

Hi appellabantur Quæſtores parricidii: quorum etiam meminit lex XII. tabb.] *Quæſtores* (inquit Varro *lib.* 4. *de ling. lat.*) *a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ Triumviri capitales nunc conquirunt; ab his poſtea qui Quæſtionum judicia exercent, Quæſtores dicti. Quæſtores* vocat Cicero in *Divinat.* ad quam Aſconius, *Quæſitor eſt Prætor de pecuniis repetundis quæſtionem exercens; nam proprie Quæſitores dicuntur criminalium quæſtionum.* Ut Virgilius Minoem capitalium rerum apud inferos judicem dixit. Virg. *lib.* 6. *Æneid.*

> *Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.*
> *Quæſitor Minos urnam movet, ille ſilentum;*
> *Conciliumve vocat, vitaſque, & crimina diſcit.*

Et Claudianus *lib.* 5. *verſ.* 477.

> - - - - *Quæſitor in alto,*
> *Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos,*
> *Et juſtis dirimit ſontes.*

Et Cic. *pro Fontejo: Quid mihi opus eſt ſapiente judice? quid æquo Quæſitore? quid oratore non ſtulto. Parricidii* autem, ut inquit Feſtus, pro *parici*, ut emendat Scaliger, *appellantur, quia ſolebant creari cauſa rerum capitalium quærendarum. Nam paricida non utique is qui parentem occidiſſet dicebatur, ſed qualemcumque hominem. Id autem fuiſſe, indicat lex Numæ Pompilii Regis his compoſita verbis:* SI QUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT PARICIDA ESTO. Idem: *Quæſtores dicebantur, quod quærerent de rebus capitalibus, unde qui talia quærunt, Quæſtores paricidii appellantur.* Paricidam enim veteres dixerunt quemcunque, qui hominem aliquem occidiſſet, quaſi parem cæcidiſſet: unde nonnulli paricidæ nomen tam a *pari*, quam a *patre* derivari poſſe opinantur. Notandum itaque, *parricidii* & *paricidæ* duplicem eſſe ſignificationem: unam latiorem, alteram anguſtiorem. Latiore ſignificatione apud veteres paricida dicebatur quivis reus capitalis criminis. Unde apud Cic. *lib.* 2. *de ll. Sacrum ſacrove commendatum, qui clepſit rapſitve,* pa-

paricida eſto. Et in lege Romuli, *Omne homicidium, paricidium.* Plutarch. in Romulo: *Illud etiam Romuli proprium, quod cum nullam paricidæ pœnam definiiſſet, homicidium omne paricidium nuncupari voluit: quod hoc impium & nefarium, illud autem impoſſibile eſſe duceret.*

Altera ſignificatio paricidæ ſpecialior eſt, & ad eum pertinet, qui alicui ex proximis cognatis vel agnatis mortem intulit, ut explicatur in *l. 1. ff. ad legem Pompejam de Paricidiis.*

---

§. 24. *Et cum placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum, uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent, quo* Decemviri *conſtituti anno uno cum Magiſtratum prorogarent ſibi, & cum injurioſe tractarent, neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratibus, ut ipſi & factio ſua perpetuo Rempublicam occupatam retinerent: nimia atque aſpera dominatione eo rem perduxerant, ut exercitus à Republica ſecederet. Initium fuiſſe ſeceſſionis dicitur Virginius quidam, qui cum animadvertiſſet, Appium Claudium (contra jus, quod ipſe ex vetere jure in duodecim tabulas tranſtulerat) vindicias filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe: & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: captumque amore virginis, omne fas ac nefas miſcuiſſe. Indignatus, quod vetuſtiſſima juris obſervantia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet (utpote cum Brutus, qui primus Romæ Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi, qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat) & caſtitatem filiæ vitæ*

quo-

quoque ejus præferendam putaret: arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit: in hoc ſcilicet, ut morte virginis contumeliam ſtupri arceret, ac protinus recens à cæde, madenſque adhuc filiæ cruore, ad commilitones confugit, qui univerſi de Algido, ubi tunc belli gerendi cauſa legiones erant, relictis ducibus priſtinis, ſigna in Aventinum tranſtulerunt, omniſque plebs urbana mox eodem ſe contulit (populique conſenſu partim in carcere necati.) ita rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit.

Et cum placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum.] Ne populus incerto magis jure & conſuetudine aleretur quam per latam legem, placuit tandem ex Senatuſconſulto, ut legati crearentur, qui à Græcis civitatibus jura & leges peterent, quibus civitas fundaretur. De quorum ſuſcepta legatione atque Decemviratu legibus componendis conſtituto, & legibus ab ipſis in duodecim tabb. redactis propoſitis, ſummoque ipſis conceſſo ſine provocatione imperio, egimus ad §. 4. & 5. *h. t.* ubi & quædam de utilitate, ſummaque æquitate legis XII. tab. aliaſque nonnullas ejuſdem legis laudationes deſcripſimus. Decemvirorum creatio in annum incidit trecenteſimum alterum poſt Romam conditam, ſi Livio fidem habeamus; tradit enim *lib.* 3. *cap.* 33. *Anno trecenteſimo altero quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ad Conſules venerat, tranſlato imperio.* Cui & adſtipulatur Eutropius *l.* 1. *c.* 18. *Anno CCC. & altero* (inquit) *ab urbe condita imperium conſulare ceſſavit, & pro duobus Conſulibus decem facti ſunt, qui ſummam poteſtatem haberent, Decemviri nominati.* Romæ enim regnatum a Regibus annis ducentis quadraginta quatuor, a Conſulibus 58. qui anni ſummam ſuperiorem efficiunt. Juxta Livium & ſecundum ejus computationem anno trecenteſimo ſecundo Decemviros creatos fuiſſe, dicendum videtur. Quod & Solinus

Digitized by Google

quoque affirmat *cap.* 2. incidit enim Decemviratus in annum, quo App. Claudius & T. Genucius Conſules fuere deſignati, ut ex faſtis colligimus; fuit autem hic annus V. C. CCCII. Dionyſius *lib.* 10. dicit Olympiade 82. hoc eſt, annis ab urbe condita trecentis expletis. Et ſecundum ejus computationem anno 303. Decemviros Magiſtratum iniiſſe dicendum videtur; quippe anno trecenteſimo exacto, Conſules deſignatos tradit P. Horatium, & Sextum Quintilium, qua ratione Olympias eadem & prædicti Conſules pertinuerunt ad annum urbis conditæ ſequentem, ſcil. CCCI. Poſt Conſulatum Horatii & Quintilii Coſſ. ſubjicit L. Mænenium & P. Seſtium id eſt, anno *V.C.* 302. Et his immediate attexit primum annum imperii Xvirorum, qui ex mente auctoris erit annus urbis Romæ CCCIII., in quem annum Conſules fuere deſignati *Appius Claudius & Tit. Genucius*, & propterea in Decemvirorum fuere numero, ut honor pro honore redderetur, ut ait Liv. *l.* 3. *c.* 33. Quem annum Livius diſſentiens a Dionyſio dicit fuiſſe trecenteſimum alterum, ut ſtatim diximus, unum annum numero Dionyſiano detrahens. *Anno trecenteſimo altero*, inquit Livius, id eſt *ſecundo. Alter* enim ſæpiſſime apud Latinos pro *ſecundus*. Cic. *ad Att. lib.* 14. *Ego ex Formiano exiens XVII. calend. ut inde altero die in Tuſculanum, ſcripſi hæc.* Et pro *Cluent. Unus & alter dies interceſſerat.* Idem, *Philipp. Altero, tertio, denique reliquis conſecutis diebus, non intermittebas quaſi donum aliquod afferre Reip.* Idem pro *Cluent: cum is unum jam & alterum diem deſideraret.*

Uti omnes Magiſtratus ſe abdicarent.] Hæc lectio Florentina eſt, attamen non conſtat mihi cur vulgata retineri non poſſet: *ut omnes Magiſtratus ſe abdicarent, ſc. imperio quo ornati erant*, vel *ut omnes Magiſtratus abdicarent*, id eſt, ut omnes Magiſtratum & imperium deponerent, eoque ſe ſponte exuerent, ne quis illo anno Magiſtratus præter Decemviros eſſet. Frequentius tamen apud claſſicos auctores *Magiſtratu ſe abdicare*. Apud Liv. *Valerius curia egreſſus, Dictatura ſe abdicavit.* Et idem: *Factum Senatuſconſultum, ut Decemviri primo quoque tempore Magiſtratu ſe abdicarent.* Decemviris itaque conſtitutis, omnes alii Magiſtratus ceſſarunt, ſummum

penes

penes eos reſidebat imperium, & ſuprema majeſtas, itaque nullum adverſus illam poteſtatem auxilium, ſublata ad populum provocatione, & Tribunorum ceſſante interceſſione, iiſque omni penitus erepta poteſtate. Unde Liv. *Placet creari Decemviros ſine provocatione, & ne quis eo anno alius eſſet Magiſtratus.* Apud Dionyſ. *lib.* 10. *Sed vicit recens creatorum Conſulum ſententia, quam dixit Appius Claudius primo loco rogatus, eligendos Decemviros e Senatus primoribus, eorum annuum eſſe imperium ex eo die, quo creati fuerint; & penes eos eſſe rerum ſummam, ut modo penes Conſules, & olim penes Reges, interim ceſſare omnes Magiſtratus ceteros, donec rurſum juxta leges creati fuerint.* Et paulo poſt: *Tribunorum vero, Ædilium, Quæſtorum, & ſi qui erant alii Romanis ſolennes Magiſtratus, ad tempus antiquati ſunt.*

Quo Decemviri conſtituti anno uno cum Magiſtratum prorogarent ſibi.] Placuit itaque populo, ut, cæteris Magiſtratibus ceſſantibus, Decemviri crearentur in unum annum: cum enim nullis limitibus circumſcriptam habebant poteſtatem, e Repub. erat, ut certum definiretur tempus, quo elapſo, populi erat, ut certum definiretur tempus, quo elapſo, populi erat eligere, num Reipubl. vellet eandem regiminis formam imponere, an ad priſtinum Reipubl. ſtatum relabi. Præterquam quod Reipubl. intereſt, ne magna imperia diuturna eſſe ſinat, & temporis imponatur modus, quibus juris non poteſt; ſæpiſſime enim poteſtas mora corrumpitur, & diuturnitate inſoleſcit; ut itaque ſeſe juſtos civiumque ſtudioſos præberent Decemviri, annuum fecerunt hunc Magiſtratum, memores anno exacto, Magiſtratu exutis privatorum inſtar ipſis judicium ſubeundum eſſe. Primo autem anno quo conſtituti ſunt, imperii moderamen plane expectationi populi reſpondit. Ea enim æquitate & modeſtia jus populo dixere, & in tractanda Republ. ea uſi fuere moderatione & vigilantia, ut populi plane ſibi favorem & propenſam erga ſe voluntatem conciliarent, ita ut peractis rebus, quæ potiſſimum in cauſa fuiſſent, quod mutata fuiſſet civitatis forma & a Conſulibus ad Decemviros tranſlatum imperium, id eſt, conſcriptis legibus, & in decem tabulas relatis atque in foro propoſitis, ut ab omnibus legi

legi examinarique poſſint; idque juris populus Romanus haberet, quod ipſi placuiſſet, poſtquam centuriatis comitiis approbatæ & perlatæ fuere, in annum alterum Decemviros creandi deſiderium populum cepit, idque eo potiſſimum, quod vulgabatur rumor, duas deeſſe tabulas, quibus adjectis, abſolvi poſſet velut corpus omnis Romani juris. Itaque Appio comitiorum habendorum poteſtatem injungunt, *ars hæc erat*, ut inquit Livius *lib.* 3. *cap.* 35 *ne ſemet ipſum creare poſſet.* Quam tamen egregie illuſit, quippe ipſo Appio rogante, imprimis ſe ipſum (quod *præter Tribunos plebis*, & *id ipſum peſſimo exemplo, nemo unquam feciſſet*, dicto *lib.* 3. *cap. eod*) & novem alios collegarum in locum, quos per coitionem hoc honore dejecerat, nominatos a populo creari effecit. Verum, ut inquit Livius, ille finis Appio alienæ perſonæ ferendæ fuit, larvamque detraxit, aliamque ſibi induit perſonam, ſuo jam vivere cœpit ingenio, novoſque collegas, priuſquam inirent Magiſtratum, in ſuos mores formare. Hinc priorem modeſtiam & comitatem abjecerunt, pro qua ſuperbia & ſeveritas invaluere, *unde initio Magiſtratus primum honoris diem denunciatione ingentis terroris inſignem fecere. Nam cum ita priores Decemviri ſervaſſent, ut unus faſces haberet, & hoc inſigne Regium in orbem, ſuam cujuſque vicem per omnes iret, ſubito omnes cum duodecim faſcibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, & faſcibus ſecures illigatas præferebant. Judicia domi conflabant, pronunciabant in foro, ſi quis collegam appellaſſet; ab eo, ad quem venerat, ita diſcedebat, ut pœniteret non prioris decreto ſtetiſſe. Opinio etiam ſine auctore exierat, non in præſentis modo temporis eos injuriam conſpiraſſe, ſed fœdus clandeſtinum inter ipſos jurejurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque Decemviratu poſſeſſum ſemel retinerent imperium.* Quod & Dionyſ. confirmat *lib.* 10. cum inquit: *Ante omnia fœdus clandeſtinum inter ipſos jurejurando ictum eſt, ne quis ex collegio ulla in re adverſaretur alteri; ſed quod unus eorum probaſſet, idem & cæteri haberent ratum; totoque vitæ ſpatio retinerent imperium, nec ullum alium ad Reip. gubernacula admitterent, ipſique pari honore, pari poteſtate eſſent.* Quamobrem cum jam & proceſſerat pars major anni, & duæ tabulæ le-

gum

gum prioris anni decem tabulis erant adjectæ, nec quicquam ſupererat, ſi hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatæ eſſent, cur eo Magiſtratu Reip. opus eſſet, exſpectabant quam mox Conſulibus creandis comitia edicerentur. Verum exſpectationi non reſpondit eventus. Decemviri enim, ut fœdere clandeſtino pactum erat, comitia non habuere, verum imperium ſibi retinuere & in tertium annum, imo in perpetuum ſibi vindicare conati fuerunt. Quæ imperii invito populo prorogatio, multis diſcordiis cauſam præbuit. Cui accedebat, quod etiam injurioſe & crudeliter tractabant plebem Romanam, in quam tanta utebantur licentia, ut non ſolum non bonis abſtinerent, verum ne conjugibus quidem, filiabuſque nubilibus in humiliores libidinoſe crudeliterque cenſulebatur: imo ne tergo quidem abſtinebatur; virgis cædi, alios ſecuri ſubjici, & ne gratuita crudelitas eſſet, bonorum donationem ſequi domini ſupplicium voluerunt. Liv. *lib.* 3.

Nimia atque aſpera dominatione eo rem perduxerunt, ut exercitus a Repub. ſecederet.] Hinc merito a M. Horatio Barbato decem Tarquinii appellati, quamobrem non finis ſolum idem Decemviris, qui Regibus, ſed cauſa etiam eadem imperii amittendi fuit, ideoque nec eorum imperium diuturnum; moderata enim durant, verum ubi violentia accepit vires, finis ſæpiſſime adeſt. Quod ſi æquo jure Rempub. Decemviri adminiſtraſſent, & cives, qui eorum fidei & tutelæ ſemetipſos commiſiſſent, eadem, qua imperii delati initio uſi fuerant moderatione & modeſtia ac æquitate, tractaſſent, deſiderium tenuiſſet populum iterum & iterum Decemviros creandi & Reipub. illam regimis formam imponendi, cujus dulcedinem jam antea experti fuiſſent. Verum ubi a priore æquitate & imperii moderatione deſcitum, & in cives ac plebem ſævire & crudelius conſulere cœptum, & alia ſuper alia impie nefarieque auſi fuerunt, de mediis cogitare cœperunt, quibus ſe ſuaſque fortunas in ſecuritatem aſſererent, hinc exercitus a Repub. ſeceſſio. Duplex erat Romanus exercitus eductus, unus contra Sabinos, qui in agrum Romanum incurſionem fecerant; alter adverſus Æquos, qui in Algido caſtra locaverant, & Tuſculanum depopulabantur agrum. Bellum in Sa-

binis mandatum Q. Fabio, M. Rabulejo & Q. Pœtilio, cum tribus legionibus. M. Cornelius in Algidum miſſus cum L. Minutio, & T. Antonio, & Cæſone Duellio, M. Sergio. Appio Claudio urbana juriſdictio, ut magis violento & ad urbanos comprimendos motus idoneo, relicta eſt, adjutorem vero S. Oppium æquo omnium Decemvirorum imperio decernunt. Nihil militiæ quam domi melius Reſpub. adminiſtrata eſt. Fuſi ab Sabinis ad Eretum, & in Algido ab Æquis exercitus erant. Occaſionem vero ſeceſſionis tradit Juriſconſultus verbis ſequentibus.

Initium fuiſſe ſeceſſionis dicitur Virginius quidam.] Cum autem importuna Decemvirorum dominatio in magnum incurriſſet odium, plebique admodum exoſa erat, cum propter crudelitatem atque ſuperbiam, tum etiam propter duo potiſſimum nefanda eorum domi militiæque facinora, quæ populum vehementer incitaverunt ad tollendum e Repub. Decemviratum, & priſtinam recuperandam libertatem, quam peſſundatam videbant, niſi conjunctis viribus & communi ope atque conſpiratione, in ipſis quaſi cunabulis Decemvirorum tyrannidem opprimerent; quemadmodum enim corpus humanum morbo implicitum, ad priſtinam ſanitatem redire ſæpius nequit, niſi humorum, quibus agitatur, diſcordia atque inter ſe contentione malum ejiciatur. Ita ſæpiſſime Reſpub. inteſtinis laborant malis atque morbis, quibus mederi nequimus, niſi diſcordi concordia, & civium inter ſe contentione. Quod admodum violentum & periculoſum eſt remedium, utpote quo in ſummum Reſpub. vocatur diſcrimen, & ſæpiſſime in pejorem ſtatum incidit, cum juxta illud tritum, aliquod potius eſt habere imperium quam nullum; ideoque ad illud non confugiendum, niſi cunctis tentatis remediis, idque caute, & omnibus diligenter perpenſis, quæ in turbulento & agitato ventorum impetu mari nobis ſunt obſervanda, ne temere navem Reipub. irati maris impetuoſis fluctibus tradamus, quando nulla nobis eam aliquando per tot rerum diſcrimina ſalvam in portum reducendi eſt ſpes reliqua. Romana Reſpub. ad eam videbatur Decemvirorum dominatione redacta neceſſitatem, ut ſalva eſſe non poſſet libertas, niſi violentis adhibitis reme-

Digitized by Google

remediis. Hinc exercitus ſeditio, cui occaſionem præbuere (ut ſuperius dicere incepimus) duo potiſſimum admiſſa belli domique deteſtanda & nefanda flagitia. L. enim Siccium, virum fortiſſimum, multiſque egregiis facinoribus clarum, Decemviri per inſidias opprimi ac trucidari juſſerunt, ut teſtatur Liv. *lib.* 3. *cap.* 43. ubi inquit: *L. Siccium in Sabinis per invidiam Decemviralem Tribunorum creandorum, ſeceſſioniſque mentiones ad vulgus militum ſermonibus occulte ſerentem proſpeculatum ad locum caſtris capiendum mittunt, datur negotium militibus, quos miſerant expeditionis ejus comites, ut eum opportuno adorti loco interficerent. Haud inultum interfecere. Nam circa repugnantem aliquot inſidiatores cecidere, cum ipſe ſe prævalidus pari viribus animo circumventus tutaretur.* Hoc nefas aliud in urbe excepit, ſceluſque ſcelere cumularunt, a libidine Appii Claudii ortum, qui ardens amore ſtuprandæ virginis plebejæ L. Virginii honeſtum in Algido ordinem ducentis, viri exempli recti domi militiæque, filiæ, L. Icilio tribunitio viro acri deſponſatæ, cum eam ſpe ac præmio pellicere haud poſſe perſpiceret, omniaque pudore ſepta animadverteret, ad crudelem ſuperbamque vim animum convertens, M. Claudio clienti negotium impoſuit, ut virginem in ſervitutem aſſereret, neque cederet ſecundum libertatem poſtulantibus vindicias. vid. Liv. 3. *cap.* 43. 44. *& ſeq.*

Qui cum animadvertiſſet, Appium Claudium contra jus, quod ipſe ex vetere jure in duodecim tabulas tranſtulerat, vindicias filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe.] Jus vetus illud commode dici poteſt, quod ante leges duodecim tabb. tempore Regum & poſtea ſub Conſulibus viguit obtinuitque. Quare opinionem Cujacii amplecti non poſſum, ſtatuentis, Pomponium de jure vetere ſermonem habentem, intelligere jus civile, quod ſine ſcripto in ſola Prudentum interpretatione conſiſtebat. Quæ Prudentum interpretatio vix cognita ante leges XII. tabb. Quippe ut ex §. 5. *& ſeqq.* hujus tituli perſpicimus, ſublato Decemviratu apud Romanos, cui jus erat leges interpretari, ut ſemper extaret certa aliqua legum ſententia, ſucceſſiſſe Prudentum operam, quorum eſſet ratum in hoc genere judicium, plurimique viri prudentia & judicio clari in Repub. floruere, qui

Digitized by Google

qui ad interpretandum jus civile animum applicuere. Quorum dignitatem & auctoritatem admodum auxit Cæſar Auguſtus, qui cum animadverteret reſponſis eorum juſtam deeſſe auctoritatem, eamque, quam habebant Prudentes, omnibus ſe paſſim ingerentibus doctis atque indoctis, quotidie magis magiſque in contemptum abire atque vileſcere, edixit, ne quis ſolo ſuorum ſtudiorum judicio fretus, ſine impetrata a Principe venia de jure reſponderet. Deinde placuit, ut ii, quibus id permitteret, publica & principali donarentur auctoritate. Ita ut certus & delectus eorum eſſet numerus, quibus ab Auguſto ea poteſtas tributa fuit. Hi jus interpretabantur, eorumque reſponſa ſic obſervabantur, ut jura condere dicerentur, a quibus recedere judici non liceret. Cum itaque longe poſt leges XII. tabb. Juris prudentium interpretationes juſtam nactæ fuerint auctoritatem, & pro Jure obſervari cœperint, a ratione alienum mihi videtur, ut diceremus, Pomponium per jus vetus ſignificare voluiſſe haſce Prudentum interpretationes, quæ, cum ante leges XII. tabb. vix cognitæ, jus vetus dici reſpectu earum legum & conſequenter a Decemviris in tabulas referri non potuerunt. Quicquid de hoc ſit, conſtat tempore Conſulum quinquageſimo nono anno antequam in libertatis ſuæ vindices Brutum Collatinumque imperium populus Romanus contulit, jus vindiciarum, quod poſtea Decemviri in duodecim tabulas tranſtulerunt, obtinuiſſe. Et quemadmodum ad *l.* 1. *h. t.* annotavimus, leges XII. tabb. a Juriſconſulto Cajo vetuſtas appellari, quia ſunt aliis legibus ex illis deſumptis anteriores & tempore priores, quo ſenſu *vetuſtiſſimi mortalium* apud Tacitum dicuntur *primi mortalium.* Eadem ratione a Pomponio jus vetus dicitur, quod ante duodecim tabb. obtinuit, quatenus tempore prius eſt & anterius. Quo ſenſu *vetuſtas* dicitur *ætas ſuperior*, *prior*, *anterior*, ut ita dicam. Quodnam vero jus Appius Claudius Decemvir ex vetere jure in XII. tabb. tranſtulit, nobis examinandum incumbit, ut eo clarius poſſit conſtare, quid ſignificet quod Pomponius tradit, Appium Claudium contra jus illud vindicias filiæ ſuæ a ſe abdixiſſe. Verum antequam ad juris veteris explicationem perveniamus, prius de nominis ſignifica-

Digitized by Google

tione quædam præmittenda. Quippe, ut ſuperius diximus, ad recte docendum oportet prius ſcrutari nomina; cum initium doctrinæ ſit nominum conſideratio. Quo ſenſu itaque vindiciæ hic & apud alios probatos auctores accipiendæ ſint, indagabimus. *Vindiciæ* a *vindicando* dictæ: non a *vindicio*, ut putavit Accurſius, qui in multis vehementer erravit. Eſt autem vindicare jure proprietatis repetere, alteri auferre, liberare, aſſerere de manu & jure poſſeſſoris. Ipſa enim vindicandi vox nihil aliud, quam liberare, revocare, adſciſcere, ad ſe trahere, Non. Marcel. *in lib. de propr. ſerm. latin.* unde & ipſæ vindiciæ denominationem trahunt. Quod verbum a *vim & dico* compoſitum videtur, quod in vindicando vis quædam interveniat & adhibeatur, non quæ manu fiebat cum vi bellica & cruenta, ſed civilis, quæ feſtucaria dicebatur, ab eo quod ſumtis ex arbore ſurculis ſeu feſtucis, tam actor quam reus in re præſenti imaginario duello inter ſe concertabant, actorque rem ſuam eſſe, aſſerebat, reus contra vindicabat. Gell. *lib.* 20. *cap.* 10. Feſtuca, ut Auguſtino placet, arboris novellæ omninoque infantis cujuſque ſati pullulus. Perſ. *Sat.*

Non in feſtuca lictor quem jactat ineptus.

Videtur apud Romanos initio Reipub. privatorum judiciorum fuiſſe rationem, ut qui rem ſuam ſibi vindicare vellet, manum cum adverſario contereret. Quippe, ut apud Gellium legimus *l.* 20. *c.* 10. ſi qua de re diſceptaretur, ſive ager, ſive quid aliud eſſet, ſolebat eam actor cum adverſario ſimul manu prehendere, & in ea re omnibus verbis vindicare, quæ vindicatio dicebatur vindicia, id eſt, correptio manus in re atque loco præſenti, fiebatque apud Prætorem ex duodecim tabulis, in quibus ita ſcriptum eſt: SI. QUI. IN. JURE. MANUM. CONSERUNT. Sed poſtquam, inquit, Prætores propagatis Italiæ finibus, datis Juriſdictionibus, negotiis occupati proficiſci vindiciarum dicendarum cauſa in longinquas res gravabantur; inſtitutum eſt contra duodecim tabulas, tacito conſenſu, ut litigantes

 non

Digitized by Google

non in jure ad Prætorem manum conſererent, ſed ex jure manum conſertum vocarent; id eſt, alter alterum ex jure ad conſerendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba, tanquam in toto agro vindicarent. Hæc Gellius. In eadem ſententia inquit Feſtus ex Cincio: *Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo ſumptæ in jus allatæ erant:* Verum ne quidem hæc in fundum proficiſcendi neceſſitas perpetuo obſervata fuit. Fuit tandem alia a Juriſconſultis ſolennis quædam manus conſerendæ excogitata ratio, quæ & actori & reo, nec non Prætori formulam agendi præſcribebat. Neque Prætores vindiciarum dicendarum gratia, neque litigantes manus conſerendæ, in agros proficiſci, indeque glebas in jus deferre opus erat. Verum ne omnis priſci Judiciorum ordinis ratio aboleretur, viſum fuit Pontificibus, qui juri civili & legis actionibus præerant, aliquam profectionem imaginariam, in veræ profectionis locum ſurrogare, qua litigantes certam iniere viam eademque redire docerent. Ræværd. *ad leg. XII. cap.* 6. Itaque quando actor in jus vocaſſet adverſarium, hac formula utebatur: *fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt. Eum ego ex jure Quiritium meum eſſe ajo. Inde ibi ego te ex jure manu conſertum volo:* ille vero, qui erat citatus, niſi ceſſiſſet, reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocaſti, inde ego te revoco. Prætor interea, ne pulchrum ſe atque beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum cæteris rebus abſurdum, tum vero nulli uſui. Utriſque ſuperſtitibus præſentibus: illam dico inite viam. Præſto aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret. Redite viam, eodem duce redibant.* Cic. pro Muræna. Unde etiam Feſtus: *Superſtites teſtes ſignificat, cujus rei teſtimonium eſt, quod ſuperſtitibus ii, inter quos controverſia eſt, vindicias ſumere jubentur.* Vindiciæ autem poſſeſſionem ſignificant. *Et lis vindiciarum eſt* (auctore Aſconio) *cum litigatur de ea re apud Prætorem, cujus incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor, & ideo* (inquit) *is, qui rem tenet, ſatisdat pro*

Digitized by Google

pro prædе litis vindiciarum adverſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione factur{ü}m, de qua jurgium eſt, rurſus cautione præſtita, ſponte provocatur ab adverſario certæ pecuniæ aut æſtimationis, quam amittat, ni ſua ſit hereditas, de qua contenditur. Prædes autem dicuntur ſatisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis eſt, ne interea qui tenet diffidens cauſæ, poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, arbores excidat, & culta deferat. Budæus *in annot. ad D.* Obſervavit optime Rævardus, veteres olim & vindiciis, & ſacramentis contendiſſe ex Cicerone in *orat. pro Milon.* Ubi inquit: *Eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli poſſeſſionum termini: qui non calumnia litium, non injuſtis vindiciis, ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat.* ſic quoque apud Arnob: *adverſ. gentes lib.* 4. citante Rævardo: *Quis Quæſitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter perſonas hujuſmodi, aut vindicias juſtas dare, aut ſacramenta conetur pronunciare non juſta.* Vindiciis agebatur, quando de poſſeſſione certabatur, uter litigantium, pendente lite proprietatis, rei controverſæ futurus eſſet poſſeſſor. Sacramentis quando de ipſa re principaliter, id eſt, de proprietate contendebatur. Eſt autem Sacramentum pecunia ab utroque litigatore depoſita. Uterque enim litigantes certam aliquam pecuniam ad Sacrum deponebant. Victor pecuniam ſuam recipiebat: victi pecunia in ærarium deferebatur. M. Varro *de ling. latin. Ea pecunia* (inquit) *quæ in Judicium venit in litibus Sacramentum a ſacro dicta. Qui petebat & qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingenos æris ad Pontificem deponebant, de aliis rebus item certum alium aſſium numerum. Qui Judicio vicerat, ſuum Sacramentum a ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Et Aſconius: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna Sacramenti peterent.* Unde Feſtus: *Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſive eo quis interrogatur, ſive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis quingentorum inter eos, qui judicio inter ſe contendunt.* Tribus igitur modis olim contendebatur atque res petebatur, vel vindiciis, quoties incertum erat, ut inquit Aſconius, uter litigantium deberet eſſe poſ-

poſſeſſor, & eo caſu ſatiſdatio interveniebat, qui rem tenebat adverſario ſatisdandi pro præde litis vindiciarum incumbebat neceſſitas, quo ſatisfaciebat, nihil deterius in poſſeſſione facturum, de qua jurgium erat. Vel ſolis Sacramentis, nulla vindiciarum quæſtione mota, contendebatur, ita tamen ut is, penes quem rei controverſæ poſſeſſio eſt, idoneè ſatisdaret. *Quotiens hæreditas petitur, ſatisdatio jure deſideratur: etſi ſatisdatio non detur, in petitorem hæreditas transfertur. Si petitor ſatisdare noluerit, penes poſſeſſorem poſſeſſio remanet. In pari enim cauſa, potior eſt poſſeſſor*, inquit Paulus *ſent. lib.* 1. *cap.* 11. Vel vindiciis & ſacramento ſimul contenditur, quod in hereditatis petitione ſibi locum vindicat, quando non ſolum petitur hereditas, verum inſuper ille, qui hereditatis petitione agit, contendit, pendente principali lite hereditatis poſſeſſionem penes eum eſſe oportere. Cum petitor in hereditatem fundi ageret, ita dicebat: *Ajo hunc fundum meum eſſe jure Quiritium.* Cui poſſeſſor inficians reſpondebat: *Et ego meum non tuum eſſe ajo ex eodem jure Quiritium.* Tum petitor: *Satisda, te non deteriorem poſſeſſionem facturum.* Poſſeſſor ſatisdabat. Tum petitor, *ſpondesne quingentos, ſi meus hic fundus ſit?* Poſſeſſor, *ſpondeo quingentos, ſi tuus hic fundus ſit.* Inde reſtipulans: *Et tu ſpondesne totidem, ni tuus hic fundus ſit?* Petitor, *Spondeo, ni meus hic fundus ſit.*

Si quæ autem vindiciarum erat controverſia, res controverſas in jure præſentes alterutri ex litigatoribus vindicanti Prætor tamdiu addicebat, quamdiu alter alterum juſto ſacramento & ſponſione non ſuperaſſet, Rævard. *dict. loc.* Vindicias igitur dare dicebatur Prætor, cum decerneret de poſſeſſione, penes quem illa pendente lite eſſe deberet. Dabantur ſecundum poſſeſſorem: *Commodum enim poſſidendi in eo eſt, quod etiamſi ejus res non ſit, qui poſſidet, ſi modo actor non potuerit ſuam eſſe probare, remanet in ſuo loco poſſeſſio: propter quam cauſam cum obſcura ſint utriuſque jura, contra petitorem judicari ſolet.* §. 4. *Inſt. de interdict.* Et Paulus *in l.* 2. *ff. uti poſſidetis. Juſta enim an injuſta adverſus ceteros poſſeſſio ſit, in hoc interdicto nihil refert: qualiſcunque enim poſſeſſor, hoc ipſo quod poſſeſſor eſt, plus juris habet, quam ille qui non poſſidet.*

Ex

Ex hiſce jam facile perſpicimus ſenſum verborum, quæ ſupra deſcripſimus, ſcil. juſtam fuiſſe Virginii adverſus Appium querelam, quod contra jus in duodecim tabb ab ipſo tranſlatum, vindicias filiæ ſuæ a ſe abdixiſſet: & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſet. Exiſtimat Hottomannus legem, cujus hic mentio fit, in hanc ſententiam fuiſſe conſcriptam: SI DE LIBERTATE AMBIGETUR: PRÆTOR SECUNDUM EUM, QUI LIBERTATEM DEFENDET, CUM IS SPONSORES JUDICIO SISTI DEDERIT, VINDICIAS ADDICITO. Per hanc legem voluere Decemviri, ut ſi liber homo controverſiam ſtatus ſui ab aliquo patiatur, & in ſervitutem e libertate petatur, eum relinqui debere in libertate, id eſt, ejus quaſi poſſeſſionem retinere, donec ſtatus quæſtio ſeu liberalis cauſa terminetur: ſive quis e ſervitute in libertatem ab aliquo aſſertore vindicetur, hunc interim pro libero homine habendum eſſe, & dominum ejus poſſeſſionem aſſertori cedere debere. Et hoc eſt *vindicias dicere ſecundum libertatem*, vel *addicere vindicias*, id eſt, decernere, ut interim ſui ſtatus quæſtionem patiens, in quaſi poſſeſſione (quia libertas eſt res incorporalis, cujus proprie non eſt poſſeſſio) ſui ac libertatis maneat & relinquatur, datis interim idoneis fidejuſſoribus, qui cavere debebant de eo, qui ſtatus ſui controverſiam patiebatur, Judicio ſiſtendo. Unde apud Dionyſ. *lib.* 11. Numitorius avunculus filiæ Virginii, quam in ſervitutem e libertate aſſerere cupiebat Appius, inquit: *Quod ad litem attinet, patrem ipſum militia reverſum cauſam pro filia dicturum eſſe. Corporis vero vindicationem, quæ legibus debebatur, ſe ſibi uſurpare, qui puellæ ſit avunculus, & paratum ſubire judicium. Nec ſe peregrinum nec novum aliquid petere, nec quod ceteris Quiritibus jus non concedat, etiamſi non omnibus hominibus; cum quis e libertate in ſervitutem aſſeritur, jus ejus eſſe non penes eum qui libertatem adimit, ſed penes eum qui tuetur, uſque ad litis cognitionem.* Quod jus cum ab ipſo Appio in duodecim tabb. relatum erat, eodem jure poſtulabat, ut interim, dum puella ſtatus ſui controverſiam patiebatur, maneret penes eum in poſſeſſione libertatis.

 Ad-

Advocati puellæ inquit Liv. *lib.* 3. *cap.* 44. *Cum Virginium Reipub. cauſa dixiſſent abeſſe, biduo affuturum, ſi nunciatum ei ſit, iniquum eſſe, abſentem de liberis dimicare, poſtulant, ut rem integram in patris adventum differat; lege ab ipſo lata vindicias det ſecundum libertatem, neu patiatur virginem adultam famæ prius, quam libertatis periculum adire. Vindicias poſtulare ſecundum libertatem*, nihil aliud eſt, quam poſtulare ut interim libertate potiretur, quemadmodum legibus erat ſancitum. Quod & noſtro jure retentum atque receptum eſt, ut, qui in poſſeſſione ſit libertatis, cum ei de ſtatu ſuo controverſia fiat, in ea maneat, donec judicium ſit expeditum. *Lite ordinata in poſſeſſione libertatis is, de cujus libertate quæritur, conſtituitur & interim pro libero habetur. l.* 14. *Cod. de liberali cauſa.* Sic quoque *l.* 24. *ff. de eod. Ordinata liberali cauſa, liberi loco habetur is, qui de ſtatu ſuo litigat.* Vid. *l.* 1. *Cod. qui dare tut.* Quæ juris conſtitutio non ſolum obtinet quando quis ex libertate vindicatur in ſervitutem, verum & ſi ex ſervitute quis proclamat in libertatem. Quod allegatæ jam leges probant, quæ generaliter & indiſtincte loquuntur de eo, qui de ſtatu ſuo litigat, ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus *l.* 8. *ff. de publ c. in rem act.* Et ait Ulpianus *l.* 12. *ff. ex quibus cauſ. Major. Eum, qui de ſtatu litigat, tam diu in ſervitute eſſe videri, quam diu non ſit ejuſmodi lis cœpta.* Et idem *l.* 33. *ff. de procurat. §.* 1. *eum*, ait, *qui de ſtatu ſuo litigat, procuratorem habere poſſe, non ſolum in adminiſtratione rerum, ſed etiam in actionibus, quæ ei vel adverſus eum competant, ex poſſeſſione ſive ſervitutis, ſive libertatis, de ſtatu ſuo litiget.* Idque favore libertatis. Verum jus illud favore libertatis conſtitutum, Appius violare auſus fuit, idque callide & aſtute ſub larva quadam juſtitiæ, callida & malitioſa juris interpretatione legem, quam ipſe Decemvir in libertatis favorem ſanciverat, eludendo, abdixit a patre Virginio vindicias filiæ ſuæ, & ſecundum eum, qui in ſervitutem petierat, dixit. Hiſtoria ita ſeſe habet. Erat Virginio cuidam filia, cujus forma ad invidiam elegans Appium cepit, eumque impuro inflammavit erga eam ardore, qui a parva ſcintilla in eam erupit flammam, ut libidinis ſuæ nefariæ explendæ gratia, divina

vina juxtaque humana jura violare & pedibus proculcare flocci fecerit. (Amor enim omnia vincit.) Cum vero puella erat in poteſtate patris, quem pudicitiæ filiæ ſuæ egregium & diligentem fore cuſtodem conjecturari poterat, & conſequenter ſibi vel precibus inducendi puellam, ut Veneris auſpicio ſecum in arenam deſcenderet & manum confereret, vel ſi iis vinci nequiret, vi, quæ aliquando non ingrata puellis, eam expugnandi nullam daturum patrem occaſionem providebat, (fortaſſe quia furtivi ejus amores ſatis manifeſti) ad aliam excogitandam rationem, qua ſibi ad puellam patefaceret aditum, animum convertit. Quamobrem M. Claudio clienti negotium dat, ut virginem in ſervitutem aſſerat; dicenti, ſerva ſua natam, ſervamque appellanti: abſente vero patre, aſſertor ejus fuit avunculus Numitorius, ſeque Claudio oppoſuit. Ad Tribunal Appii perventum eſt. *In ſervitutem petebatur a Claudio puella; domi enim ſuæ natam, furto inde in domum Virginii tranſlatam, ſuppoſitam ei eſſe, id ſe indicio compertum aſſerre: probaturumque vel ipſo Virginio judice, ad quem major pars injuriæ ejus pertinebat, interim dominum ſequi ancillam æquum eſſe.*.

Imo contrarium æquum erat & legibus conſentaneum, ut interim, dum de ſtatu puellæ litigabatur, in libertate maneret. Quamobrem aſſertor avunculus Numitorius Appio Claudio objicit illam legem, qua cautum, uti de cujus libertate ambigetur, Prætor vindicias ſecundum libertatem det, eaſque addicat ei, qui libertatem defendit. Quæ lex ipſum Appium auctorem una cum cæteris Decemviris habuerat. Itaque virtute hujus legis vindicias ſecundum libertatem decernendas petit aſſertor; Appius vero eludens legem, vindicias abdixit. Ne autem fraudem legi facere videretur, eam circumvenire conatus fuit. Ait enim, nemo idoneus auctor exiſtit, cui addicantur. Nam ſi ſui juris puella eſſet, & tutores adeſſent, iis decernerentur, darentur etiam patri, ſi adeſſet atque defenderet. At nemo pro ea, quæ in patris manu ſit, juſtus eſt auctor præter patrem. Ita demum lex vindicias ſecundum libertatem decernere jubet, ſi quis idoneus auctor exiſtat, cui addicantur. Ceterum patre abſente, dominum

 debere

debere eſſe potiorem, ei puellam addicendam eſſe, dummodo fidejuſſores det idoneos, qui promittant, eum, ubi pater adfuerit, ſiſti apud Magiſtratum. Quod fere idem fuiſſet, quaſi poſt vulneratam cauſam vellemus remedium quærere. Vid. Dionyſ. *lib.* 11. Hoc ſignificare Appii verba videntur, quæ Livius deſcribit *lib.* 3. *cap.* 45. *Appius*, inquit, *decreto præfatus, quam libertati faverit, eam ipſam legem declarare, quam Virginii amici poſtulationi ſuæ prætendant. Cæterum ita in ea firmum libertati fore præſidium, ſi nec cauſis nec perſonis variet: in his enim, quæ aſſerantur in libertatem, quia quivis lege agere poſſit, id juris eſſe: in ea quæ in patris manu ſit, neminem eſſe alium, cui dominus poſſeſſione cedat. Placere itaque patrem arceſſi: interea juris ſui jacturam aſſertorem non facere quin ducat puellam, ſiſtendamque in adventum ejus, qui pater dicatur, promittat.* Malitioſam hanc & callidam juris interpretationem ab Appio libidinis ſuæ explendæ gratia excogitatam facile perſpicimus. Lex enim indiſtincte & generaliter loquitur, ideoque non diſtinguit inter patrem abſentem vel præſentem, ſed univerſaliter de quavis liberali cauſa, & de omnibus qui libertatem defendunt, conſcripta; idque favore libertatis. Quippe ut eſt in regulis juris, omnibus rebus favorabilior & potior eſt libertas, utpote quæ res inæſtimabilis, quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit. *l.* 106. 122. *ff. de R. J.* Injuſtum itaque atque malitioſum pronunciamus Appii judicium, omnino indignum honeſto ac bono viro, qualem decet judicem eſſe, impuri autem amoris furore correpto amatori conveniens, quo agitatus, omne nefas miſcere auſus fuit. Nam, ut ait ille:

Miſcuit omne nefas, quem nulla modeſtia terret.
Optati compos, dum ſtudet eſſe ſui.
Non decus avertit, non lex divumque poteſtas.
Egit præcipitem, cæcus ad omne furor.

Et ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe.] Id eſt, decrevit vindicias ſecundum ſervitutem, pronunciavitque puellam Virginii in ſervitutem abducendam. Ver-

Verba decreti apud Dionyſium in hunc modum concepta legimus: *Ego ne quid temere feciſſe viderer, expectandum duxi parumper, dum res aliquo modo componeretur. Ceterum cum nihil, ut video, illis convenit, teſtor ego & decerno, Marcum Claudium libertum puellæ eſſe dominum: quibus dictis, ut mancipium abducere puellam juſſit, datis duodecim lictoribus, ut comitarentur, ne quam vim formidaret.*

Utpote cum Brutus, qui primus Romæ Conſul fuerat, vindicias ſecundum libertatis dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi, qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat.] A Bruto, exactis Regibus, primo Romæ Conſule, vetuſtiſſimam Virginius derivat juris obſervantiam, quam in perſona filiæ ſuæ defeciſſe merito indignatus fuerat, quia ſummo jure petere poterat, ut cum ceteris civibus æquo jure ſibi uti liceret. Vetuſtiſſimam dicit obſervationem; non quod longa temporis ſpatia inter Brutum & Virginium interceſſiſſent. Ab exactis enim Regibus ad Decemviratum uſque numerantur fere duo & ſexaginta anni. Verum non altius quam ab eo, ſcil. Bruto, repeti poterat memoria ejus juris, quod in Repub. obtinuit; cum ante inſtitutam libertatem nulla Reipub. veſtigia: liber enim demum populus Romanus ſub Conſulibus Bruto Collatinoque libertatis ſuæ vindicibus, & Reipub. conſequenter fundatoribus: *libertatem*, ut inquit Tacit. 1. *Annal. & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* Quamobrem ab eo, qui Reipub. fundatores prædicantur, juris, quod in ea obſervatum fuit, originem derivare ſive memoriam repetere merito debet, licet & antea ſub Regibus obtinuiſſe idem jus conſtaret: quippe iis exactis, regias quoque leges exoleviſſe ſupra annotavimus, ideoque quicquid juris ex illis deſumpti poſtea in Repub. viguit, tanquam cum ea introductum & a populo receptum eſt. Jus autem, cujus originem a Reipub. initio repetit, fuit illud vindiciarum ſecundum libertatem jus, quod Brutus in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi dixerat. Verum perperam illud ipſum a Pomponio hic allegari tanquam exemplum, ad refutandam iniquitatem ſententiæ, in cauſa filiæ Virginii ab Appio latæ, Coraſius, Muretus, aliique qui notis ſuis hanc Pomponii juris hiſtoriam illuſtrare conati fuerint, opinantur: pro-

pterea quod de ſtatu Vindicii nulla lis erat, cum omnibus conſtaret, eum eſſe ſervum, & conſequenter hæc ſimilitudo vehementer claudicat. Budæus tamen in annotationibus ſuis ad Pandectas, Juriſconſulti errorem quodammodo excuſare voluit; quando ex Plutarcho probare nititur, Brutum quodammodo vindicias ſecundum libertatem dixiſſe, ex eo, quod Vindicem bene de Repub. meritum, interea, dum Vitellii cauſa majeſtatis dicerentur, in manum ac poteſtatem infenſiſſimorum ob accuſationem hoſtium, excarnificandum tradi non ſivit, quod Collatinus collega permiſerat. Rem hoc modo geſtam apud Plutarchum legimus in *Publicola: At mollities Collatini & cunctatio animum dedit Aquiliis, ut diem poſtularent ad ſe purgandum, utque Vindicius ſervus ſuus* (qui conjurationem Aquiliorum, vel ut Livius tradit, Vitelliorum detexerat) *ipſis reſtitueretur, nec detineretur ab accuſatoribus. Quæ concedere cum intenderet Collatinus, jamque concionem dimitteret, non dubitavit Valerius hominem retinere, turbæ, qua cinctus erat, immixtum, neque populum dimiſſis proditoribus: poſtremo corporibus eorum manus injicere, Brutumque appellare, ac rem indignam eſſe vociferari, ſi filiorum necandorum neceſſitate collegæ impoſita, condonandos Collatinus mulieribus patriæ proditores & hoſtes exiſtimaret. Ibi excandeſcente Conſule, & ut Vindicium abducerent jubente, hinc lictores repulſa turba eum prehendunt, ſi qui obſiſtunt, hos pulſant: illinc neceſſarii Valerii defendunt eum ab injuria, populuſque Brutum inclamat. Qui reverſus facto ſilentio, ait de filiis ſatis fuiſſe ſuum judicium, de cæteris cives, qui libertatem haberent, in ſuffragium mittere.* Quatenus vero impediit ne ſervus dominis traderetur, Brutus, pendente judicio Majeſtatis, ne quid domini infenſiſſimi in eum crudelius conſulerent, eatenus in libertatem vindicatus a Bruto videtur. Verum inquirendum, num illud jure fieri potuit, & a Pomponio allegari tanquam exemplum & factum, illo juri conveniens, quod ab Appio Claudio & ceteris Decemviris ejus collegis in duodecim tabb. translatum eſt. Si rem diligenter examinemus, facile perſpiciemus, jure Aquilios ſive Vitellios pendente judicio poſtulaſſe, ut ſibi tanquam juſtis & legitimis dominis traderetur ſervus: non poteſt enim

pro-

proprietas alicujus rei ad alium transferri ſine facto & conſenſu ejus, ad quem ea pertinet; neque alicui poteſt jus ſibi quæſitum auferri ſine juſta cauſa, ne quidem a Principe vel Magiſtratu; itaque recte vindicabatur ſervus a Vitelliis titulo dominii & proprietatis. Quo dominio privari non poterant, neque prætextu criminis, neque juris ſive legis, quæ in favorem de ſtatu ſuo litigantis lata eſt, ex vetere jure deſumptæ, licet crimine læſæ majeſtatis accuſati eſſent; quippe pendente judicio & nondum lata ſententia, eos tanquam ſontes & læſæ majeſtatis reos punire ab omni ratione, jure, & æquitate alienum eſſet. Beneficio autem legis, ſive ea tempeſtate obſervati juris, poſſeſſione ſervi deſtitui non poterant, cum nulla de ſtatu ſuo erat controverſia, ideoque ſecundum libertatem dari vindicias non debuiſſent; nemo enim negabat eum eſſe ſervum, ne quidem ipſe ſervus, & quanquam ob detectam a ſe conjurationem bene eſſet meritus de Repub. (quamobrem poſtea libertate donatus fuit) attamen in poteſtate erat dominorum, a qua jure liberari non poterat, quamdiu adhuc ab ore judicis pendebat ſententia, qui vel abſolvere vel condemnare poſſet reos; itaque antequam damnati fuerant, merito poſtulabant, ut dominia & poſſeſſiones rerum ſuarum ſibi retinere liceret, donec de perpetrato & admiſſo crimine pronunciatum eſſet: juxta ea quæ tradit Paulus *in l. 15. ff. qui & a quibus manumiſſ. lib. non fiunt. Quæſitum eſt an is, qui Majeſtatis criminis reus factus ſit, manumittere poſſit, quoniam ante damnationem dominus eſt? Et Imperator Antoninus Calpurnio Critoni reſcripſit, ex eo tempore, quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem jam pœna ſua certus eſſe poterat, multo prius conſcientia delictorum, quam damnatione jus datæ libertatis amiſiſſe.* Ubi & Gloſſ. dominium rerum ſuarum nemo amittit ſola accuſatione criminis Majeſtatis, ſed ſententia ſola & damnatione. Verum quanquam hæc ita ſint, attamen videtur excuſandus, imo laudandus Romanæ libertatis vindex & auctor egregius L. Brutus, quod æquitatem rigori & ſtricto juri prætulit, & illud ſequutus eſt, quod & ipſe legiſlator ſanciviſſet, ſi fortaſſe de eo cogitaſſet. Æquitas enim, ut inquit Ariſtoteles, nihil aliud eſt, quam *ſupplementum ejus quod*

lex

Digitized by Google

lex prætermiſit. Neque leges neque Senatusconſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendant, *l.* 10. *ff. de leg.* Sed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui Jurisdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque jus dicere debet, *l.* 12. *ff. vid. l.* 13. *ff. eod.* Itaque non iniquum videri debet, quod libertatis favore, quæ debebatur ſervo, eodem legis ſive juris, de quo jam ſæpius mentionem fecimus, beneficio gaudebat, ideoque vindicabatur a dominis, quippe qui in præmium ſervatæ per indicium patriæ ſemetipſum vindicare in libertatem poſſe videbatur, tanquam jure ſibi competentem, ideoque ab ipſo momento, quo conjurationem nefariam detexit, juris fictione quaſi liber habitus, & poſtea a dominis in ſervitutem vindicatus, a Bruto in libertatem aſſertus eſt, quam aſſertionem vindicias ſecundum libertatem non abs ratione Pomponius dicit, ſalvo meliori judicio. Par pari referre recta ratio & ipſa ſuadet æquitas; itaque qui Reip. conſervarat libertatem, in civium numerum adoptatur, & cum iis ejuſdem libertatis ſit particeps. *Præmium indici, pecunia ex ærario, libertas & civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus, quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant: Vindicio ipſi nomen fuiſſe, poſt illum obſervatum, ut qui ita liberati eſſent, in civitatem accepti viderentur.* Liv. *l.* 2. *c.* 5. Vid. Plut. in *Publicola.* Ubi de conjuratione Vitelliorum ſive Aquiliorum. & Liv. eod.

Caſtitatem filiæ vitæ quoque ejus præferendam putaret.] Si caſtitas ſive pudicitia non præferenda vitæ, ſaltem ei æqualis eſt, & cum illa pari paſſu ambulat, ideoque omnibus proinde bonis pretioſior longe & præſtantior habenda; quare vim pudicitiæ illatam iisdem licet repellere mediis, quibus vitam noſtram in mortis diſcrimen adductam tueri poſſumus, ſcil. cum cæde & internecione illius, qui eam nobis eripere meditatur, atque id ipſum & divina & humana permittunt jura. Quanquam prima fronte id videatur negandum, quoad pudicitiam, quia vera pudicitia non conſiſtit in conceptu phyſico, verum in conſtanti voluntate & propoſito corpus intactum & illibatum ab omnibus illicitis voluptatibus & ſtimulis

Digitized by Google

mulis ſervandi. Quippe juxta Auguſtinum, pudicitia moraliter conſiderata bonum animi eſt, quod nulla vi extrinſeca, ſi animus bene ſit communitus, eripi poſſit. Vid. Aug. *lib.* 1. *cap.* 18. *de civ. Dei.* ubi plura de hac integritate animi diſputat. Quamobrem læſio illa, quæ infertur caſtitati, etſi atrox ſit reſpectu inferentis, & ratione ordinis divini, attamen non videtur proportionata extemporaneæ interfectioni adverſarii. Ex quibus poſſet concludi, arma non illico privata auctoritate in necem violatoris arripienda, ſed coram judice vis illatæ reparatio petenda.

Verum placet mihi magis Grotii opinio, qui *lib* 2. *cap.* 17. *de J. B. & P.* extra omnem ponit controverſiam, quin pro pudicitiæ defenſione ſtuprum inferre conantem occidere liceat, cum non tantum communis æſtimatio, ſed & lex divina pudicitiam vitæ adæquet. Imo noſtra lege municipali ſtatutum eſt, ut eadem pœna puniantur qui aliquam ſtupravit, qua puniendus, qui occiſione aliquem occidit. *Si quis virginem vel viduam, vel ſanctimonialem, vel aliam mulierem honeſtam vi ſtupraverit, gladio punietur.* Quam puniendi poteſtatem lex, ſive naturalis ſive civilis, in quemvis transfert, quando in eo eſt ſtatu conſtitutus, ut ſui ſit judex, ſcil. quando ab aliquo aggreſſus ad eam ſit redactus neceſſitatem, ut adeundi judicem erepta ſibi occaſione, ideoque quaſi in primævo ſtatu naturali conſtitutus, propriis viribus ſui ſuſcipere defenſionem & vim vi repellere, atque etiam cum cæde aggreſſoris, ſi aliter ſalvus eſſe nequeat, ſit coactus. Unde Paul. *lib.* 5. *ff. ſentent. ad L. Cornel. de Sicar. Qui latronem cædem ſibi inferentem, vel alium quemlibet ſtuprum inferentem occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit.* Et Marcianus *in l.* 1. §. 4. *ff. ad L. Cornel. de ſicar. Item divus Hadrianus reſcripſit eum, qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum.* Hinc quoque idem Auguſtinus *de liber. arbitr. lib.* 1. *tom.* 1. *Lex*, ait, *dat poteſtatem, vel viatori ut latronem, ne ab eo ipſo occidatur, vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter in ſe irruentem ſtupratorem, ante illatum ſtuprum, ſi poſſit, interimat. Multo enim eſt melius, eum qui alienæ vitæ inſidiatur, quam*

Digitized by Google

eum, qui ſuam tuetur, occidi. Et multo eſt immanius invitum hominem ſtuprum perpeti, quam eum a quovis illa infertur, ab eo, cui inferre conatur, interimi. Quemadmodum igitur ob vitam, ita & ob pudicitiam aliquem occidi poſſe & divina & humana, imo & noſtra municipalia permittunt jura ſtatutaque. Accedente inſuper ejuſdem ſexus imbecillitate, quæ omnibus modis munienda adverſus improborum hominum malitiam. Idque eo magis, quia pudicitia & caſtitate ſemel amiſſa, nulla ratione recuperari queat; omni autem jure confirmatum ob damnum quavis via irreparabile aliquem interfici poſſe. Audenter loquar (inquit Hieronym. *in epiſt. 22. ad Euſtachium*) *cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam: valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam.*

Unde Imperator Juſtinianus *in l. unic. Cod. de rapt. Virg.* reſcribit, virginum, vel quarumlibet viduarum honeſtarum raptores non ſolum ad injuriam hominum, ſed etiam ad ipſius omnipotentis Dei irreverentiam crimen committere: maxime cum virginitas vel caſtitas corrupta reſtitui non poſſit. Quare ejus defenſio adeo favorabilis eſt, ut non ſolum qui ſuæ pudicitiæ tutandæ cauſa quempiam occidit, immunis a pœna ſit, ſed ei qui ſuorum, quorum in numero ſunt conjux, liberi, cognati, affines, imo vicini, & quidni extranei, defenſionem ſuſcipit, pœna legis Corneliæ videtur remittenda. Quippe natura, inquit Florentinus *in l. 2. ff. de J. & J. inter homines cognationem quandam inſtituit*, cujus vi & ad opitulandum oppreſſis accurrimus, & iraſcimur opprimenti.

Quod officium ſi quis præſtare omittit, communem violat cognationem, & legem charitatis offendit. Imo ſi non repellat a ſocio injuriam cum poſſit, tam eſt in vitio, quam ille qui facit, juxta Ambroſium. Hinc apud Cic. 1. off. *Duo ſunt Injuſtitiæ genera, unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam.* Hoc enim præſcribit natura, ut homo homini quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam tantum, quod is homo ſit, conſultum velit. Idem 3. *offic.* tenemur enim eodem amore, quo nosmetipſos, quoque ſocium amplecti. Hinc Solonem dicere ſolitum legimus, *beatam illam eſſe Remp. in qua quis in-*

injuriam alterius ſuam exiſtimat. Apud Hebræos, ut tradit Seldenus *lib.* 4. *cap.* 3. qui alicujus ſponſam vi comprimere vellet, non poterat tantum cum cæde repelli ab ea, cum qua concumbere volebat, ſed & ab alio quovis ex Iſraëlitis, qui univerſi tenebantur, ſi quæ erat oppreſſa, eam liberare e manu & poteſtate perſequentis.

Arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit: in hoc ſcilicet, ut morte virginis contumeliam ſtupri arceret.] Ex iis quæ ſtatim diſputavimus, perſpicimus, injuriam & vim alicui illatam non tantum ad ejus proximos ſanguine ſibi junctos, verum & ad extraneos tanquam communis cognationis & naturæ vinculo ſibi devinctos pertinere, & conſequenter opem ferre petenti & ſuccurrere auxilium imploranti tanquam naturæ debitum homines ſibi invicem præſtare non ſolum adſtringi, ſed eodem jure a ſe invicem hæc officia exigere atque petere. Nam ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt: ita ſingulos juvare debemus, quia ad cœtum geniti ſumus; ſalva autem ſocietas niſi amore & cuſtodia partium conſiſtere nequit, Matheus *ad lib.* 48. *ff. tit.* 5. *de ſicariis cap.* 2. *Si juſtus es non ſolum non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis*, inquit Seneca. & Cic. *Tuſc.* 1. *Quæ eſt* (ait) *hominum generis natura melior, quam eorum, qui ſe natos ad homines ſervandos arbitrantur.* Verum omnia hæc argumenta, quibus caſtitatem & pudicitiam, quia, ſi non vita præſtantior, ſaltem ei æqualis eſt, & conſequenter etiam cum cæde invaſoris defendi poteſt, pro ingenii tenuitate probare conati fuerimus, tamen ad excuſandum Virginii perpetratum & admiſſum parricidii crimen nihil ponderis habent. Probant quidem defenſionem cum cæde adverſarii licitam, eamque cuique oppreſſo ejuſque proximis, imo etiam extraneis concedunt tribuuntque, idque quando nulla periculi, quod alicui imminet, declinandi ſupereſt occaſio; verum Virginii quaſi furore & rabie agitati admiſſum parricidium neutiquam poſſunt juſtitiæ velo obtegere. Non defenſor filiæ, ſed aggreſſor erat, non depellebat vim, ſed inferebat, non quidem pudicitiæ, ſed vitæ. Pater erat, ideoque ad omnem vim & injuriam a corpore, a capite & vita filiæ ſuæ propulſandam & ſanguine

& humanitatis vinculo tenebatur: hoc enim in brutis animalibus cernimus, quod non ſolum ſe, ſed & eos, qui ab illis geniti ſunt, ſalvos velint, & ab hiſce omnem vim, quantum poſſunt, depellant. Defendere filiam itaque ad paternum pertinebat officium, non opprimere. Scio equidem jus vitæ & necis in liberos habuiſſe parentes, verum qui in liberos jus illud exercebat, cum nulla juſta vitæ adimendæ cauſa ſubeſſet, divini & humani juris violator parricidii crimen admittebat. Poſſit huic reſponderi, Virginium non occidendi, verum depellendi a filia vim animum habuiſſe, quæ ſalva eſſe non poterat, niſi e medio ſublata; quippe adverſus M. Claudium, quem actorem ſubjeciſſet Appius, nullam, niſi coram judice Appio, defenſionem leges ſuppeditabant: vindicabat enim filiam, quia ſerva ſua natam, itaque juſtam apud ſe ſervientem ſervitutem, quæ ſuum perſequendi facultas nemini jure denegari debet. Nullum etiam adverſus vim Appii ei auxilium, nam legitimus erat Judex; ſummum enim & ſupremum in eum ejuſque collegas erat collatum Imperium populi voluntate, itaque & conſentiente ipſo Virginio, qui & civis Romanus erat: penes eos & juris & Reipub. adminiſtratio reſidebat, cæteris Magiſtratibus ceſſantibus; itaque non poterat declinare forum, ſed coram Appio, tanquam unico & ſupremo Tribunali de ſtatu filiæ litem ventilare neceſſe habebat, qui, licet injuſtam pronunciaret ſententiam, tamen jus diceret. Quippe Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, *l. 11. ff. de Juſt. & jure.* decreto tamen Prætoris obtemperandum, atque quamdiu judicem adeundi copia eſt, nemini ſibi jus dicere licet. Quodnam itaque remedium Virginio reliquum, quo filiæ pudicitia adverſus Appii inſidias defendi poſſet? nullum, niſi judicis imploratio. Fateor, juſtum Virginii dolorem atrocitatem facinoris quodam modo excuſare, verum crimen non tollit, nec Virginium culpa vacuum efficit. Quippe juſtiſſimus ille dolor non ex aliquo a filia admiſſo flagitio vel ſcelere, verum ex tertii ſive extranei alicujus ſcil. Appii impuro ardentis erga filiam amore, ejuſque caſtitati inſidias ſtruentis, procedebat facinore. Poſtquam cuncta tentaſſet remedia, quæ ad conſervandam filiæ

Digitized by Google

liæ caſtitatem adhibere jura & leges civitatis, in qua degebat, ipſi tribuebant, boni patris & civis juxta impleverat officium, quæ ſi optatum non habuiſſent ſucceſſum, temporum id iniquitati tribuendum: *neceſſitati enim cedere & temporibus inſervire ſemper ſapientis habitum eſt*, ut inquit Cicero. *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita vitia dominantium tolerare debemus.* Tacit. *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 74.

Ac protinus recens a cæde, madenteque adhuc filiæ cruore, ad commilitones confugit.] Quibus ordine cuncta, ut geſta ſunt, expoſuit. Liv. *l.* 3. *c.* 50. *Supinas deinde tendens manus commilitones appellans orabat, ne, quod ſcelus Ap. Claudii eſſet, ſibi attribuerent: neu ſe ut parricidam liberûm averſarentur. Sibi vitam filiæ ſua cariorem fuiſſe, ſi libere ac pudice vivere licitum fuiſſet: cum velut ſervam ad ſtuprum rapi videret, morte amitti melius ratum, quam contumelia liberos: miſericordia in ſpeciem crudelitatis lapſum, nec ſe ſuperſtitem filiæ futurum fuiſſe, niſi ſpem ulciſcendæ mortis ejus in auxilio commilitonum habuiſſet: illis etiam filias, ſorores, conjugesque eſſe, nec cum filia ſua libidinem Appii Claudii extinctam eſſe. Sed quo impunitior ſit, eo effrenatiorem fore: aliena calamitate documentum datum illis cavendæ ſimilis injuriæ: quod ad ſe attineat, uxorem ſibi fato ereptam; filiam, quia non ultra pudica victura fuerit, miſera ſed honeſta morte occubuiſſe, non eſſe jam Appii libidini locum in domo ſua: ab alia violentia ejus eodem ſe animo ſuum corpus vindicaturum, quo vindicaverit filiæ: ceteri ſibi ac liberis ſuis conſulerent.* Liv. *lib.* 3. *cap.* 50.

Qui univerſi de Algido relictis ducibus priſtinis, ſigna in Aventinum tranſtulerunt.] Neque ut ſcribit Liv. *lib.* 3. *cap.* 51. in Sabinis quievit; nam ut ſup. annotavimus, habebant Romani ea tempeſtate duos exercitus, unum in Algido, alterum in Sabinis, ſed ibi quoque auctore Icilio, cui deſponſata fuerat puella, Numitorioque ejus avunculo, ſeceſſio ab Decemviris facta eſt, qui Porta Collina urbem intravere ſub ſignis, mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt, ibique conjuncti alteri exercitui XX. Tribunis militum negotium dederunt, ut ex ſuo numero duos crearent, qui ſummæ rerum

Digitized by Google

præeſſent. Creati *M. Oppius* & *Sex. Manilius.* Mox autem relicto Aventino in ſacrum montem tranſiêre, quæ ſeceſſio accidit anno poſt Reges exactos circiter *61.* U C. CCCV. Paulo autem poſt placata eſt plebs iis conditionibus, ut Tribunis plebis ipſis reſtitutis, abdicatisque Decemviris, iterum Conſules crearentur.

Populique conſenſu partim in carcere necati.] Longe aliter a Livio hæc traduntur. Scil. Appium ſibi mortem conſciviſſe. Oppium vero in vincula ductum ante judicii diem ibi vitæ finem feciſſe. Bona eorum publicavere Tribuni. Quidam hæc verba, non a Pomponio, ſed ab interprete quodam ex veterum hiſtoriis, quia huic loco conſentanea, quamvis non integre, propter interpellatam fortaſſe operam, fuiſſe adjecta putant, quæ poſtea in contextum irrepſere, Eberlin. *ad h. t.* Quod integre non fuerint adſcripta, cum ex dictione *partim,* quæ ſatis probat quædam adhuc deſiderari, tum ex iis quæ ex Livio deſcribere incepimus, & quæ ſequuntur ad hiſtoriam pertinentibus, conſtat. Cum inquit: *Collegæ eorum exilii cauſa ſolum verterunt, bona publicata ſunt. Et M. Claudius aſſertor Virginiæ, die dicta damnatus, ipſo remittente Virginio ultimam pœnam dimiſſus Tibur exulatum abiit.* Notandum, carcerem, in quem Appius conjectus erat, ipſe domicilium Romanæ plebis vocare ſolitus erat. Et ipſe eum ædificaverat in eo loco, ubi nunc S. Nicolai templum eſt, itaque in foveam incidit tandem, quam ipſe fecerat, & ſic ſuperbiæ crudelitatisque etſi ſeras, non leves tamen dediſſe pœnas, perſpicimus.

Suum ſtatum recipit] Exactis Decemviris, priſtinam regiminis formam Reipub. impoſuere. Et ſummæ rerum iterum Conſules præeſſe voluere, quo modo Reſpub. veterem ſtatum recepit. Hoc enim Magiſtratu, ſive hac regiminis forma fundata erat Reſpub. qua ſublata, tota ejus corruebat fabrica.

§. 25.

§. 25. *Deinde cum poſt aliquot annos, quam duodecim tabulæ latæ ſunt, & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creare, & patres recuſarent, factum eſt,* ut Tribuni Militum *crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus Conſulari poteſtate: hique conſtituti ſunt vario numero: interdum viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.*

Deinde cum poſt aliquot annos, quam 12. *tabb. latæ ſunt, & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creare, & patres recuſarent*] In duodecim tabulis ſcriptum erat, ne patriciis cum plebejis connubium eſſet, ut ex Livio & Dionyſio conſtat: idque ut Manutius opinatur, eo conſilio a Decemviris factum fuiſſe videtur, ne per nuptias reconciliati patres, iiſdem animis contra Decemviros, quibus eripere imperii faſces volebat plebs, pro libertate conſentirent. At contra Zaſius, idcirco a Decemviris, qui omnes patricii erant, conſtitutum putat, quia more majorum nemo plebejus auſpicia habebat, ea enim ſolis patriciis Romulus conceſſerat. Et propterea futurum erat, ſi connubia non dirimerentur, ut prole incerta auſpicia turbarentur. Liv. *lib.* 4. *cap.* 6. M. vero Genucio, & P. Curiatio coſſ. C. Canulejus de connubio patrum & plebis aliam rogationem promulgavit; qua contaminari ſanguinem ſuum patres, confundique jura gentium rebantur. Sed nondum quievere Tribuni, qui nati videbantur, ut quieti pacique publicæ ſemper officerent, & non ſecus ac pernicioſi nautis venti novis fluctibus noviſque tempeſtatibus populum exagitarent, ut inquit Vent. Cæcus *ad h. t.* Itaque primo ait Liv. *lib.* 4. mentio ſenſim a Tribunis illata, ut alterum ex plebe Conſulem liceret creare, eo proceſſit deinde, ut rogationem novam Tribuni promulgarent, *ut populo poteſtas eſſet, ſeu de plebe, ſeu de patribus*

tribus vellet, Conſules faciendi. Id autem patres ferendum minime putabant; quippe hac ratione non vulgari modo cum infimis, ſed prorſus auferri a primoribus, & ad plebem ſummum imperium deferri videbant.

Factum eſt ut Tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus conſulari poteſtate.] Obſervandum Tribunorum militum duo eſſe genera. Quidam eorum dicebantur *Rufuli*, propterea quod Rutilius Rufus Conſul de illorum imperio primus tuliſſet. Hinc Aſconius Pædianus in *proœm.* I. *in Verrem: Tribunorum militarium* (inquit) *duo genera. Primum eorum qui Rufuli dicuntur. Hi in exercitu creari ſolent. Alii ſunt Comitiati, qui Romæ in comitiis deſignantur.* Et Feſtus Pompejus *lib.* 16. ita ſcribit, Rufuli appellabantur Tribuni militum a Conſule facti, non a populo: de quorum jure, quod Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli ac poſt Rutuli ſunt appellati. Horum meminere quoque Impp. *in l.* 11. *l.* 13. *Cod. de re milit.* Hi enim caſtris & legionibus præerant, imperium in milites habebant, exercituique & ſummæ rerum præficiebantur. Atque a primis originibus terni ex ſingulis tribubus Ramnenſium, Tatienſium & Lucerum creati fuere. Tribuni militum (inquit) Varro, quod terni tribus tribubus Ramnenſium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Poſtea vero lege militari cautum, ut ſingulis quatuor legionibus ſeni ac deni Tribuni præeſſent.

Unde Liv. *lib.* 9. *cap.* 30. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut Tribuni militum deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum ferme fuerant beneficia.* Verum interjecto tempore militibus munus datum fuit, ut militari ſuffragio & prærogativa crearentur. Deinde lege ſancitum fuit, ut populi ſuffragio & Tribunorum rogatione fierent Unde alii *Rufuli*, de quibus jam diximus: alii *Comitiati*, qui Romæ comitiis deſignabantur, Aſcon. *in Verr.* Et hi dicebantur Tribuni Conſulari poteſtate. Quorum quoque duo genera Liv. memorat. Quidam enim bellorum cauſa creabantur,

quia

Digitized by Google

quia duo Conſules obire tot ſimul bella nequibant, qui Tribuni militum dicti, quod militibus pro Conſulibus imperarent. Quare & imperio & inſignibus Conſularibus uſi. Quidam creabantur propter legem promulgatam a Tribunis de Conſulibus ex plebe creandis. De quibus hic Pomponius ſermonem habet. Cum autem inter patres & plebem magnis contentionibus Conſulem alterum e ſuo corpore fieri poſtulantem, cum ſumma pertinacia certaretur, ita ut res ad ultimam ſpectaret ſeditionem ſeceſſionemque plebis eruptura, graviſſime ſeſe patribus Tribunis opponentibus, & contra Tribunis de ſuo fervore nihil remittentibus, tandem res eo deducta eſt, ut Tribunos militum Conſulari poteſtate promiſcue ex patribus ac plebe creari ſinerent, de Conſulibus creandis nihil mutaretur. Eoque contenti Tribuni, contenta quoque plebs fuit. Maluerunt vero patres communicare plebi Conſularem poteſtatem, quam Conſulum nomen, ut Zonaras inquit. Eorum autem imperio finito SC. rurſum plebem rogare ſtatutum fuit, Conſulesne, an Tribunos mallent? quique magis placuiſſent, fierent. Comitia igitur Tribunis Conſulari poteſtate creandis indicuntur. Creati autem fuere tres duntaxat Patricii *A. Sempronius Atratinus*, *L. Attilius*, *T. Cæcilius*, atque hi anno trecenteſimo decimo, vel ut in aliis quibuſdam codicibus legitur, anno CCCXI. poſtquam urbs Roma condita erat, hunc primum Magiſtratum ineunt: quorum in Magiſtratu concordia domi, pax etiam foris fuit, Liv. *l.* 4. *cap.* 6. Eutropius anno CCCLXV. U.C. pro duobus Conſulibus factos Tribunos militares Conſulari poteſtate ſcribit. Verum erroris eum convincit Livius & Faſti. Agell. ad annum fere conditæ urbis trecenteſimum quadrageſimum ſeptimum Tribunos militares Conſulari imperio Romæ creatos tradit. Capitolini lapides trecenteſimo nono, & Suidas in voce χιλίαρχοι trecenteſimo quinto primos Tribunos militum Magiſtratum accepiſſe volunt. Dionyſius imperium cœpiſſe Proconſulare anno tertio quartæ & octogeſimæ Olympiadis, Archonte Athenis Diphilo ſummum obtinente imperio, tradit *lib.* 11. Verum ut apud *Livium* legimus, non pro firmato ſtetit Magiſtratus ejus jus, quia tertio menſe, quam inierunt, Augu-

Digitized by Google

rum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere, quod C. Curiatius, qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum cepiſſet. Dionyſ. vero *cit. loc.* tantum tres & ſeptuaginta dies ait geſſiſſe Magiſtratum, & more vetere ſeſe ultro Magiſtratu abdicaſſe, cum ſigna quædam divinitus oblata vetuiſſent illos Rempub. gerere. Cum autem Magiſtratum depoſuiſſent, Senatus coiit & Interreges creavit. Magna autem contentio iterum & patres & plebem aliquamdiu tenuit: Interrex enim & Senatus Conſulum comitia, Tribuni plebis & plebs Tribunorum militum, ut habeantur, tendunt. Vicere tandem patres. Fiunt iterum e patriciis Conſules; & *L. Papirium Mugillanum*, *L. Sempronium Atratinum*, fratrem ejus, qui cum collegis Tribunatum depoſuerat, *L. Quintius Barbatus* Interrex Conſules creat. Tum poſtea iterum Tribuni, iterumque Conſules ſummæ rerum præficiuntur. Notandum, quamvis SC. cautum ut partim ex plebe partim ex patriciis crearentur Tribuni, attamen aliquamdiu ſoli patricii creati fuere, & quidem XLIIII. annis neminem ex plebe Tribunum militum creatum fuiſſe teſtatur Liv. *l.* 6. *cap.* 37: Primus e plebe creatus fuit Tribunus militum P. Licinius Calvus, ſi Livio fidem habeamus. Anno U. C. CCCLIII. Sex eo anno fuere creati, quorum Diodorus tres tantum nominat, qui eo anno Tribunatum iniere, P. Mælius, Sp. Mænius, L. Furius, & alii tres. Liv. *l.* 5. *cap.* 12. ita inquit: *Inter has iras plebis in patres, cum Tribuni plebis nunc illud tempus eſſe dicerent ſtabiliendæ libertatis, & ab Sergiis Virginiiſque ad plebejos viros fortes ac ſtrenuos transferendi ſummi honoris: non tamen ultro proceſſum eſt, quam ut unus ex plebe uſurpandi juris cauſa, P. Licinius Calvus Tribunus militum Conſulari poteſtate crearetur. Cæteri patricii creati, P. Mænius & L. Titinius, P. Mælius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Volſcus.* Sigonius autem in faſtis ad annum 353. tradit omnes hos, quos Livius nominat, plebejos fuiſſe, præter Furium, ex plebejis eorum Magiſtratibus ſe obſervaſſe. Et Phigius quoque ait ſe mirari Livium hæc ſcribere: Conſtat enim (inquit) ex plebeis horum Magiſtratibus, omnes præter ſolum Furium plebejos, non patricios fuiſſe, niſi imaginemur duplices earum gentium fami-

milias, quaſdam plebejas, & quaſdam patricias fuiſſe. Præter hos tamen ne exemplum quidem aliud, quod ſciam, vel ipſe Livius, vel alius ſuggerit, quo patriciatus iſtarum familiarum probari poſſet. Anno ſequenti inquit Liv. *eod. loc.* dulcedo invaſit Tribunorum militum plebejos creandi, unus M. Veturius ex Patriciis candidatis locum tenuit. Plebejos alios Tribunos militum Conſulari poteſtate omnes fere centuriæ dixere. Proximis comitiis iterum omnes Tribunos patricios omnes creaverunt. *cap.* 14. *eod.* Anno ſequenti iterum patricii creati. Tum iterum omnes plebei. Anno 375. ſecundum Phygii computationem, æquatus patriciorum plebejorumque numerus, ut auctor eſt Livius. Donec id genus Magiſtratus finem adeptus eſt, quod poſt annum 77. quam in Rempub. introductus eſſet, contigit, cujus cauſam tradit Liv. *lib.* 6. *cap.* 34. Habebant autem Tribuni Conſulari poteſtate creati eadem inſignia, eandemque auctoritatem & poteſtatem, quam olim Conſules, quippe & ſella Curuli & Conſulari prætexta utebantur, lictores præterea & faſces habebant; proinde ut nihil ipſis, niſi Conſulum nomen, deeſſet.

Hique conſtituti ſunt vario numero. Interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.] Vario numero fuiſſe Tribunos certiſſimum eſt. Initio enim hujus Magiſtratus quamvis ſex creari permiſſum erat, SC. tres tantum creati ſunt, ut ſupra admonuimus. Poſtea plures, quaterni, aliquando ſeni. Quinimo cum Vejentes Romanos gravi bello premerent, ad numerum octo Tribuni creati, ut Livius tradit. *Comitia utriuſque populi longe diverſa ratione facta ſunt: octo (quod nunquam antea) creati.* Nunquam vero 20. ut hic locus indicat. Quare Ventura Cæcus ad *h. t. Verum de Tribunorum, qui Proconſularem tenuerunt imaginem augetur quæſtio: nam illud ſane conſtat vario creatos eſſe numero, octonos tamen cum maxime apud Livium, ceteroſque legimus fuiſſe creatos, nec ſatis conſtat unde Pomponius viginti militares Trib. pro Conſulibus cœperit renunciatos. Non temere tantus numerus adjectus Reipub. foret, neque quibus potiſſimum cauſis tot Tribunis eguerit Reſpub. ſatis liquet, & res ſane tanta imprudenter ab ſcriptori-*

bus neglecta prætermiſſaque foret. Quare ſibi perſuadet non ſine ratione, *vel librarium erraſſe, vel Pomponium Tribunos militares, qui apud Aventinum a duobus exercitibus ſunt creati, Proconſularium accepiſſe loco, vel auctorem aliquem habuiſſe Juriſconſultum, qui deſideratur a nobis. Nec tamen* (pergit) *perſuadere mihi poſſum, Livium tam negligentem fuiſſe, ut qui octo Trib. militum pro Conſulibus creatos ſcribit, non ſcripturum fuiſſe viginti, ſi modo creati fuiſſent.* Hæc ille. Putat Budæus errorem eſſe librariorum, quem ita irrepſiſſe exiſtimat: *Cum enim ſeni* (inquit) *hoc modo ſcriptum librarii reperiſſent VI. cum NI. Syllaba ſupra poſita, ita ut V. & I., ſex facerent, & Ni ſupra poſitum eſſet: exiſtimarunt viceni legendum eſſe, literas numerales pro Syllaba accipientes. Quod admodum veroſimile videtur.* Balduinus ad *h. t.* tradit, apud Livium viginti aliquando creatos ſe inveniſſe, quod nuſquam memini me legiſſe, niſi militari ſuffragio, qui caſtris & legionibus præerant, imperium in milites habentes; itaque non annumerandi iis, qui populi juſſu & comitiis Conſulari creabantur poteſtate.

---

§. 26. *Deinde cum placuiſſet creari etiam ex plebe Conſules: cœperunt ex utroque corpore conſtitui. Tunc ut aliquo pluris patres haberent, placuit duos ex numero patrum conſtitui, ita facti ſunt* Ædiles Curules.

Deinde cum placuiſſet creari etiam ex plebe Conſules.] Supra ad §. 16. *h. t.* annotavimus, propter bella inteſtina & civiles diſcordias inter patres & plebem, vehementer & aſſidue flagitantem ut ſibi alterum ex plebe Conſulem creare permitteretur, tandem Tribuni pl. id a patribus obtinuerunt, anno ab U. C. ſecundum Sigonium & Phigium 387. primuſque de plebe L. Sextius Conſul creatus. *Vix dum perfunctum cum bello, atrocior domi ſeditio excepit: & per ingentia certamina Dictator*

ſtator Senatuſque victus, ut rogationes Tribuniciæ acciperentur: & comitia Conſulum adverſa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Coſ. factus. Liv. *lib. 6. in fin.*

Hinc perperam Plinius Junior tradit C. Licinium Stolonem primum e plebe Conſulem factum fuiſſe. Livius enim anno altero ab U. C.389. T. Sulpicium Pæticum, & C. Licinium Stolonem Coſſ. factos ſcribit. *lib. 7. cap. 2.* Is idem eſt, qui antea toties Tribunus plebis cum L. Sextio, Conſulatum plebejum extorſit a patriciis. Valer. *l. 8. cap. 6.* Quanquam interjecto tempore iterum patricii Conſulatum ſibi vindicavere. Ut apud Liv. *l. 7. c.* 17. 18. *Quadringenteſimo* (inquit) *anno, quam urbs Roma condita erat, quinto triceſimo quam a Gallis recuperata, ablato poſt undecimum annum a plebe Conſulatu, patricii Conſules ambo ex interregno Magiſtratum iniere, C. Sulpicius Pæticus tertium, M. Valerius Publicola.* Et infra: *Creati Conſules ambo patricii M. Fabius Ambuſtus tertium, T. Quintius.* Et *cap.* 19. *Conſulatus uterque apud Patricios manet. Conſules creati C. Sulpicius Pæticus quartum, M. Valerius Publicola iterum.* Poſtea tamen quoniam Tribuni negarent paſſuros comitia haberi, ni ſecundum legem Liciniam haberentur, concordiæ cauſa iterum legem Liciniam patres obſervarunt, comitiis Conſularibus L. Cornelium Scipionem Interregem juſſerunt. Hinc P. Valerio Publicolæ datus e plebe collega C. Marcus Rutilius. Imo aliquando uterque Conſul plebejus, & tandem eo audaciæ proceſſere Tribuni, ut tuliſſe ad populum ſe apud quoſdam inveniſſe ſcribat Livius *lib.* 7. *cap.* 92. utique liceret Conſules ambos plebejos creare.

Tunc ut aliquo pluris patres haberent.] Id eſt, ne patres in omnibus plebi cedere viderentur, ut aliquod ſibi reſervarent in acquirendis & conferendis honoribus præ ceteris commodum & privilegium, pro conceſſo plebi altero Conſulatu.

Placuit duos ex numero patrum conſtitui: ita facti ſunt Ædiles Curules.] Ad *§. 2. h. t.* quædam de Ædilitate diſputavimus, quæ ad ſubjectam materiam pertinere judicavimus. Incidimus hic quidem in ejuſdem nominis dignitatem, ſed alium tamen Magiſtratum, novis honoribus & inſignibus auctum, a

patriciis inventum, ſibique vindicatum quaſi jure proprio, ad quem plebeis hominibus nullus patebat aditus. Putat Coraſius veritatem Hiſtoriæ hic depravare Pomponium, cum Prætor fuerit ob eam, quam exprimit cauſam, creatus: ut patres ſcilicet aliquo pluris haberent, non etiam Ædiles Curules, quos conſtitutos ſcribit Liv. *lib.* 6. *in fin.* ut ludi maximi fierent; ita ſe habent Livii verba: *Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricii ſe auctores futuros negabant, prope ſeceſſionem plebis res terribileſque alias minas civilium certaminum venit: cum tamen per Dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo: a plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in urbe diceret ex patribus creando. Ita ab diutina ira, tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem Senatus cenſeret eſſe, meritoque id, ſi quando umquam alias, Deum immortalium cauſa libenter facturos fore, ut ludi maximi fierent, & dies unus ad triduum adjiceretur; recuſantibus id munus Ædilibus plebis, conclamatum a patriciis eſt juvenibus, ſe id honoris Deum immortalium cauſa libenter acturos, ut Ædiles fierent. Quibus quum ab univerſis gratiæ factæ eſſent, factum Senatuſconſultum, ut duos viros ædiles ex patribus Dictator populum rogaret: patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.*

Verum miror Coraſium nullam eorum habuiſſe rationem quæ ſequuntur in principio *lib.* 7. ubi inquit: *Annus hic erat inſignis novi hominis Conſulatu, inſignis duobus novis Magiſtratibus, prætura & curuli ædilitate; hos ſibi patricii quæſivere honores pro conceſſo altero plebi Conſulatu.* Et deinde: *Cum de induſtria omnia, ne quid per plebejum Conſulem ageretur, proferrentur: ſilentium omnium rerum, ac juſtitio ſimile otium fuit: niſi quod non patientibus tacitum Tribunis, quod pro Conſule uno plebejo tres patricios Magiſtratus curulibus ſellis prætextatos ſibi nobilitas ſumpſiſſet &c.* Fuere autem primum creati Ædiles Curules anno CCCLXXXVII. primique ex patribus hoc munere ornati Cn. Quinctius Capitolinus, & P. Cornelius Scipio, uti tradit Liv. *lib.* 7. *princ.* L. Sextio & L. Æmilio Mamerio Coſſ. Curules vocati, ut tradit Feſtus, quod curru vehebantur. Alii a Curia deducunt, Lipſius *de Magiſt. Rom.* a Cu-

Digitized by Google

a Curibus veteri oppido Sabinorum dicti putat curules. Et videtur pro hac derivatione militare Syllabæ ratio. Verum ut annotat Budæus, Curules a curru prima brevi ſcribendum; ut diſertus a diſſero, offella ab offa, &c. Ab Etruſcis quippe imperii Magiſtratuumque inſignia Romanos accepiſſe tradit Florus *lib.* 1. *cap.* 5. ubi inquit: *Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde Faſces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætextæ.* Et Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 6. *Tullus Hoſtilius Hoſti filius rex Romanorum tertius, debellatis Etruſcis ſellam Curulem, lictoreſque & togam pictam atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Etruſcorum erant, primus ut Romæ haberentur, inſtituit.* Recta itaque & vero magis conſentanea mihi videtur illa derivatio, quam primo loco deſcripſimus, a *Curru* ſcil. *Currulis* & abjecta ſecundum Budæi mentem altera litera R. *Curulis.* Nam ut apud Gellium *l.* 3. *c.* 18. *Baſſus dicit, Senatores in veterum ætate, qui Curulem geſſiſſent Magiſtratum, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent; quæ ob eam cauſam Currulis appellaretur.* Et Iſidorus *lib.* 20. *cap.* 11. Conſules & Prætores apud veteres propter itineris longinquitatem curru in forum provehebantur. Sellæ autem quæ poſt eos vehebantur, quibus ſedentes dicere jura ſolebant, a curru Curules ſellæ ſunt nominatæ. Hinc apud Suet. *Auguſt. cap.* 22. legimus Auguſtum bis ovantem urbem ingreſſum fuiſſe, atque tres Curules triumphos egiſſe. Triumphos Curules vocat ad differentiam ejus, quod paulo ante dixerat, bis ovans ingreſſus eſt; quippe ovationes triumphi erant minores, in hoc a Curulibus, id eſt, majoribus triumphis præter cætera diſcrepantes, quod ovantes equo inſidentes, vel ut Sabinus Maſſurius apud Gell. *l.* 5. *c.* 6. dicit, pedibus, ſequentibus eos non militibus, ſed univerſo Senatu, urbem ingrederentur; triumphantes autem curru invehebantur. Vid. Symmach. *epiſt.* 21. 22. Et Servius ad XI. Æneid.

Et ſellam regni, trabeamque inſignia noſtri.

annotat, ſellam curulem a curru dictam, quod ea tantum utebantur

bantur, qui triumphali curru invecti eſſent. Verum errare tamen hic videtur Servius, quod ſtatuit ea tantum uſi, qui triumphali curru invecti fuiſſent. Quippe & Prætores & Ædiles & Conſules apud Feſtum per Curules Magiſtratus deſignantur, qui Curuli ſella utebantur. Verum Curules Triumphos a curru, quo urbem triumphantes invehebantur, recte dictos autumat. Conſtabat autem ſella, ut deſcribit Caſaubonus apud Suet. *Auguſt. cap.* 43. quatuor lignis pluribuſve incurvis, in modum fere literæ S. productæ & minus curvatæ ab utraque parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri claudique poſſet, in aperta ſedebatur ſuper loris & linteis. Unde Martialis. *lib.* 2. *epiſt.* 57.

Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recenſque ſella, linteiſque loriſque.

Figura & forma ejus conſpicitur in antiquis denariis; fuit ea præterea gradibus eboreque & ſignis ornata ſculptaque. Hinc Ovid.

Conſpicuum ſignis cum premet altus ebur.
Signa quoque in ſella noſſem formata Curuli,
Et totum Numidæ ſculptile dentis ebur.

Quo quis autem dignitate & honore illuſtrior, eo ſublimius conſidebat. Quare poſt ſellam imperatoriam excelſiores cæteris Conſulum ſellæ. Unde per gradus aſcendendum erat in ſellam Curulem: Hinc Lucan. *lib.* v.

Lentulus e celſa ſublimis ſede profatur.

Et Tacit. 4. *Annal. Conſuleſque ſede vulgari per ſpeciem mœſtitiæ ſedentes, honoris locique admonuit*; id eſt, ſedebant in ſedibus Prætorum aut Tribunorum, quæ humiles erant, Conſulum vero, ut diximus, altæ & ſublimes. Papin. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *verſ.* 116.

- - - - Faſces ſummamque Curulem,
Frater, & Auſonios enſes, mandataque fidus
Signa tulit.

Per

Per *ſummam*, *Conſularem Curulem* intelligit, ad differentiam cæterarum. Et apud Juven. *Satyr.* 10. *verſ.* 91.

Atque illi ſummas donare Curules.

id eſt, Conſules facere. Fuerunt itaque ſellæ Curules initio Regum: deinde majorum Magiſtratuum, ut Conſulum, Prætorum, Ædilium: ſcil. qui ex patribus creati erant, & propterea Ædiles dicti. Unde ſella Curulis, Curule ebur, ſæpiſſime pro Conſulari dignitate, imo & Prætura atque Ædilitate poſitum legimus, ut Juven. *cit. loc.* Hinc Horat. *l.* 1. *epiſt.* 6. *verſ.* 53.

Cuilibet hic faſces dabit: eripiet Curule
Cui volet, importunus ebur.

ubi interpretes per *Curule ebur*, intelligunt Ædilitatem majorem, quamvis non ſolum de illa, verum & de aliis Magiſtratibus majoribus, qui ſella Curuli in forum & curiam vehebantur. Ceteri vero Magiſtratus, ut Tribuni, Triumviri, Quæſtores, & hujuſmodi minora exercentes judicia, non in ſellis Curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis ſedebant, ut inquit Aſcon. Pedian. *in divinat. in Verr.*

Verum etſi hunc honorem initio patres ſibi tantum vindicabant, ſequenti tamen anno, non patientibus Tribunis quod pro uno Conſule plebejo, tres patricios Magiſtrâtus Curulibus ſellis prætextatos ſedentes, nobilitas ſibi ſumpſiſſet: primo, ut alternis annis ex plebe fierent, concordiæ cauſa conceſſum, ſcribit Cic. pro *Cn. Planco.* L. Caſſium dixiſſe primum quendam Juventium, omni & virtute & humanitate ornatum adoleſcentem primum de plebe Ædilem Curulem factum eſſe; poſtea promiſcuum fuit, donec ea dignitas ad libertini generis homines delata eſt: quod accidit, cum Cn. Flavius Appii ſcriba, de quo ad §. 7. *h. t.* quædam diſputavimus, libertino patre natus, cum Quintio Anitio Prænestino, propter divulgatum ab eo jus civile, quod olim in penetralibus Pontificum reconditum aſſervabatur, a populo ad hujus honoris

faſtigium evectus eſt. Vid. a nobis *ſupr. annotata ad dict.* §. 1. Ad eorum autem munus & officium multa pertinebant procuranda. Quæ potiſſimum Cicero *in 7. in Verr.* deſcribit, cum inquit: *Nunc ſum deſignatus Ædilis: habeo rationem quid a populo Romano acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos, maxima cum ceremonia, Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque eſſe faciendos: mihi ſacrarum procurationem: mihi totam urbem tuendam eſſe commiſſam, ob earum rerum laborem & ſollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus, imagines ad memoriam poſteritatemque prodendam.* Ex quibus perſpicimus quanta Ædilibus incumbebant onera, quique etiam Ciceronis tempore eorum fuere honores. Unde quoque, *Sunto. ædiles. curatores. urbis. annonæ. ludorumque. ſolennium. Olleiſque. ad. honoris. amplioris. gradum. is. primus. adſcenſus eſto.* Ejus quippe Magiſtratus munificentia plenum aditum aperiebat ad Præturam & Conſulatum. Primum enim opera publica inſpiciebant ac tuebantur, & templa Deorum, cloacarum, aquæductuum, & omnium denique publicorum privatorumque operum curam habebant, providentes, ut ea integra, munda, & incorrupta conſervarentur. *l. unic. ff. de via public.* ut templa, theatra, ſtadia, fora, porticus, & baſilicæ atque mœnia magnificis operibus reficerentur & ornarentur. Seneca *Epiſtolarum* 86. *lib. ad Lucilium.* Balneorum ſui temporis luxuriam notans, oſtendit olim pauca fuiſſe balnea, nec cultu exornata; verum ſuo tempore ad Ædiles nobiliſſimos pertinuiſſe, ut intrarent loca quæ populum receptabant, exigerent munditias, & utilem ac ſalubrem temperaturam. Unde apud Plutarch. *quæſt. nat. Ignis ex oleo* (inquit) *inimicus eſt balneis, & tabulata ac fornices ſubditus labefactat. Ideo periti Ædiles non permittunt balnearum redemptoribus lignis oleaginis uti, ſicut nec lolium conjicere in ignem aut herbas, horum vapor gravedines capitis ac vertigines concinnat.* Et *in eadem Epiſt. Senec.* Dii boni, inquit, quam juvabat illa balnea in-

intrare, quæ ſcires Catonem tibi Ædilem aut Fabium Maximum manu ſua temperaſſe. Annonæ curam quoque habuiſſe, eodem loco ſcribit Cicero. Annonæ vero appellatione non ſolum res frumentaria, verum & vinum, oleum ceteraque rerum alimonia continetur. Hinc Liv. *lib.* 10. *cap.* 11. *Caritas etiam annonæ ſollicitam civitatem habuit: ventumque ad inopiæ ultimum foret, ut ſcripſere, quibus Ædilem fuiſſe eo anno Fabium Maximum placet, ni ejus viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempeſtatibus fuerat, talis domi tum in annonæ diſpenſatione, præparando ac convehendo frumentò fuiſſet.* Et Apulejus *l.* 1. *Ædilem gerimus & annonam curamus.* Tertio ludos ſolennes curabant; vocantur ludi ſolennes, qui ſtatis temporibus fiebant, ut Florales, Circenſes, Megalenſes, Romani, qui publice recepti erant. Privati autem ludi, funebres ſive votivi ad eorum munus non pertinebant. Lipſ. *de Magiſt. Rom.* Quum & magnificentiſſima munera & ludos apparatiſſimos, ad conciliandam ſibi populi benevolentiam & voluntatem per Ædiles vel Curules plebejos, nunc Romanos nunc plebejos, nonnunquam ſcenicos, publicis vel privatis impenſis, aut ex mulctatitia pecunia curatos & inſtauratos legimus. Alexand. ab Alexand. *dier. genial. lib.* 4. *cap.* 4. Ædilitii quoque fuit muneris, providere, ne quid occulti vitii, latenſque morbus eſſet in rebus, quæ vendebantur. Deque iis rebus jus dicebant. Plaut. in *Rudente actu* 2. *Scen.* 3.

Ita ſolet Neptunus, quamvis faſtidioſus Ædilis eſt
Si qua improbæ ſunt merces, jactat omnes.

De menſuris etiam cognoſcebant, ut ſupr. annotavimus. D. Hieronym. ab Ædilibus, quos ἀγ:ανόμυς Græci appellant, vendentium coercebatur rabies. Itaque regebant omnia, quæ ad venalium forum pertinebant. Unde Gell. *lib.* 4. *cap.* 2. In edicto Ædilium Curulium, qua parte de principiis vendundis cautum eſt, ſcriptum ſic fuit: TITULUS. SERVORUM. SINGULORUM. UTEI. SCRIPTUS. SIT. COERATO. ITA. UTEI. INTELLEGI. RECTE. POSSIT. QUID. MORBI. VITII. VE. QUOI.

 Q.

Q. SIT. QUIS. FUGITIVUS. ERRO. VE: FIT. NOXA. VE. SOLUTUS. NON. SIT. Publica curare, ſpectavit quoque ad Ædiles, funera publica eaque per præconem edicere, populum ad exequias evocare, atque id genus alia. Ovid. *lib.* 6. *Faſt.* 64.

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem:

Et Cicero *in fin. Philipp.* 9. de ſupremis honoribus Servio Sulpicio in legatione defuncto ſtatuendis a Senatu decretum: *Placere*, ait, *eum quam ampliſſime ſupremo die ſuo efferri.* Et ſtatim: *Senatum cenſere atque e Republica exiſtimare Ædiles Curules edictum, quod de funeribus habeant, Servii Sulpicii* Q. F. *Lemonia, Rufi, funeri mittere, utique locum ſepulchro in campo Eſquilino C. Panſa Conſul, ſeu in quo loco videbitur, pedes triginta quoquo verſus deſignet, quo Servius Sulpicius inferatur:* Verum & matrimoniorum, ſcortationum, & meretricum coercitionem quandam & regimen habebant; hinc matronas quandoque probri accuſabant. *Ædiles*, alibi ait Livius, *plebeji aliquot matronas probri accuſarunt: quaſdam ex iis damnatas in exilium egerunt.*

Itaque habuere Ædiles Curules coercitionem & juriſdictionem aliquam, non minorem vero quam Ædiles plebis. Hinc de quibuſdam cauſis edicta propoſuere, quæ juris honorarii portionem faciunt, unde frequens mentio ædilitii edicti, ex quo venditionum controverſiæ & actiones redhibitoriæ judicantur, & *Tit.* 21. *ff. de Ædilitio edicto & Redhibitione & quanti minoris.* Et Plaut. *captiv.* 10.

Euge, editiones ædilitias hic quidem habet.

multam non parenti irrogare, vel etiam flagellis in eos animadvertere Ædiles potuiſſe, conſtat ex *l.* 12. *de decurion.* ubi inquit JCtus Calliſtratus: *Eos, qui utenſilia negotiantur & vendunt, licet ab Ædilibus cæduntur, non oportet quaſi viles perſonas negligi. Denique non ſunt prohibiti ejuſmodi homines Decurionatum*

ve

Digitized by Google

vel aliquem honorem in ſua patria petere: nec enim infames ſunt, ſed ne quidem arcentur honoribus, qui ab Ædilibus flagellis cæſi ſunt, quanquam jure ſuo ita Ædiles officio iſto fungantur: &c. vid. quæ ad §. 19. diſputavimus. Erat autem, ut inquit Cicero, hic Magiſtratus adſcenſus & ad honores ampliores gradus, ut Præturam, Conſulatum, Cenſuram, quanquam non ſemper per illos gradus ad cæteros majores Magiſtratus pervenire neceſſe fuit. Quippe de P. Licinio Craſſo legimus apud Livium, eum ex Ædilitate ad Cenſuram provectum fuiſſe. Sic quoque T. Quintius Flaminius ex Quæſtura Conſulatum petivit, ut videre eſt ex notatis ad §. 16. Imo hujus Magiſtratus ea fuit dignitas, ut viri Conſulares eam non fuerint aſpernati. Unde apud Livium legimus, Q. Fabium Maximum conſulatui ſibi non petenti oblato ædilitatem Curulem prætuliſſe, *lib.* 10. *cap.* 9. Cic. *lib.* 2. *offic. Intelligo in noſtra civitate inveteraſſe jam a bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatis ab optimis viris poſtuletur. Itque & P. Craſſus cum cognomine dives, tum copiis, functus eſt ædilitio maximo munere.* Et paulo poſt, *L. Craſſus cum omnium hominum moderatiſſimo Q. Mucio, magnificentiſſima ædilitate functus eſt: deinde C. Claudius, App. F. multi poſt, Luculli, Hortenſius, Silanus; omnes autem P. Lentulus, me Conſule, vicit ſuperiores.* Fuit Conſul Craſſus anno DCXXII. cujus ædilitate primum elephantos pugnaſſe tradit Plin. *lib.* 9. *cap.* 5. *l.* 34. *c.* 7. & *lib.* 25. *cap.* 11. Et M. Agrippa poſt primum Conſulatum, etiamſi, quibus vellet ab Auguſto honoribus ornaretur, ad ædilitatem adſpiravit, eamque obtinuit. Phig. *lib.* 4. anno U. C. CCCXXVII. Quare apud Plin. *lib.* 36. *cap.* 25. *A. M. Agrippa in Ædilitate poſt Conſulatum &c.* Quemadmodum certis finita legibus eſt ætas unde honos petatur, ita ad Ædilitatem nemini aditus erat, niſi certum annorum numerum attigiſſet. Sic Quæſturæ definitum annum XXV. tradit Lipſius de *magiſt.* multis rationibus motus: *De Ædilitate*, inquit, *quanquam firmi admodum aut fixi nihil repperi: tamen attribuam fidenter Tribunatui ſive Ædilitati an.* 27. *aut* 28. *Certe quidem annum XXX. includam, quod is Præturæ fuit, ut dicam. Atque hoc de utraque Ædilitate ſunto: etſi in Curuli valde a nobis diſſentiant viri* docti.

Digitized by Google

docti. An. enim XXXVI. ei definiunt, quod miramur. Cur enim probabile, tantum otioſi intervalli fuiſſe inter Quæſturam & Ædilitatem. Multos autem hac lege annali ſolutos fuiſſe paſſim apud ſcriptores legimus: ſic ante definitum ædilitati annum Ædilis factus eſt P. Cornelius Scipio, cui poſt Africani fuit cognomen. *Huic enim*, inquit Liv. *petenti ædilitatem cum obſiſterent Tribuni plebis, negantes rationem habendam eſſe, quod nondum ad petendum legitima ætas eſſet; Si me, inquit, omnes Quirites Ædilem facere volunt, ſatis annorum habeo.*

---

§. 27. *Cumque Conſules avocarentur bellis finitimis: neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet: factum eſt, ut* Prætor *quoque crearetur, qui* Urbanus *appellatus eſt, quod in urbe jus redderet.*

Cumque Conſules avocarentur bellis finitimis: neque eſſet qui in civitate jus reddere poſſet, factum eſt ut Prætor quoque crearetur.] Ex veteribus monumentis conſtat, Conſules olim non ſolum bello præfuiſſe foris, ſed & juridicundo domi: unde & judices appellantur. Cic. *l.* 2. *de leg. Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, judicando, conſulendo,* PRÆTORES, JUDICES, CONSULES, *appellantor. &c.* vid. §. 16. *h. t.* Verum poſtea cum finitimis bellis avocarentur Conſules, ita ut juridicundo vacare nequirent, peculiaris Magiſtratus huic rei inſtitutus eſt, qui in urbe jus diceret, cuique ab eo tempore illud nominis proprium eſſe cœpit. Prætor autem dictus, ut ſupr. ad §. 16. annotavimus, *a præeundo,* quaſi *Præitor.* Varr. *lib.* 4. *de ling. lat. Prætor dictus, qui præiret jure & exercitu &c.* Quare Conſules olim Prætores *ad dict.* §. 16. nominatos diximus, quia exercitui præibant. Et Non. Marcell. *Conſules Prætores dictos*, quod *præirent populo*, ait auctoritate Varronis *lib.* 2. Creatus vero eſt anno U. C. 388. Cujus inſtituendi cauſam duplicem fuiſſe tradit Lipſius; *utilitatem* ſcil. & *æmulationem.* Cum enim Conſules bellis finitimis gerendis occupati juridicundo in urbe vacare non

Digitized by Google

non poſſent, e Repub. erat Magiſtratum creari, qui jus redderet in urbe, & juſtitiæ adminiſtrandæ præeſſet, non deberent enim inter arma ſilere leges: quid enim aliud eſt Reſpub. ex qua exulat juſtitia, quam omnium nequitiarum, ſcelerum, & improbiſſimorum hominum in mutuam perniciem advolantium officina, non hoſpes ab hoſpite tutus eſt, non ſocer a genero, ubi pœna metuſque abſunt, nec ſupplex turba judicis ora ſui timet, qui ſua ſceleribus ſupplicia & virtutibus præmia decernit, & quod juſtum & æquum eſt, pronunciat inter contendentes. Altera cauſa fuit *æmulatio*, ut ex Livio perſpicimus *lib.* 7. Patricii enim novum hunc honorem & Magiſtratum pro conceſſo plebi altero Conſulatu ſibi vindicarant. Vix enim æquo animo ferre poterant, quod plebs ſibi in omnibus muneribus fungendis æqualis erat, nulla ſibi aliqua peculiari dignitate reſervata. Verum & hic honos deinde plebi etiam communicatus eſt, anno urbis 417. cum Q. Publius Philo, ut Liv. tradit, primus e plebe Prætor creatus eſt. Maxima autem erat Præturæ dignitas, atque inter majores numeratus Magiſtratus, ſummoque honore & auctoritate pollebat, in quem illa conferebatur. Quippe & imperio cum in urbe, tum in provinciis Conſulatui proxima; iiſdem enim, quibus Conſules; creabantur Prætores auſpiciis, quamobrem Conſulum collegæ appellati fuere, ut perſpicimus ex verbis Meſſalæ apud Gell. *l.* 13. *c.* 15. *Patriciorum*, inquit, *auſpicia in duas ſunt diviſa poteſtates. Maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum, neque tamen eorum omnium inter ſe eadem, aut ejuſdem poteſtatis: ideo quod collegæ non ſunt Cenſores Conſulum aut Prætorum: Prætores Conſulum ſunt; ideoque neque Conſules aut Prætores Cenſoribus, neque Cenſores Conſulibus aut Prætoribus turbant aut retinent auſpicia; at Cenſores inter ſe, rurſus Prætores Conſuleſque inter ſe & vitiant & obtinent. Prætor etſi collega Conſulis eſt, neque Prætorem, neque Conſulem jure rogare poteſt, ut quidem nos a ſuperioribus accepimus, aut ante hæc tempora ſervatum eſt: & ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus Prætor, majus habet Conſul: & a minore imperio majus, aut major collega rogari jure non poteſt. Prætores nos his temporibus*

poribus Prætore creante veterum auctoritatem ſumus ſecuti: neque iis comitiis in auſpicio fuimus. Creabantur itaque, quia major Magiſtratus, comitiis centuriatis. Regia quoque inſignia, Conſulareſque ferme apparatus, ſella Curulis, lictores vero non amplius ſex, (alii duo tantum habuiſſe tradunt) trabea, cæteraque id genus ornamenta Prætori tradita ſunt. Attamen vetus lex apud Cenſorinum duos tantum lictores tribuit Prætori urbano, cujus verba ita ſeſe habent: *Prætor urbanus qui nunc eſt, quique poſthac erit, duos lictores apud ſe habeto.* Et apud Plaut. *in Epid. act.* 1. *ſcen.* 1. TH. *At unum a Prætura tua, Epidice, abeſt.* EP. *quidnam?* TH. *Scies; lictores duo, duo viminei faſces virgarum.* Sed id hac mente capiendum, inquit Lipſius, ut ad minimum duo ſemper in Tribunali ejus adſint & adpareant, non plures. Sed vide tamen quæ Cic. tradit *orat. de L. Agraria,* ubi inquit: *Cum ceteris in coloniis Duumviri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant, quibus primus annus hanc cupiditatem attuliſſet, nonque arbitramini paucis annis fuiſſe Conſulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, ſed ut hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.* Unde alii ſex lictores tribuunt Prætoribus Provincialibus, vel quibus imperium dabatur extra ordinem Prætoribus, quapropter Appianus, Plutarchus, & Polybius, *lib.* 3. hanc Præturam, ἑξαπέλεκυν ἀρχὴν, quaſi ſex ſecurium Magiſtratum appellant. Cicero de Verre Siciliæ Prætore: *Sex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos, verberandoſque homines exercitatiſſimi.* Verum ſtatuit Paſſeratius, priſco ſeculo duos tantum fuiſſe Prætori, poſt vero ſex datos.

Qui urbanus appellatus eſt, quod in urbe jus redderet.] Urbanum appellavere Romani Prætorem, quem creavere primum, ad differentiam alterius, qui poſtea creatus eſt & peregrinus dictus, quod jus inter peregrinos dicebat, ita occaſione collegæ, qui ei addebatur, urbanus dici cœpit, atque ad ejus pertinebat curam inter cives jus reddere, principemque locum inter Prætores, quorum numerus interjecto tempore augebatur, obtinebat. Unde *Prætor urbanus* major, *peregrinus* minor appellatus fuit. Imo ratione aliorum Prætorum &

Digitized by Google

& imprimis peregrini proprio cognomento honoratum eum dici ab Ovidio *lib.* 1. *faſtor.* vult Lipſius,

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

Unde quoque jus, quod ab eo ejuſque edictis fluere cœpit; jus honorarium dicitur. Hotomanus tres differentias inter præturam urbanam & peregrinam fuiſſe tradit. *Prima eſt*, quod ſoli cives Romani agere apud urbanum potuerint, peregrini non item. *Altera*, quod apud urbanum lege ageretur, apud peregrinum nequaquam. *Tertia*, quod *Prætor Urbanus* edictum in albo proponeret, quibus de rebus jus eo anno dicturus eſſet: cum alter nuſquam legatur propoſuiſſe, ſed, ut idem vult, ex *Urbano edicto* jus dicebat. Unde juris honorarii appellatione intelligitur illud, quod ab urbani Prætoris auctoritate provenit, qui & honorarius dicitur, tanquam & honore & dignitate altero major & ſuperior. Imo ex urbani Prætoris edictis formabant edicta ſua translatitia Prætores alii.

Munera autem Prætorum urbanorum tria præcipue fuere: *Ludi*, *Sacra*, *Jurisdictio.* Ludis præfuiſſe ſæpiſſime, eoſque ad populi captandam voluntatem varios edidiſſe, ignorare nequit, qui non plane in hiſtoriis hoſpes. Vide Liv. *lib.* 26. *cap.* 23. ubi Prætore de Ludis Apollinaribus celebrandis ad Senatum referente, decretum eſt, ut in perpetuum voverentur. A cæteris quidem Prætoribus largitiones, ſpectacula, & gladiatores: a te vero majorum tuorum debitum, everſionem tyrannidis repetunt, inquit Craſſus ad Brutum, prætura urbana defungentem. Huc ſpectat quoque *l.* 5. §. 10. *ff. commodati vel cont.* ubi inquit Jctus: *Interdum plane dolum ſolum in re commodata, qui rogavit, præſtabit, ut puta ſiquis ita convenit: vel ſi ſua duntaxat cauſa commodavit, ſponſæ forte ſuæ, vel uxori, quo honeſtius culta ad ſe deduceretur, vel ſiquis ludos edens Prætor ſcenicis commodavit, vel ipſi Prætori quis ultro commodavit.* Et apud Juvenal. *Satyr.* 8. *verſ.* 194.

Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.

Et *Satyr.* 10.

> *Quid, ſi vidiſſet Prætorem curribus altis*
> *Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere Circi*
> *In tunica Jovis.*

Et *Satyr.* 14. *verſ.* 256.

> *Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,*
> *Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti.*

Hinc quoque Martial. *Epigram.* 29. *l.* 12.

> *Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam.*
> *Prætori Mappam ſurripit Hermogenes.*

Erat autem Mappa ſignum, quod mittendis quadrigis dabatur in ludis Circenſibus. Quare apud Suet. in Nerone *c.* 22. *Mox & ipſe aurigare, atque etiam ſpectari ſæpius voluit: poſitoque in hortis inter ſervitia, & ſordidam plebem rudimento, univerſorum ſe oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde Magiſtratus ſolent.* Sic Juvenal. *Satyr. XI. Megaleſiacæ ſpectacula mappæ*, pro ipſis Megalenſibus dixit. Bonæ Deæ ſacrum plerumque curabant, quod domi ab uxore fiebat; quippe ſacra Bonæ maribus non adeunda Deæ. *Tibull.* 1. *eleg.* 6. unde apud Plutarch. in *Caſare: Eſt apud Romanos Dea, quam bonam dicunt, ſicut Græci muliebrem. Hanc Phryges ſibi aſſerentes peculiarem, Midæ regis autumant matrem eſſe, Romani nympham Dryada Fauno nuptam, Græci liberi patris eam matrem, quam nefandum eſt nominare. Unde pampinis tentoria feſtum diem agitantes mulieres contegunt, ac ſacer draco ex fabula ad pedes Deæ jacet. Eo virum fas non eſt accedere, neque dum ſacra aguntur, eſſe. Solæ fœminæ multa Orphicis germana memorantur in ſolenni peragere. Ubi feſtus dies inſtat, celebratur in ædibus Conſulis vel Prætoris, ipſe autem domo omneſque viri cedunt. Uxor ſola domum parat, peragiturque fere nocte per luſum pervigilio commiſtum, inter magnum concentum.* Et idem in *M. Cicerone: Nam ipſius domum tenebant mulieres, quæ arcanis ſacris bonæ Deæ, quam Græci appellant Gynæciam, operabantur.*

Hac

Hæc ſacra quotannis in ædibus Conſulis uxor ejus aut mater virginibus Veſtalibus præſentibus obit. Præcipuum vero Prætoris erat munus juriſdictio, in ea conſiſtebat maxima ejus auctoritas poteſtaſque; apud eum enim omnis publici privatique juris reſidebat poteſtas, ita ut ipſi novum jus condendi veterique derogandi eſſet facultas, unde Liv. *Penes quem* (de Prætore ſermonem habens) *Magiſtratum omnis publici privatique juris poteſtas, ut & novum jus conſtituere, & vetera abrogare facultas eſſet.* Solebat vero initio præturæ Prætor urbanus edictum ſive juris formulam ex legibus Romanis aliorumque ſuperiorum Prætorum edictis, ſibi conſtituere, & in albo proponere: ſecundum quod durante prætura jus dicere vellet de cauſis, quæ ad ſuam juriſdictionem pertinebant. Et erat revera hoc edictum nihil aliud, quam legum & juris vera ex æquo & bono interpretatio formulis certis deſcripta, publicata a Prætore urbano. Phig. *annal. lib.* 4. Solebant aliquando Prætores jus civile vel adjuvare, vel ſupplere, vel corrigere, ubi publica id ſuadere utilitas videbatur, *l.* 7. *ff. de juſt. & jur.* idque proponendo edicta ſua, & quod hiſce edictis conſtitutum erat, jus Prætorium dicebatur. Sic ſcriptis heredibus bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas decernendo juvabat jus civile: interdum corrigebat & emendabat: ut cum liberis emancipatis ab inteſtato, & alienis poſtumis inſtitutis, contra duritiem veteris legis bonorum poſſeſſionem dedit. *§. emancipati. de hered. quæ ab inteſtat. §.* 1. *de bonor. poſſ.* nonnunquam ſupplebat, cum utilem dabat actionem, quando nulla erat jure civili actio prodita, & tamen æquum erat actionem dari. Ita enim Pomponius in *l.* 11. *ff. de præſcript. verbis. Quia actionum non plenus numerus eſſet, ideo plerumque actiones in factum deſiderantur. Sed & eas actiones, quæ legibus proditæ ſunt, ſi lex juſta ac neceſſaria ſit, ſupplet Prætor in eo, quod legi deeſt. Quod fecit in lege Aquilia reddendo in actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ: idque utilitas ejus legis exigit.* Creatus igitur fuit Prætor, ut in urbe inter cives jus redderet, & quidem de rebus civilibus; nam in facinoroſos gravius conſulendi vel animadvertendi ipſi facultas non fuit. Cum merum imperium non habuerit, ſaltem primis Reipub.

 tem-

temporibus; merum autem imperium definitur, quod ſit poteſtas animadvertendi in facinoroſos *l.* 3. *ff. de juriſd.* De nullo enim judicabat crimine. Quare nec Quæſitor dicebatur; tantum in civilibus controverſiis ad eum delatis jus dicebat, hoc eſt, judices & judicia dabat. Forſter. *de juriſd. Rom.* vel ipſe judicabat, & duabus hiſce in rebus tota Prætoria juriſdictio poſita fuit. Unde Cicero in legibus: *Juris diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor eſto, juris civilis cuſtos eſto.* Quare jus dicentis verbo Prætorem ſignificamus *l.* 1. *ff. de juriſd.* Sic apud Plaut. *in Epid. act.* 1. *ſcen.* 1. Teſpio Epidico jus ſe dicturum minanti reſpondit:

Jam tu autem nobis præturam geris.

Cum vero judicavit ipſe, tum decreviſſe aut decretum interpoſuiſſe; cum judicare juſſit, tum judicem, judiciumve, aut actionem dediſſe dictus eſt. Quando autem decrevit, tum aut dixit, aut addixit, aut dedit: cum judicare juſſit, tantum dedit; unde tota juriſdictio tribus hiſce verbis contenta fuit; *Do, Dico, Addico.* Sigon. *de jud. l.* 1. Verum augendæ & tuendæ auctoritati & dignitati ſuæ, ipſi Prætores non ſolebant judicare de privatorum cauſis, verum judices privatis dabant: quibus juris & æquitatis formulam præſcribebant, quam ſequerentur, in hunc fere modum: *L. Octavius judex eſto: ſi paret fundum Capenatem, quo de agitur ex jure P. Servilii eſſe: neque is fundus Q. Catulo petitori reſtituetur. Contra, ſi paret non Servilii: ſed Q. Catuli ex jure eſſe: eum Servilius Catulo dare, reſtituereve damnas eſto.* Cic. 4. *in Verr.* Imo tandem in conſuetudinem abiit, ut ipſi Prætores non niſi extra ordinem judicarent, quando id favor aut cauſæ neceſſitas; æquitaſve flagitare videbatur. Extra ordinem ergo dicebat jus Prætor, quoties non data actione ipſe in jure decernebat, jubebat, cognoſcebat. Hinc jus dicere & judicare a ſe invicem diſtinguuntur. *Tit. Cod. ne quis in ſua cauſ. jud. vel jus dic.* Attamen cum & judicem dabat, jus dicebat, quippe judicis dandi licentia eſt juriſdictionis *l.* 3. *ff. de juriſdict.* Poſſit nobis objici, quod in datione judicis nulla cauſæ cognitio vertatur, adeoque

Digitized by Google

que non poſſe dici eſſe juriſdictionis. Verum notandum, ut ſupra diximus, Prætorem ſolitum fuiſſe cauſæ cognitione prævia formulam præſcribere, ſecundum quam judicem pronuntiare neceſſe habebat. Quando itaque Prætor ipſe favore cauſarum vel perſonarum jus dicebat, extraordinaria illa cognitio dicebatur; propterea quod id fieret contra conſuetudinem & ſolennem judiciorum ordinem. Unde quæ per judices datos fiebant, juris ordinarii, quæ vero per Prætorem extraordinarii dicebantur, id genus ſunt, *interdicta, juſſus de cavendo Prætoria ſtipulatione, reſtitutio minorum ex cauſa ætatis l.* 13. *§.* 1. *ff. de minor. Præjudicia.* Omneſque aliæ cognitiones prætoriæ. Quas cauſas vel ſuæ ipſi ſibi reſervarunt Prætores cognitioni, vel lex, vel Senatuſconſultum, vel Principis conſtitutio ipſis eas injunxit, ita ut ipſe de variis rebus cognoſcere neceſſe haberet Prætor, nec alii mandari poterat: ejuſmodi quoque erat juriſdictio de fideicommiſſis, quam voluit Tiberius in urbe tantum delegari Magiſtratibus, & per Provincias poteſtatibus. Suet. *in Claudio cap.* 23. ſcil. ut ipſi Magiſtratus eorum cognitionem ſuſciperent, eamque alii mandare nequirent: quamobrem in *l.* 178. *§.* 2. *in fin.* Ulpianus inquit, *perſecutionis verbo extraordinarias perſecutiones contineri, ut puta fideicommiſſorum, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent juris ordinarii executionem.* Scil. quorum cognitio judici pedaneo vel delegato a Prætore vel Conſule mandari nequit. Et iterum *Tit.* 25. *inſt. Fideicommiſſa non per formulam petuntur, ut legata, ſed cognitio eſt Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris, qui fideicommiſſarius vocatur: in Provinciis vero Præſidum provinciarum.* Per *formulam*, id eſt, per actionem, dato judicio, ſive judice pedaneo, eique præſcripta formula. Duobus itaque modis Prætorem inter duos litigantes jus dicere ſolitum ex hiſce, quæ diſputavimus, perſpicimus. Vel dato judice, qui jus ſecundum præſcriptam formulam a Prætore dicebat inter eos, qui litigabant de illis rebus, qui ordinarii erant juris; vel ſine judice & ſine formula ipſe decernebat & ſuum interponebat decretum, idque in cauſis jam a nobis relatis, quæ non erant juris ordinarii: ideoque illud ordinaria via & more conſueto, hoc autem extra ordinem fieri

 di-

dicebatur. Hinc etiam illa differentia inter jus & judicium, ita ut quædam dicantur in jure, quædam in judicio fieri. Quod ita intelligendum, ut in jure agatur coram Magiſtratu, ſive pro tribunali jus dicente, ſive de plano, id eſt, ſella poſita, ex loco æquo ſeu inferiore, Sutholt *de juriſd.* nunquam coram judice; in judicio agatur coram judice, nunquam coram Magiſtratu. Quando autem ordinaria via litigabatur coram judice dato, obtinuit olim, ut, antequam daretur judex vel judicium conſtitueretur, neceſſe eſſet, ut prius conſtaret de jure agendi, ſcil. an actio competeret, & ſi competeret, quomodo. De hoc utroque ut poſſet conſtare, apud Prætorem ſive Magiſtratum cauſa agebatur ſummatim, qui examinatis & auditis litigantium intentionibus atque depulſionibus, actionem ſecundum ea, quæ audiverat, vel denegabat vel dabat, prout hoc vel illud fieret, ita judicium conſtituebat vel judicem dabat, qui in judicio de facto cognoſceret, præſcripta illa juris formula, ſecundum quam ſententiam ferret, aut id omne denegaret. Vultejus *de jud. lib.* 1. *cap.* 3. Ex quibus perſpicimus, nec in jure ſemper agere moris fuiſſe, antequam agebatur in judicio; *ita ut* (inquit Vultejus) *illud prius*, *hoc poſterius*, *non tamen ut ſe invicem ſequerentur neceſſario*, *cum interdum actum juris non ſequeretur judicium*, *utpote a Prætore denegatum*, *cujus in jure de eo cognitio erat omnis*, *utrum poſtulanti actio danda*, *ac proinde judicium conſtituendum eſſet*, *an vero deneganda*. Vel etiam non ſequebatur judicium, id eſt, non dabatur judex, quoties ipſe Prætor (ut diximus) decretum interponebat, & ita in jure controverſia Prætoris decreto dirimebatur. Vid. Sig. *de judiciis*. Non abs re fore puto, ſi paulo altius hic repetam, quæ in ſolenni & conſueta litigandi & diſceptandi ratione, cum ante tum poſt litem conteſtatam obtinuerunt, ut clarius nobis judiciorum, & eorum, quæ, antequam judicium vel judicem Prætor dabat, obſervabantur, conſtaret ratio. Sciendum itaque, ſi quis aliquem convenire, vel alia quacunque ratione actionem intendere animum induxerat, prius tentabat vel per amicos vel aliqua quacunque ratione privatos inter parietes, quid poſſet proficere, antequam jure experiebatur. Unde Livius: *Cum res peragi intra*

pa-

Digitized by Google

parietes nequiſſet, ventum in jus eſt. Ubi vero coram diſceptatore domeſtico intra parietes convenire nequibant, tum die poſtulationum petitor eum unde petebatur, in jus vocabat. Sig. *lib.* 1. *cap.* 18. Eſt autem in jus vocare, juris experiundi cauſa vocare. *l.* 1. *ff. de in jus vocand.* ſcil. apud eum, qui juriſdictioni præeſt. Quæ citatio eſt judicii principium, eum in finem facta, ut quis jus ſuum per judicem conſequatur, quod ſine judicii ſtrepitu ab adverſario impetrari nequit. Hæc autem in jus vocatio aliter jure veteri fiebat, aliter jure novo. Poterat olim actor non impetrata Prætoris venia auctoritate propria reum in jus vocare, eumque, ſi ſponte non vellet ſequi, adhibita vi & manu injecta, obtorto collo trahere. Quare in legibus XII. tabb. SI IN JUS VOCET, ATQUE EAT, NI IT, ANTESTATOR. IGITUR IN CAPITO, SI CALVITUR PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO JACITO. Quæ legis verba expoſuit Briſſon. *de formul. lib.* 5. ubi ita inquit; Quod ſi vocati in jus protinus illum non ſequerentur, ſed fruſtrarentur pedibuſve ſtruerent, teſtimonium iis, qui præſto aderant, denunciabatur his verbis, *licet anteſtari?* Quæ hoc ſignificant, licetne vobis teſtibus ad hanc rem uti. Illi ubi *licet* reſpondiſſent annuiſſentve, aurem, in qua memoriæ ſedem veteres locabant, porrigebant, qua molliter tacta & apprehenſa, monebantur rei geſtæ memores eſſe, quo facto manu injecta, adverſarius ni ſatiſdaret, in jus rapi, obtortoque collo ad Prætoris tribunal trahi poterat. Ejuſmodi teſtem leges Bajoarium, ut & alii ſcriptores ævi poſterioris *teſtem per aurem tractum vocant.* Hinc quoque *aurem alicui pervellere,* eſt aliquid alteri in memoriam revocare. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtamur.* Plin. *lib.* 11. *cap.* 45. Huc pertinet quoque illud Horatii *Satyr.* 9.

- - - Caſu venit obvius illi
Adverſarius, & quo tu turpiſſime magnà
Exclamat voce & licet anteſtari; Ego vero
Oppono auriculam, rapit in jus clamor utrimque
Undique concurſus. - - - -

Qui

Qui enim non recuſabat eſſe ſe teſtem, ſolebat opponere auriculam, & hanc ſibi contingere permittebat.

Hinc Plaut. *in Perſa act.* 4. *ſcen. ult.* SA. *Age ambulo in jus, leno.* DO. *quid me in jus vocas?* SA. *Illi apud Prætorem dicam. Sed ego in jus voco.* DO. *Nonne anteſtaris?* SA. *tua ne ego cauſa carnufero.* Eam tamen legem, quam ſtatim ex legibus XII. tabb. deſcripſimus, ita temperarunt Decemviri, ut neque ſequi cogatur reus, neque duci poſſit qui morbo ſontico implicitus erat. Unde leg. XII. tabb. ſancitum: SI JUDEX ARBITERVE, VEL ACTOR, VEL REUS. SI ALTERUTER EX LITIGATORIBUS, MORBO SONTICO IMPEDIATUR, JUDICII DIES DIFFISUS ESTO. Morbus ſonticus ille dicitur, qui cujuſque rei peragendæ impedimento eſt, quo quis impeditur, ut rebus ſuis ſupereſſe nequeat; nam levis morbus vel imbecillitas non excuſat, attamen voluerunt leges, ut ſi in jus vocatus leviori alicui morbo, vel ſenectuti, *quæ ipſa* (ut ait Terentius) *morbus eſt*, ſit implicitus, ei jumentum vel vehiculum demus, quo commodo ſuo in jus venire poſſet. At morbo ſontico vel graviori laborante, (ſuadet enim humanitas, & æquitas, ne afflicto addatur afflictio) vel judice, vel actore aut reo, diem diffindi ſive differri debere legibus cautum. Quare Julianus *in l.* 75. *ff. de jud. in fin. Si autem morbo impeditus, aut Reipub. cauſa avocatus, adeſſe non potuit reus, puto vel actionem judicati eo caſu in eum denegandam, vel exſequi Prætorem ita judicatum non debere.* Vid. *l.* 15. & 16. *ff. de recep. qui arb.* Et *in l.* 53. *§.* 2. *ff. de re jud. Pœnam contumacis non patitur, quem adverſa valetudo, vel majoris cauſæ occupatio defendit.* Prætores autem deinde alteram exceptionem adjecerunt: ut, qui ſatisdederit in jus vocatus, non ducatur. Legibus enim XII. tabb. ita conſtitutum erat, ut in jus vocatus neceſſe haberet protinus ſine mora vocantem ſequi: quam ſequendi neceſſitatem nulla ratione declinare poterat, niſi ſatisdando vel cavendo judicio ſiſti, adeo ut neutro præſtito, vocanti, ut ſupra annotavimus, vocatum obtorto collo in jus trahendi poteſtas eſſet. Quo pertinet *tit. ff. in jus vocati ut eant vel ſatis aut cautum dent.*

Po-

Digitized by Google

Poſtremo a prudentibus additum, ut in hoc quoque genere parceretur ei, qui domi eſſet ſuæ. Unde Gajus *l.* 1. ad leg. XII. tabb. *l.* 18. *ff. de in jus voc. Plerique putaverunt nullum de domo ſua in jus vocari licere: quia domus tutiſſimum cuique refugium, atque receptaculum ſit: eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Quippe, ut inquit Paulus Jctus *in l.* 19. *ff. eod. Satis pœnæ ſubire eum ſi non defendatur & latitet, certum eſt: quod mittitur adverſarius in poſſeſſionem bonorum ejus. Sed ſi aditum ad ſe præſtet, vel ex publico conſpiciatur, recte in jus vocari.* Et *l.* 21. *ff. eod.* Idem Jctus: *Sed etſi is, qui domi eſt, interdum in jus vocari poteſt, tamen de domo ſua nemo extrahi debet.* Attamen ne ſic quidem domi ſe continens vocatus, judicium reddebat inane ac inutile, verum non latitans, Edictis evocabatur. Idque ad ædes latitantis ponebatur cum ſolenni vicinorum teſtatione. Si autem primæ evocationi non obtemperaret, alteram decernebat Prætor, & mittebatur adverſarius in poſſeſſionem bonorum ejus: quæ tandem vendebantur propter contumaciam latitantis. Si tertia evocatione ſui defenſionem ſuſcepiſſet. Itaque in Edicto Prætorio erat: Qui fraudationis cauſa latitaverit, ſi boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona poſſideri vendique jubebo: de quorum venditionis ſolennitatibus, quæ in bonis auctioni ſubjiciendis obſervabantur, vid. Sig. *lib. de jud.* Quando autem non latitabat in jus vocatus, ſed ſecum agendi facultatem actori faciebat, poſtulationum die in jus ſequebatur adverſarium: & actor impetrata loquendi licentia actionem ei edebat, qua adverſus eum uti volebat, Sig. *dict. loc.* Itaque olim antequam in jus ventum erat, reo actionem edere actorem cogi non ſolebat. Quamvis contrarium ſtatuat Vultejus *lib.* 2. *cap.* 2. *de jud.* ubi multa adfert argumenta, quibus motus contrariam opinionem fuit amplexus. Ad noſtram confirmandam ſententiam faciunt, quæ apud Plaut. in *Perſa* legimus:

> *Age, ambula in jus, leno.* D. *quid me in jus vocas?*
> SA. *Illic dicam apud Prætorem; ſed ego in jus voco.*

Licet aliquando copiam actionis deſcribendæ priuſquam ve-

niret in jus actor facere poſſet, ut proinde reo deliberandi eſſet facultas, utrum cedere an contendere vellet, & ſi contendendum putaret, veniret paratus, cognita actione qua conveniretur. *l.* 1. *ff. de Edendo.* Verum id non erat neceſſitatis, ſed voluntatis. Edita actione, qua uſurus erat, actor eam a Prætore poſtulabat, id eſt, petebat ut ſibi liceret in adverſarium intendere. Sig. *dict. loc.* Eſt autem *poſtulare, deſiderium ſuum in jure apud eum qui juriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere.* Illud actoris eſt, hoc rei. *In jure*, eſt coram Prætore vel tribunali, non judice pedaneo, qui tribunali caret. Actione edita adverſario, eaque a Prætore poſt poſtulationem impetrata, tum actor certa verborum concepta formula vadabatur reum, id eſt, vades, ſive ſponſores petebat, fore, ut certo die, qui plerumque perendinus erat, ſe in jure ſiſteret. Sig. *lib.* 1. *de jud.* Vas autem, teſte Varrone, fuit, qui pro altero vadimonium promiſit, id eſt, qui alterum adfuturum ſpondet. Definitur enim vadimonium ſponſio ad certum diem ſiſtendi ſe in judicio, vel per ſe, vel per procuratorem; qui autem tale vadimonium promittebat, fidejubebat ſuo periculo alterum venturum ad diem citatum. Cic. *pro Quinctio: Vadari vis, promittit.* Vadari autem nihil aliud eſt, quam die dicta vades exigere; cautio ſive ſponſio itaque ipſa dicebatur vadimonium; quaſi promiſſio de vadando interpoſita, ex quo is, qui vadabatur, dicebatur promittere vadimonium; is cui promittebatur ſcil. actori, dicebatur vadimonium accipere, & fidejuſſores intervenientes dicebantur vades. Reus veniens & ſe condicto die ſiſtens dicebatur obire vadimonium, non veniens dicebatur vadimonium deſerere, quomodo promiſſio ſiſtendi judicii cauſa facta deſeri dicitur. *Solebat enim Prætor tertio die, qui cognitionibus erat dicatus, & comperendinus appellabatur, actiones editas & poſtulatas ex ordine recitare, atque actores reoſque per accenſum jubebat citari, aut judicia actionibus eorum cognoſcendis dare. Si vero litigatores die conſtituto ad vadimonium non accurriſſent, litem amittebant. Præcipue vero reus, ſi vadimonium deſeruiſſet, quod promiſerat, perdebat litem; quia Prætor, poſtulante actore, ex edicto bona ejus poſſideri jubebat, & ſi 30. dies eſſent poſſeſſa, neque*

que ille ſe defendiſſet, vendi jubebat. Sig. *dict. loc.* Ut apud Cic. in cauſa Quintiana, ubi Sextus Nævius miſſus eſt in poſſeſſionem bonorum Quintii, propter Quintii contumaciam deſerti vadimonii. *Ad vadimonium non veneratis, quicum tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſæ & neceſſitudines veteres intercedebant. Illicone ad Prætorem ire convenit? Continuone verum fuit poſtulare, ut ex edicto bona poſſidere liceret.*

Si uterque occurriſſent, tum ſe ſtitiſſe dicebantur, ſuaque promiſſione dati fidejuſſores exſolvebantur. Atque tum prior reus ita agebat: *Ubi tu es qui me vadatus es, qui me citaſti? ecce ego me tibi ſiſto, tu contra & te mihi ſiſte.* Procedente autem actore, rogabat, *Quid ais?* Reſpondebat actor: *Ajo vel fundum, quem poſſides, meum eſſe. Vel ajo te mihi facere vel dare oportere.* Prout natura actionis poſtulabat, quam intendere volebat, reſpondebat. Sig. *lib.* 1. *de jud.* Quemadmodum varias actiones intendebat actor, ita diverſæ quoque concipiebantur formulæ: Concepta vero actionis intentione, actor judicium ſive judicem a Prætore poſtulabat. Verum notandum, quod judicis nomen ſit generale, adeo ut & arbitrum & recuperatores ſua ſignificatione amplectatur. Quippe pro actionis natura alterum horum poſtulabat actor. Erat vero in arbitrio Prætoris aut dare, aut non dare. Hinc toties in jure *judicium dabo, judicium non dabo.* Judex cognoſcebat de omnibus quæſtionibus cum juris, tum etiam facti, verum quæ eſſent, & leviores, & ad judicandum faciliores. Sig. *dict. loc. Arbiter*, quæ bonæ fidei & arbitrariæ appellatæ. *Recuperatores* dicti, de rebus privatis recipiendis reddendiſque cognoſcebant. Quando de jure potius quam de facto quæreretur, Prætor cauſam ad Centumviros, qui conſilium ejus erant ordinarium, remittebat. Hinc Cic. 1. *de oratore: Volitare in foro, hærere in jure, ac Prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate & jure certetur, jactare ſe in cauſis Centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilia jura verſentur, cum omnino quid ſuum, quid alienum,*

quare denique civis, an peregrinus, ſervus an liber ſit, inſignis eſt impudentiæ. Si de facto quæſtio verſaretur, Recuperatores judices ab eo dabantur, præſcripta judicandi formula, qua judicium conſtituerat, *Si paret R. dare oportere.* Dato autem acceptoque judicio, obtinuit, ut ſatiſdationes præſtarentur, vel a litigatoribus, vel eorum procuratoribus: nimir. *judicatum ſolvi, & rem ratam habere;* alterum ad actorem, hoc ad procuratorem pertinet. Quibus rebus ita peractis, litem conteſtabantur. *Conteſtari* autem litem dicebantur, cum, ordinato judicio, utraque pars dicebat, *teſtes eſtote.* Feſtus; conteſtari enim ſignificat teſtibus adhibitis aliquid declarare ac profiteri, & quod ita fiebat præſentibus teſtibus, dicebatur fieri conteſtato *l. 1. ff. quod juſſu. l. 1. §. 12. ff. de agnoſcend. lib.* Atque ita in litis conteſtatione conteſtari eſt, cum utraque pars dicit, *teſtes eſtote,* quaſi ſimul teſtentur. Cujac. *lib. 9. obſerv. cap. 21.* ait, *Litis conteſtationem eſſe ejus rei, de qua controverſia eſt apud judicem, ex utraque parte factam narrationem teſtibus præſentibus.* Hoc genere, inquit, res in judicium deducitur, & litis nomen accipit. Nec enim proprie lis eſt, antequam conteſtetur, ſed controverſia, *l. 25. §. ſi ante. ff. de hered. petit.* Lis conteſtata videtur, cum Judex per narrationem negotii & reſponſionem cauſam audire cœpit. Verum perperam ſtatuit JCtus florentiſſimus, litis conteſtatione rem in judicium deduci, & actorem conteſtando litem facere, judicium dictare, reum accipere. *arg. l. 11. ff. de jud.* Et optime Faber in ſuis *Ration. de hered. petit.* annotavit, nullum poſſe eſſe judicium, antequam Judex quiſquam ſit; Judex autem nullus eſt, niſi qui a Prætore aut alio Magiſtratu poſt litem conteſtatam datur. Qui in judiciis ordinariis jure veteri, in quibus ipſi Magiſtratus non ſolebant judicare, poſt litem apud ſe conteſtatam dabant judicem, qui de facto cognoſceret & pronunciaret. *l. 4. Cod. de pedan. jud.* itaque nullum poteſt eſſe judicium, niſi præcedat & abſoluta ſit prius litis conteſtatio. Tum judicis dati incipiebant partes, & de cauſa cognoſcendi & pronunciandi facultatem nanciſcebatur. Quæ præcedebant, omnia fiebant in jure apud Prætorem vel Magiſtratum, cui dandi judicem erat poteſtas. Quare quicquid

Digitized by Google

quid a tempore litis conteſtatæ uſque ad ſententiam latam fiebat, id omne in judicio fieri dicebatur. Obſervandum, judicem datum non mandantis, ſed ſua vice fungi, itaque in cognoſcendo & pronunciando utebatur cognitione & poteſtate ſua, non ejus qui dederat, vel Prætoris, vel alius cujuſcunque Magiſtratus. Cognoſcebat enim plerumque de facto: jus accipiebat ex formula actionis a Prætore ipſi præſcripta atque data. Hinc Papinianus in *l.* 1. *§.* 4. *ff. ad S. C. Turpillian.* reſpondit, facti quæſtionem eſſe in arbitrio ſive poteſtate judicantis. Quare ne quidem referre de hujuſmodi quæſtionibus ad Magiſtratum poteſt, id eſt, ad eum, qui ipſum judicem conſtituit, conſilii gratia, ut ab eo informetur. *l.* 3. *Cod. de pedan. jud.* Poteſtas exequendi & coercendi pertinet ad eum, qui judicem dedit, ita ut judicis dati poteſtas ſententia pronunciata finiatur. Judex, poſtquam ſemel ſententiam dixit, poſtea judex eſſe deſinit, ut inquit Ulpianus in *l.* 55. *ff. de re jud.* coercitiones & judicati executiones illæ non niſi coram, & a Prætore fieri poterant, quoniam judex datus nullam omnino habebat juriſdictionem neque imperium, ſcil. mixtum, quod juriſdictioni ineſt, atque ei ita cohæret, ut ab ea divelli nequeat, *l.* 3. *ff. de juriſd.* adeoque ipſe ſententiam ſuam exequi non poterat, ſed Magiſtratus, a quo datus erat: *A Divo Pio reſcriptum eſt, Magiſtratus populi Romani, ut judicum a ſe datorum vel arbitrorum ſententiam exequantur hi, qui eos dederunt,* *l.* 15. *ff. de re jud.* Hæc jam ſatis arbitror de juriſdictione Prætoris, cum de extraordinaria, tum etiam ordinaria judicis dandi licentia, quæ ſibi locum vindicabat in judiciis privatis atque ordinariis. Verum annotandum, præterquam quod tam amplam in juredicundo poteſtatem habuerit Prætor urbanus, ad ejus officium multa quoque alia pertinuiſſe jura. Literas allatas, in Senatu recitabat, ut apud Liv. videre eſt *lib.* 32. *cap.* 31. ubi inquit: *Literæ Conſulum è Gallia de geſtis proſpere ſub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius Prætor urbanus in Senatu eas, deinde ex auctoritate patrum ad populum recitavit.* Edicendo quoque comitia Conſularia, Senatuſque juſſu Duumviros creabat, bonis interdicebat, Conſules e Provinciis evocandi poteſtatem habebat. Idem *lib.* 22. *cap.* 33.

 Ita-

Digitized by Google

Itaque Duumviri ad eam rem creati ab Æmilio Prætore urbis, Cn. Pupius & Cæſo Quintius Flaminius, ædem in arce faciendam locaverunt. Ab eodem Prætore ex Senatuſconſulto literæ ad Conſules miſſæ: ut, ſi iis videretur, alter eorum ad Conſules creandos Romam veniret, ſe in eam diem, quam juſſiſſent, comitia edicturum. Habendi Senatus ei quoque jus. Idem *lib.* 32. *cap.* 26. *Hujus rei tam fœdæ judicium Romam ad L. Cornelium Lentulum Prætorem urbis delatum eſt. Servi duo ante lucem ad eum venerunt, atque ordine omnia quæ facta futuraque erant, expoſuerunt, quibus domi cuſtodiri juſſis, Prætor, Senatu vocato, edoctoque quæ indices afferrent, proficiſci ad eam conjurationem quærendam atque opprimendam juſſus.* Interjecto vero tempore, Prætoris crevit poteſtas, ita ut data ſit illi omnis publici privatique juris poteſtas. Tradit Suet. Octavium Auguſtum appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Prætori delegaviſſe urbano, *in ejus vita cap.* 33. Quæ appellationes quanquam in cauſis civilibus ſtante Repub. rariores, attamen patet a Prætore ad Prætorem appellatum *ex* 3. *Verrina.*

---

§. 28. Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo Prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret: creatus eſt & alius Prætor, *qui* peregrinus *appellatus eſt ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat.*

Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo Prætore.] Phigius Prætoris peregrini creationem in annum U. C. DX. incidiſſe refert. Sig. in Faſtis. C. Lutatio Catulo, & A. Poſthumio Albino Coſſ. primum duos Prætores creatos opinatur, ad annum 511. Quorum ſi alter fuerit peregrinus, ſequeretur, inter urbani & peregrini Prætoris primam creationem pluſquam 120. annos interfuiſſe. Alii volunt 507. vel 512. Prætorem peregrinum creatum.

Crea-

Digitized by Google

Creatus eſt & alius Prætor, qui peregrinus appellatus eſt.] Cum multa turba peregrinorum in civitatem veniret, quorum multitudini unus Prætor ſatisfacere non poſſet, neceſſe fuit Prætori urbano collegam addere, qui jus item diceret, ſed diverſis muneribus. Hic inter peregrinos, ille inter cives jus dicebat. Quare cognominibus fuere diſtincti, hic Prætor urbanus, alter peregrinus dictus. Quanquam & Prætor peregrinus quandoque & inter peregrinos & cives jus dicebat, ut puta, ſi peregrinus adverſus civem actionem inſtituiſſet: quia actor ſequi debet forum rei: forte & ſi civis adverſus peregrinum, quia commune id utrique forum eſt. Urbanus autem inter cives tantum jus dixiſſe præſumendus. Verum obſervandum, ab hac conſuetudine receſſum nonnunquam; ita ut juriſdictionem urbanam & peregrinam fuiſſe conjunctam aliquando legamus. Quemadmodum Æmilium Prætorem, cujus peregrina ſors erat, ſuam juriſdictionem mandaſſe collegæ ſuo Atilio Prætori urbano legimus. Liv. *lib.* 24. *cap.* 44. Sic quoque *lib.* 25. *cap.* 3. *Et Prætores provincias ſortiti ſunt: P. Cornelius Sylla urbanam & peregrinam, quæ duorum ante ſors fuerat.* Et *lib.* 39. *cap.* 39. tradit, Senatum mortuo C. Decimio Prætore urbano, in P. Cornelium Prætorem peregrinum, urbanam præturam contuliſſe. Attamen honoratior & major urbana prætura peregrina fuit, quanquam ambo iiſdem creabantur auſpiciis, uterque Juriſdictionem exercebant in urbe, atque par in utroque poteſtas erat. Hinc major quoque urbanus Prætor dictus. Quamobrem Brutum & Caſſium Prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, uter juris inter cives dicundi provinciam obtineret, apud Appianum legimus. & Dion. *lib.* 42. refert, M. Cæcilium indigne tuliſſe, quod Prætura urbana ſibi non obtigiſſet, qua dignitate Cæſar collegam Trebonium ornaverat. Quod autem parem habuere poteſtatem, ſibi invicem teſtatur intercedendi facultas, ita ut alter alterius decreto intercedere poſſet. Quemadmodum L. Piſonem peregrinum Prætorem Cajo Verri Prætori urbano interceſſiſſe, apud Ciceronem legimus de Verre Prætore urbano: *Itaque L. Piſo multos codices implevit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quod iſte aliter, atque edixerat, decrea-*

creviſſet. Quod vos oblitos eſſe non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto Prætore ſolitus ſit convenire. Quem iſte collegam niſi habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro. Sed eo leviores iſtius injuriæ videbantur, quod erat in æquitate prudentiaque Piſonis paratiſſimum perfugium, quo ſine labore, ſine moleſtia, ſine impenſa, etiam ſine patrono homines uterentur. Sic M. Cælium Rufum Prætorem peregrinum, tribunal ſuum juxta ſellam Caji Trebonii Prætoris urbani collocaſſe, teſtatur Julius Cæſar *lib.* 5. *de bell. civ.* ubi inquit: *Iisdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus Prætor cauſa debitorum ſuſcepta, initio Magiſtratus tribunal ſuum juxta C. Trebonii Prætoris urbani ſellam collocavit: & ſi quis appellaviſſet, de æſtimatione & de ſolutionibus, quæ per arbitrum fierent, ut Cæſar præſens conſtituerat, fore auxilio pollicebatur.* Imo majorem jurisdictionem habuiſſe Prætorem peregrinum, quam habuit Urbanus, inde patet, quod Prætoris urbani Jurisdictione erat ſine ulla imperii meri parte. Peregrino non tantum jurisdictio inter peregrinos erat; verum videtur quoque Quæſtionem capitalem de repetundis, quæ peregrinorum ſociorum cauſa inſtituta erat, exercuiſſe. Unde Aſconius Pæd. *in orat. Cicer. in toga cand.* inquit; *Cajum Antonium, qui multos in Achaia ſpoliaverat, ab iis eductum in jus ad M. Lucullum Prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat; Lucullumque, quod Græci poſtularant, decreviſſe.* Bald. *ad h. t.*

---

§. 29. *Deinde cum eſſet neceſſarius Magiſtratus, qui haſtæ præeſſet*, Decemviri in litibus judicandis *ſunt conſtituti.*

Deinde cum neceſſarius eſſet Magiſtratus, qui haſtæ præeſſet] *Magiſtratus* vocat Decemviros Pomponius, qui litibus judicandis conſtituti, haſtæ præerant. Generaliter omnes Magiſtratus juridicundo, vel jurisdictioni, vel tribunali præeſſe dicuntur, ſpecialiter hi, de quibus jam actum. Alii præerant equitibus, alii præerant ædibus, alii ærario, alii rebus capitalibus, alii

alii annonæ vel rebus provincialibus, & hoc loco Decemviri litibus judicandis præeſſe dicuntur, Cujac. *ad h. t.* Perperam autem Budæus & Zaſius ab hac Florentina lectione recedentes, auctoritate Codicis Norici moti, maluere pro *Decemviris*, *Centumviros* legere, quam lectionem a Pomponii mente alieniſſimam teſtatur manifeſte vox *Magiſtratus*, quod honoris nomen nos docet, JCtum hic non ſermonem habere de Centumviris, utpote qui tantum Judices, non Magiſtratus erant, & conſequenter voce *Magiſtratus* non continetur. Hos Decemviros ſive hunc Magiſtratum haſtæ præfuiſſe, inquit JCtus, ſcil. judicio Centumvirali; de quo ſtatim. Uſus autem haſtæ in judiciis adhibendæ ab initio & ipſius urbis conditæ primordio videtur petendus; in memoriam fortaſſe Romuli primi Romanorum Regis, quem haſta aſſidue uſum fuiſſe traditum, introductus. Quamobrem Quirinum appellatum volunt: Quiris enim Sabinorum lingua haſta dicebatur. Hinc canit Ovid. *lib.* 2. *Faſt. verſ.* 475.

- - - - - - At tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod haſta Curis priſcis eſt dicta Sabinis;
(Bellicus a telo venit in aſtra Deus)
Sive ſuum Regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

Curis eſt Sabinis haſta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, eſt dictus. Feſtus. Quare etiam Juno, cui haſta ſacra habetur, ideoque ejus pleræque ſtatuæ haſta ſubnituntur, dicitur Dea Quiritis, & ipſa paſſim Quiris appellatur. Vid. Plutarch. *in Quæſt Roman.* Sic & Mars *Quirinus* dictus apud Romanos Sabinosque, quia ipſi tanquam Deo bellico haſta ſacra. Hinc apud Gell. *lib.* 4. *cap.* 6. *Ut terram moviſſe nunciari ſolet, eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis ſcriptum legimus, nunciatum eſſe Senatui, in ſacrario, in Regia, haſtas Martias moviſſe.* Haſta autem Reges quam alio quodam inſigni potius uſos opinantur, quod erat belli juſti & imperii Symbolum, ideoque Quiris dicta, propter rectam

æquitatem: & ita fortaſſe Quirini, ab æquo quirendo vel quirando, nomen habere putatur. Phig. *Annal. lib.* 1. Quamobrem fortaſſe velut inſigne juſtitiæ Deorum ſimulacris olim additam fuiſſe, quam & pro Diis immortalibus veteres coluiſſe, tradit Pompejus Trogus *l.* 43. *c.* 3. Unde in juſto ſuſcipiendo & indicendo bello haſta utebantur, quo indicto, deinde ſuo loco reponebatur. Unde apud Liv. *lib.* 1. *cap.* 32. *Fetialis* (ait) *haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus, dicebat: Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini adverſus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe, Senatusque populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis priſcorum Latinorum, hominibusque priſcis Latinis bellum indico, facioque. Id ubi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat.* Ab hac belli indicendi ratione vetus adagium fortaſſe dimanavit, *haſtam & caduceum mittere*, quod ſignificare arbitratur Rodig. *antiq. lect. l.* 21. *c.* 16. ut alicui pro arbitrio vel bellum ineundi, vel pacem amplectendi detur facultas. Quæ belli indicendi ratio licet ſublata poſtea videatur, tamen manſit tanquam quædam ejus imago alia conſuetudo, ſcil. ut haſtam Romæ jacerent in columnam, quæ ante Bellonæ templum fuit: de qua ita Feſtus: *Bellona dicitur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ bellica dicebatur: ſupra quam haſtam jaciebant, cum bellum indicebatur.* Quia ex hiſce perſpicimus foris in juſto indicendo & gerendo bello haſtæ adhibendæ conſuetudinem habuiſſe Romanos, non abs ratione nobis alienum videri debet, domi in juſtitia adminiſtranda ejus quoque uſum apud eos obtinuiſſe, præſertim quando conſideratur a nobis tanquam inſigne & Symbolum juſtitiæ & æquitatis, quæ in utroque certandi genere locum ſibi vindicare debet. Unde & haſta ipſum judicium denotat, in quo agitur de diſtributione juſtitiæ inter eos, qui de re aliqua controverſiam & litem movent, apud eum vel eos, qui jurisdictioni & juſtitiæ adminiſtrandæ præſunt. Quemadmodum Magiſtratus

tus, quorum mentionem in hoc §. facit Juriſconſultus noſter, qui haſtæ præſunt, nimir. judicio Centumvirali. Ita apud Valer. Max. *l. 7. c.* 8. *Teſtamento is filium hæredem inſtituit: quod Ti. Longus ſanguine proximus, haſtæ judicio ſubvertere fruſtra conatus eſt. Magis enim Centumviri, quid ſcriptum eſſet in tabulis, quam quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimaverunt.* Et Cic. in oratione de *lege Agraria* contra Rullum inquit: *Primum cauſa populi Romani hereditatem Decemviri judicent, cum vos volueritis de privatis hereditatibus Centumviros judicare:* Et conſequenter, *haſtæ judicium* apud Valerium, *Centumvirale judicium* ſignificat. Imo Lucanus *haſtam Decemvirorum* pro *Centumvirali dixit*, quia Decemviri judicio Centumvirali præſidebant, atque Centumviros cogebant. Ita Suet. *in Aug. cap.* 36. *Auctor* (inquit) *aliarum rerum fuit; ut Centumviralem haſtam, quam quæſtura functi conſuerant cogere, Decemviri cogerent.* Et Lucanus ad Piſonem:

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmare jubet, centeno judice cauſas.

Itaque ſive dicimus haſtam Decemviralem, ſive Centumviralem, unum idemque judicium ſcil. privatum, ſive Prætorium, cui Decemviri præſidebant, ſignificamus. Quippe, ut inquit Sig. *lib.* 1. *de jud. Sive enim haſta ſit Prætoria ſive Decemviralis, ſive Centumviralis, parum refert, cum haſta pro privato judicio accipiatur. Mihi vero una eademque omnium haſta videtur: nempe Prætoria, quam Decemviri & Centumviri poſuerint, ut judicium Prætorium eſſe demonſtraretur.* Quippe Juriſdictionis erat judicium Centumvirale, Prætorque id dabat, ut tradit Plinius *lib.* 5. *Epiſt. ult. Sedebant Judices* (ſcil. Centumviri) *Decemviri venerant, obſervabantur Advocati, ſilentium longum: tandem a Prætore nuncius, dimittuntur Centumviri, eximitur dies. Cauſa dilationis, Nepos Prætor qui legibus quærit, propoſuerat breve edictum, &c. Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumviralibus*

bus præſidet, deliberaturus; an ſequeretur exemplum inopinatum, nobis otium dedit.

Decemviri litibus judicandis ſunt conſtituti.] Cum enim Prætores, quibus, licet ad jus dicendum creati erant, vacatio a belli adminiſtratione nequidem data eſt, ut tradit Liv. *lib.* 23. *cap.* 32. vel quod aliis muneribus occupati, judiciis, quibus præeſſe ſolebant, vacare non poterant, Decemviri creati fuere, qui vice Prætorum fungerentur, & eorum ſuſtinerent partes, litibuſque dijudicandis, iiſque dirimendis incumberent, atque vacarent: qui abs re, cui inſerviebant, Decemviri litium judicandarum appellati ſunt. Eorum creationem, ſecundum Pomponii mentem, in idem fere tempus, quo Prætor peregrinus factus eſt, incidiſſe dicendum videtur, quo Triumviri monetales & capitales, & Quatuorviri viarum curandarum., circa annum U. C. DXII. conſtituti quoque fuere. E corpore autem Centumvirorum Decemviros fuiſſe, opinatur Torrentius in notis ad Suet. in *Aug. cap.* 36. quanquam alios convocandi jus habebant. Eorum autem munus & officium erat, præſidere Centumviris, eoſque cogere, litigatores citare, iique omnino haſta poſita totum judicium pro ſuo arbitrio moderati ſunt. Sig. *lib.* 1. *de jud.* Quid autem erat *Centumvirale judicium* docet nos Feſtus *lib.* 3. cum inquit: *Centumviralia judicia a Centumviris ſunt dicta. Nam cum eſſent Romæ triginta & quinque Tribus, quæ & curiæ ſunt dictæ, terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad judicandum, qui Centumviri appellati ſunt, & licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, Centumviri ſunt dicti.* Quorum numerus poſtea ad 180 crevit, manente tamen eodem nomine, ut videre eſt apud Plinium *Epiſtolarum lib.* 6. *Fœmina* (inquit) *ſplendide nata nupta Prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam ille novercam amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant judices centum & octoginta, (tot enim quatuor Conſiliis conſcribuntur) ingens utrinque advocatio & numeroſa ſubſellia, præterea denſa circumſtantium corona, latiſſimum judicium mul-*

multiplici circulo ambibat. Ex quibus quoque conſtat in plura, interjecto tempore, aucto judicum numero, judicia Centumviralia conſilia diſtributa fuiſſe, unde *quadruplex judicium* Plinius vocat. Imo & ante Plinii ætatem, antiquioribus temporibus idem obtinuiſſe, docet Quinctilianus *lib.* 12. cum inquit: *Trachalum cum in baſilica Julia diceret, primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris eſt, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum & intellectum, quod agentibus cæteris contumelioſum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.* Et idem Plinius *lib.* 4. *epiſtolarum*: *Proxime cum apud Centumviros dixiſſem, ſubit recordatio, egiſſe me juvenem æque in quadruplici judicio.* Habebatur autem hoc Conſilium, ut ex Quintiliani ſtatim adducto loco perſpicimus, non in foro, verum ſub tecto in Baſilicis, id eſt, in aulis, quæ ei officii cauſa plures fuere conſtructæ, undecim refert P. Victor in *libello de urbis Rom. region. & locis.* Earum autem præcipuæ fuere Porcia & Julia. Illa a Cenſorio Catone, hæc a Julio Cæſare excitata, ut & Opimia. Tranquillus in *Julio c.* 10. *Ædilis præter comitium & forum, Baſilicaſque, etiam Capitolium ornavit, porticibus ad tempus extructis.* Hujus Juliæ Baſilicæ deſcriptionem eleganter depinxit Vitruv. *lib.* 5. In qua, ut teſtatur Quinctilianus, quatuor erant tribunalia, quæ inter ſe uſque adeo proxima, ut actiones unius tribunalis ab alio exaudiri poſſent. De hac quoque Martialis *lib.* 6. Epigram. 38.

Jam clamor centumque viri, denſumque coronæ
Vulgus, & infanti Julia tecta placent.

Et Plinius quoque alibi: *Deſcenderam in Baſilicam Juliam, auditurus, quibus proxima comperendinatione reſpondere debebam.* De quibus autem cauſis Centumviri cognitionem habebant, & dijudicabant, deſcribit Cic. *libro* 1. *de Oratore: Nam volitare in foro, hærere in jure, ac Prætorum Tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate ac jure certetur: Jactare ſe in cauſis Centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, genti-*

litatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura verſentur. Teſtamentorum & hereditatum controverſias ad Centumviros pertinuiſſe, jam ſupra ex Valerio, Cicerone *de lege Agraria contra Rullum*, conſtat. Perperam vero opinatur Cujacius, non tantum de civilibus, verum & de capitalibus cauſis judicaſſe Centumviros, auctoritate aliorum auctorum in hanc fortaſſe opinionem adductus. Tradit enim Quinctilianus *lib.* 4. *Quibuſdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud Centumviros, ipſi judices exigunt ſollicitas & accuratas actiones, contemnique ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt, nec doceri tantum, ſed etiam delectari volunt.* Atque illud ipſum (inquit) ſatis luculenter oſtendit Ovidius, cum canit:

Nec male commiſſa eſt nobis fortuna reorum,
Uſque decem decies inſpicienda viris.

Vix enim ait *fortunæ judicium*, *fortunave reorum* dicitur alia, quam in capitali cauſa, in *l.* 23. *ff. de ſtatu hom.* Sic quoque Lucanus:

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum:

Vix enim, inquit, *trepidi* dicuntur alii, quam rei capitalium criminum, qui pallentem famam experiuntur. Ovidius in *arte amand.*

Non tantum trepidos ut tueare reos.

Verum non videntur mihi hæc Cujacii argumenta tanti ponderis, ut ejus opinionem amplecterer. Supra enim annotavimus, & ex auctoribus omni exceptione majoribus loca quædam deſcripſimus, quæ ſatis dilucide nobis oſtendunt, Prætoris Juriſdictionem ad privata & civilia pertinuiſſe negotia, merum imperium cum non habuiſſe, ideoque de nullo judicaſſe crimine jure Magiſtratus, quem gerebat. Hinc publica & capitalia

talia ſive criminalia judicia non exercebat, cum autem judicium Centumvirale erat Prætorium, cui vel ipſe vel poſtea Decemviri præſidebant, judicia capitalia non erant hujus fori, & ad cognitionem Centumvirorum non perveniebant. Non juvat illud Quinctiliani opinionem Cujacii, quippe & cauſa exiſtimationis capitalis dicitur, ut videre eſt in *l.* 103. *ff. de verb. ſig.* & pœna capitalis ad famam & ſtatum ac exiſtimationem ea interpretatione ſæpe transferri ſolet: ut cum de capite & fortunis alicujus agatur, de exiſtimatione & fama ac facultatibus intelligi par eſt. Sic Cic. *pro Q. Roſcio Comœdo: Si qua enim* (inquit) *ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & pene dicam capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Æque enim perfidioſum & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet vitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; & ſocium fallere, qui ſe in negotio conjunxit.* Et idem in *oratione* pro *Quinctio*, de capite & fortunis Quinctii dicere ſe obteſtatur. Petebat enim Mævius adverſarius, ut ei ex edicto bona poſſidere liceret, ideo quod Quinctius vadimonium non obierat. Sic cauſæ ſtatus non perperam capitales dicuntur. Sic capitis diminutiones, ſeu ſtatus mutationes, dicuntur maximæ vel mediæ vel minimæ. Caput enim in jure civili modo vitam, modo libertatem, modo familiam ſignificat. Sic quoque ad illa Lucani & Ovidii reſponderi poteſt, quod non vano timore vexatur & angitur, qui de fama, quæ cum vita pari paſſu ambulat, de fortunis ſuis, vel libertate, quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittere cupit, litigat. Quamobrem in hiſce rebus adverſum vim & improborum hominum impetum defendendis, amplam ſatis poteſtatem conceſſere leges, quas etiam cum nece invaſoris defendi poſſe arbitror, ſin aliter vis illata repelli nequeat, non ſecus ac ſi vita in ſummum eſſet adducta diſcrimen. Huic itaque judicio, ut ſupra a nobis relatum, præfuere Decemviri, quos litibus judicandis conſtitutos affirmat Pomponius, quorum licet apud ſcriptores aliquando mentionem fieri legamus, attamen non adeo omnia expedita & certa ſunt, quæ de hoc Magiſtratu tradita invenimus. Videmus hodie antiqua marmora, in quibus vetus nominis ſcribendi ratio extat:

XVI.

Digitized by Google

X VIRI STILITIBUS JUDICANDIS. Id eſt, litibus; quæ vetus inſcriptio probat, longe ante Auguſtum hunc Magiſtratum creatum fuiſſe, cum veteres, *ſtlocum*, & *ſtlatum*, & *ſritavum*, *ſtlitem* dicebant. vid. Lipſium *de vetere Scriptura.*

---

§. 30. *Eodem tempore &* Quatuorviri, *qui* curam viarum gererent: & Triumviri Monetales, *æris*, *argenti*, *auriflatores*, *&* Triumviri capitales, *qui carceris cuſtodiam haberent: ut, cum animadverti oportet, interventu eorum fieret.*

Et Quatuorviri qui curam viarum gererent.] Cum urbis maxime interſit, ut viæ bene muniantur ſternanturque, hinc ſumma olim fuit Senatus cura atque diligentia in reficiendis fulciendis atque adornandis viis; non tantum intra, ſed & extra urbem, ut commode poſſet unusquiſque per eas ire, agere, & ad urbem accedere & recedere. *Ideone Appius ille Cæcus viam munivit, non qua populus uteretur, ſed qua ſui poſteri latrocinarentur*, inquit Cic. *Pro Milon.* Earum vero curandarum munus Cenſoribus primo commiſſum fuit, ut ex Cic. colligimus in 3. *de ll. Cenſores*, inquit, *urbis templa*, *vias*, *aquas*, *ærarium*, *vectigalia tuentor.* Sic T. Quintium Flaminium, & M. Claudium Marcellum Cenſores viam ſilice ſternendam a porta Capena ad templum Martis locaviſſe, apud Livium legimus. Ita quoque Q. Fulvium Flaccum & Aulum Poſthumium Albinum Cenſores vias quoque ſilice ſternendas in urbe, & glarea extra urbem ſubſtruendas marginandaſque primos omnium locaviſſe refert. Verum interjecto tempore, fortaſſe quod aliis rebus occupati, huic muneri vacare non poterant, hæc cura ad Ædiles tranſlata fuit, ut ſupr. ubi de Ædilibus eorumque munere diſputavimus, annotatum fuit, & conſtat ex *l.* 12. *ff. de per. commod. rei vend.* & *l. unic. ff. de via pub.* & *ne quid.* ubi Papinianus: *Ædiles ſtudeant, ut quæ*

ſe-

ſecundum civitates ſunt viæ, adæquentur, & effluxiones non noceant domibus, & pontes fiant ubicunque oportet. & §. 2. Curent autem ut nullus effodiat vias, neque ſubruat; non permittant autem rixari in viis, neque ſtercora projicere, neque morticina, neque pelles jacere. Unde legimus apud Suet. *in Veſpan. cap.* 5. *Mox cum Ædilem eum C. Cæſar ſuccenſens, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto juſſit oppleri.* Verum tandem ſpecialis Magiſtratus creatus eſt, ad quorum munus pertineret viarum curam habere, qui Quatuorviri viarum curandarum nominati fuere, idque intra urbem: quippe extra urbem viarum curam Duumviri geſſerunt. Ita enim Dion. *lib.* 4. *Porro hi viginti viri in locum viginti ſex virorum ſucceſſerunt: eorum tres ad capitalia judicia ſunt ordinati: alii tres cudendo numiſmati præſunt: quatuor vias urbanas curant: decem judiciis iis, quæ ad Centumviros ſorte deferuntur, præficiuntur. Duo enim iis, qui vias extra urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur, abrogati erant.* Libera enim adhuc Republica conſuetudo obtinuerat, ut populus quotannis XXVIviros crearet, quæ munia ita diſtribuebantur, ut modo dictum, quam conſuetudinem eatenus mutavit Auguſtus, quatenus loco XXVIvirorum, viginti creavit.

Et Triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores.] Monetales dicti, quod monetæ curam gerebant, ut ne quid in ejuſmodi metallis corruptelæ admiſceretur. Verum ut eſſent numiſmata probi auri argentique, & juſti ponderis, ne quid Reſpub. detrimenti ex monetæ corruptela caperet. Optandum eſſet, ut & in noſtra Repub. ſcil. in ſingulis civitatibus, quibus jus eſt auri argentique ſignandi, aliiſque quibuſdam in Regionibus nobis vicinis, diligentius, imo ſummo cum rigore ejus cura ageretur ab iis, quibus hæc provincia demandata eſt, ne monetæ artifices ſive monetarii, ut appellantur in *l.* 6. *Cod. de dignit.* propter metallorum male factam mixturam, vel corruptelam, adeo adulteratam monetam cuderent fabricarentque, cum quoad valorem & materiam, tum quoad ſpeciem ſive formam: Cui monetariorum illicito habendi amori, ſi non tempeſtive occurrant, quicumque in ſingulis civitatibus, e quibus tanquam tot membris conſtat Reipub. cor-

pus, ſummæ rerum præſunt, verendum eſt, cum huic malo mederi conantur, adeo alte ejus egerit radices, ut niſi cum ſummo Reipub. detrimento illud eradicari poſſe ſint experturi. Tutius enim opprimitur malum vitiumque aliquod in ſuis quaſi cunabulis, quam ubi inveteratum ſit & jam vires acceperit; juxta illud Virgilii:

Principiis obſta, ſero medicina paratur.
Neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Sed ad rem redeamus. Monetales igitur dicti, quod monetæ curam habebant. *Moneta* dicta a *monendo*, unde Junoni hoc cognomen inditum Suidas refert, quod bello Pyrrhi & Tarentino conſulentes Romanos de pecuniarum inopia monuiſſet, PECUNIAM NON DEFORE JUSTITIAM ET ARMA COLENTIBUS. Romani inde voti compotes facti, *Junonem Monetam* coluere, tanquam conſultricem, a monendo ſic dictam, atque decrevere, ut in æde Junonis Capitolinæ nummi cuderentur, & inde *Monetæ* vox ad numiſmata tranſlata eſt. Quanquam alii ſic dictam volunt, quod nos illius character ſive impreſſio moneat cum auctoris, tum pretii. Ipſe etiam locus cudendis nummis deſtinatus *moneta* vocatur. Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. XI. Dracontius monetæ præpoſitus & Diodorus quidam veluti comes, injectis per crura funibus ſimul exanimati ſunt: ille quod aram in Moneta, quam regebat, recens locatam, evertit. Sidon. Apollin. carm. 23.*

Delubris, Capitoliis, Monetis.

Et Macrobius *in Som. Scip. lib. 1. cap. 6. Semine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex naturæ molitur, ut die ſeptimo folliculum genitivum circumdet humori ex membrana tam tenui, qualis in ovo ab exteriore teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem.* Proprie vero nota nummis impreſſa moneta eſt. Conſtat autem apud Romanos demum poſt primum bellum Punicum illam impreſſionem alicujus figuræ ſive formæ vel imaginis in ære ſive auro vel argento, quod

Digitized by Google

quod æris appellatione venit, in uſu fuiſſe, & conſequenter tum primum creatos fuiſſe Triumviros monetales. Quamvis multis ante ſeculis cum Janus pater, quo nomine Noachum denotarunt, ſecundo in Italiam veniſſet, ſub Nino tertio Rege Babylonico, æs ſignatum fuiſſe ſupra ad §. 22. annotatum fuit. Romanos vero ante Servium Tullium, tertium Romanorum Regem, ære uſos fuiſſe, Plinius indicat, eoque gravi, id eſt, rudi, informi, nondum ſignato, quo appenſo non numerato debita exſolvebantur. Unde libripendes qui æra pendebat. Audiamus Plinium *lib.* 33. *cap.* 3. *Proximum ſcelus fecit, qui primus ex auro denarium ſignavit: quod & ipſum latet auctore incerto. Populus Romanus ne argento quidem ſignato, ante Pyrrhum Regem devictum, uſus eſt. Librales (unde etiam nunc libella dicitur, & dupondius) appendebantur aſſes. Quare æris gravis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur: item impendia, & dependere. Quin & militum ſtipendia, hoc eſt, ſtipis pondera, diſpenſatores, libripendes dicuntur: qua conſuetudine in his emptionibus, quæ mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Livius *lib.* 5. *Denis millibus æris gravis nos condemnat.* Et Feſtus: *Pendere pœnas, ſolvere ſignificat: eo quod ære gravi cum uterentur Romani, penſo eo, non numerato, debitum ſolvebant: unde etiam penſiones dictæ.* Et Liv. *lib.* 4. *cap.* 60. *Quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris ad ærarium convehebant.* Verum notandum, æris gravis pœnam dictam uſque ad ſignatum ex argento nummum, atque adeo uſque ad illud tempus, quo imminutum primo pondus æris: ut intelligas non rudi modo & informi, quale ante Servium Tullium, Numæ imperii Romani moderantis habenas temporibus fuit, *ſed & ſignatum a Servio cæteriſque deinceps, grave æs fuiſſe a pondere nuncupatum.* Harduinus in notis ad Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. Feſtus. *Grave æs dictum a pondere: quia deni aſſes, ſinguli pondo libræ, efficiebant denarium ab hoc ipſo numero dictum.* Æs itaque grave aliud fuit rude & nulla forma inſignitum, uſque ad Servium Regem; aliud fuit ſignatum, poſt illum Regem, quod tamen grave permanſit uſque ad id tempus, quo unciales & ſemunciales facti ſunt. Vid. de hac re latius diſputantem Doctiſſimum Gronovium *lib.* 3. *de pecu-*

Digitized by Google

nia vetere. Et Salmaſ. *cap.* 14. *de uſuris.* Romæ autem, ut inquit Plinius *cit. loc. Servius Tullius Rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt nota pecudum.* Unde Varro *lib.* 2. *de re ruſt. Et quod æs antiquiſſimum quod eſt flatum, pecore eſt notatum.* Poſtea anno U. C. 485. quinto ante primum bellum Punicum, argentum primo Romæ ſignatum fuiſſe Q. Fabio Pictore & Qu. Ogulnio Gallo Coſſ. teſtatur idem Plinius. *Et placuiſſe*, addit, *denarium pro decem libris æris, quinarium pro quinque, ſeſtertium pro dupondio & ſemiſſe.* Livius in *Epitom. lib.* 15. tradit: *Victis Tarentinis tum primum populum Romanum argento uti cœpiſſe.* Varro tamen contrarium videtur affirmare apud *Chariſ. lib.* 1. *Annal.* ubi tradit, *Nummum argenteum conflatum primum a Serv. Tullio dicunt.* Reſpondet Doctiſſimus & de Repub. literaria optime meritus Johan. Fred. Gronov. *l.* 3. *c.* 4. *de pecun. vet. Certum eſſe eum nummum non fuiſſe publici uſus, ſed temporum, & notam memorabilis alicujus eventus.* Et conſequenter perperam nummi argentei, qualis in uſu apud Romanos fuit, ſignandi & conflandi inſtitutum ad Servium referre Hotomanum tradit in *libr. de re numar.* Poſſe quidem fieri, ut a Servio Tullio hoc inſtitutum fuerit, ſed propter Reipub. tenuitatem poſtea omiſſum eſſe, atque in deſuetudinem abiiſſe. Poſtea aureus quoque nummus percuſſus eſt poſt annum LXII. ut idem Plinius refert *lib.* 33. poſt urbem conditam DXLVII. Ita ut tria genera monetæ apud Romanos in uſu fuiſſe teſtetur Iſidorus. *Prius* (inquit) *ærea pecunia in uſu fuit, poſtea argentea, deinde aurea ſubſecuta: ſed ab ea qua cœpit nomen retinuit.* Itaque æris nomine & alia monetæ genera continentur. Hinc obærati, qui ære alieno oppreſſi, id eſt, qui multum auri argentique aliis debent. Unde & Ærarium, in quo & aurum & argentum recondebant Romani, & pecunia publica aſſervabatur, ab ære, quia illud primo fuit in uſu.

Æris, Argenti, Auri flatores.] Unde in antiquis denariis crebro occurrunt III-VIR. A. A. A. F. F. *Trium-vir auro, argento, ære, flando, feriundo.* Verum obſervandum in antiquis denariis aliquando occurrere IIII-VIR. A. P. F. *Quatuor-vir argento publice feriundo.* Ex quibus diſcimus, ali-

aliquando ad Quatuor-viros curam ſignandæ monetæ pertinuiſſe ; idque circa Julii Cæſaris tempora. Melius videtur Tribonianus haſce in antiquis denariis notas, loco *æris, argenti, auri flatores; æri, argento, flando, feriundo*, interpretatus fuiſſe, quoniam ipſi Triumviri non ſignabant neque cudebant monetam, verum flando, ſive feriundo erant tantum præpoſiti atque præfecti, ejuſque habebant curam, utpote quorum erat, ut dicere incepimus, officium providere ne quid detrimenti Reſpub. ex adulterata & corrupta moneta caperet, ut & materia ſive ſubſtantia, quantitas & qualitas juſta eſſet & proba & pondus debitum. Quod munus olim ad Cenſores pertinuiſſe legimus apud Ciceronem *de L. L.* dum ait: *Cenſores pecunias cenſento.* Verum poſtea viſum eſt e Republica fore, hoc negotium peculiari alicui Magiſtratui mandare, quare Triumviri monetales creati, ad quos hanc curam transtulerunt. Quid ſi vel in materia vel qualitate peccatum ſit, reprobri dicuntur nummi, adulterini, ut lege Cornelia de falſis teneatur, qui eos flaverit, *l. 9. ff. ad L. Cornel. de falſis.*

Et Triumviri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent: ut cum animadverti oporteret, eorum interventu fieret.] De his Plautus in *Amphitryone*:

Quid faciam nunc, ſi Tresviri me in carcerem compegerint?

Creati hi fuere Curio Dentato Coſ. de Samnitibus triumphante, Florus *Epitom. Livii, lib.* 11. *Curius Dentatus Conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in ditionem acceptis, bis in eodem Magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Adria, Triumviri capitales tunc primum creati ſunt.* Ad eorum, inquit Pomponius, curam pertinuiſſe carceris ſive latomiarum cuſtodiam, verum carceris cuſtodes non fuere: fuit autem Latomiarum carcer Romæ prope Tullianum locum. Quod de hoc carceris genere ſermonem habet Pomponius, docet nos Livius *lib.* 32. *cap.* 26. *In timore* (inquit) *civitas fuit, obſides captivoſque Pœnorum ea moliri. Itaque & Romæ vigiliæ per vicos ſervatæ: juſſique cir-*

cumire eas minores Magiſtratus , & Triumviri carceris Latomiarum intentiorem cuſtodiam habere juſſi. Erant autem *Latomiæ* proprie loca, in quibus lapides ad aliquod opus excidebantur. Plaut. *in Captiv. act. 3. Scen. V.*

Inde ibis porro in latomias lapidarias.

Quia in iis locis, poſtquam magna vis lapidum excifa fuerat, carceres conſtituebantur, hinc interdum illa vox pro carceribus accipitur. Idem Liv. *lib. 37. cap. 3. Per eoſdem dies principes Ætolorum tres & quadraginta, inter quos Damocritus & frater ejus erant, a duabus cohortibus miſſi a M. Acilio Romam deducti, & in Lautumias conjecti ſunt.* Id eſt, in carcerem. Et Calliſtratus *in l. 9. Succurritur etiam ei qui in vinculis fuiſſet. Vinculorum autem appellatio latius accipitur: nam etiam incluſos, veluti lautumiis, vinctorum numero haberi placet: quia nihil interſit, parietibus, an compedibus teneatur. Lautumiæ* non *Latomiæ* ſcribi vult Gronov. in notis ad Liv. *lib. 37. cap. 3.* Atque ita ſcribendum eſſe in Digeſtis, Cicerone, Plauto, optimos habere libros ſummos viros obſervaſſe: idque ipſum confirmare maxime jocum Sabini apud M. Senecam *controv.* 27. *Cum moviſſet homines & flebili oratione & diſerta, rediit tamen ad ſales. Rogavit ut in Lautumias transferretur: Non eſt,* (inquit) *quemquam veſtrum decipiat nomen ipſum Lautumiæ, illa animo meo lauta res eſt.* Scitote, inquit Gronov. illud nomen ortum, ut ſint *Lautumiæ* dictæ, quaſi *lautæ minimæ.* Et Schottus ad locum Senecæ: *Quamvis autem Latomus* dicatur, *Lautumias* tamen veteres potius, quam *Latomias*, ut *Locon* Petronius Arbiter pro *Laocon;* & *Laucidea* pro *Laodicea.* Lautumiarum mentionem facit Varro *lib. 4. de ling. lat. Quod Syracuſis*, inquit, *ubi de cauſa cuſtodiuntur Latomiæ, exinde Lautumiæ tranſlatum.* Ita quoque Plaut. *in Pœnul. act. 4. ſcen. 2.*

Ita me Dii ament: vel in lautumiis, vel in piſtrino mavelim Ætatem agere.

Unde Aſconius, *Lautumiæ carcer Syracuſis.* Et ita quoque ſcri-

Digitized by Google

ſcribendum affirmat Cujac. *lib.* 6. *obſervat.* 7. Hujus itaque carceris cuſtodiam habuiſſe Triumviros, teſtatur Pomponius, & alii auctores confirmant. Quæſtio hic poſſet moveri, num ipſi Triumviri capitales de capitali crimine cognoverint, vel an eorum tantum officium & munus erat exequi ſententiam & decretum judicis? Putat Coraſius ad hunc *Titulum*, Triumviros & de criminibus cognoviſſe & capitaliter judicaſſe; quippe inquit, Pomponius eos Magiſtratibus annumerat: & Saluſtius ipſe, quo maxime adverſarii nituntur, eos rerum capitalium judices dicit. Sed vero magis conſentanea mihi videtur eorum ſententia, qui iſtiuſmodi Triumviros executores ſententiæ criminalis fuiſſe affirmant, quod evidenter teſtatur Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 4. *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud Tribunal ſuum capitali crimine damnatam Triumviro in carcere necandam tradidit: Quo receptam, is, qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulavit. Aditum quoque ad eam filiæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid cibi inferret, dedit: exiſtimans futurum, ut inedia conſumeretur. Cum autem jam dies plures intercederent, ſecum ipſe quærens, quidnam eſſet, quod tamdiu ſuſtentaretur; curioſius obſervata filia, animadvertit, exerto ubere famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem. Quæ tam admirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo ad Triumvirum, a Triumviro ad Prætorem, a Prætore ad Concilium judicum perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetravit.* Ex quibus judicii ordinem & rationem perſpicimus. Scil. Triumviros crimina ad Prætorem detuliſſe; Prætorem conſilium atque judices coegiſſe; judices in conſilium miſiſſe, qui ubi judicaſſent, judicati ſive ſententiæ ab iis latæ executio injungebatur iterum Triumviris. Sic quoque idem tradit *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. Alexandrum Fannii Servum, cum in ſuſpicionem C. Fl. Equitis Romani occiſi veniſſet, quamvis ſexies tortum pernegaviſſet ſe ei culpæ affinem eſſe: verum perinde atque confeſſum reum, a judicibus damnatum, a L. Calpurnio Triumviro in crucem actum eſſe. Et Saluſtius *in Catilinaria*. Cujus verba hæc ſunt: *Senatus in Catonis ſententiam diſceſſit. Conſul optimum factu ratus, noctem, quæ inſtabat, ante capere: ne quid eo ſpatio novaretur. Triumviros, quæ ad ſupplicium poſtulabat, parare jubet. Ipſe diſpo-*

diſpoſitis præſidiis, Lentulum in carcerem deducit: idem ſit cæteris per Prætores. Et paulo infra, *in eum locum poſtquam demiſſus Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere.* Aliæ editiones habent *judices rerum capitalium.* Quare ipſe Coraſius adducit hunc locum, ut probaret rerum capitalium judices ipſos fuiſſe Triumviros. Verum ab aliis hoc mendum correctum eſt, & maxime, quia veroſimile videtur, Saluſtium hoc loco per *vindices* non voluiſſe denotare Triumviros, ſed potius lictores, utpote qui rei tam leviſſimæ & abjectæ incubuerint, ut annotavit quidam in notis ad Saluſt. idque magis vero conſentaneum videtur, quia legimus apud Plutarchum in vita Ciceronis: *Forum egreſſus Conſul, cum ad carcerem ventum eſſet, tradit lictori Lentulum, eumque ſtrangulari juſſit.* Quanquam etiam reſponderi poſſet, quod hanc Saluſtii loquendi formulam ita rigide interpretari non debemus, quaſi ipſi Triumviri propria manu illam criminalem ſententiam executi fuerint, & Lentulum necaverint, verum iis jubentibus & præſentibus id actum eſſe, Suetonius indicare voluit. Ita Valerius: *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud Tribunal ſuum crimine damnatam, Triumviro in carcere necandam tradidit.* Et *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. ſtatim allegato. Itaque quoties apud auctores legitur morte aut ſupplicio aliquem affeciſſe, ita interpretandum eſt, quaſi interventu eorum lege actum ſit. Nam, ut inquit Pomponius noſter, quoties animadverti oporteret, interventu eorum id fieri neceſſe erat. Sed notandum, fas non fuiſſe Triumvirali ſupplicio virginem vel immaturas puellas afficere, licet maximorum criminum reæ eſſent, & pœnæ capitali obnoxiæ, ut ex Tacito colligimus 5. *Annal. cap.* 9. ubi de Sejani filia ſermonem habens, inquit: *Tradunt ejus temporis auctores, quia Triumvirali ſupplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueo juxta compreſſam: exin oblidis faucibus, id ætatis; corpora in Gemonias abjecta.* Dio *l.* 58. *Liberi ejus* (Sejani) *ex Senatusconſulto necati ſunt, filia, quam pactus erat Claudii filio, conſtuprata prius a carnifice, quaſi impium eſſet, virginem in carcere perire.* Suet. *in Tib. c.* 61. *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein ſtrangulatæ.*

Sed

Sed annotavit Lipſius, cur ait Tacitus inauditum, virginem adfici Triumvirali ſupplicio, id eſt, *laqueo: Id ego ita ceperim*, inquit, *quaſi non ſimpliciter virginem dixerit, ſed impubem inveſtemque. Lex enim non tam virginitati ignotum cautumque voluit, quam ætati. Ita nec pueros interfici fas, niſi toga ſumpta, & relatos in viros. Hinc apud Dionem ſcriptum, a Triumviris in proſcriptione juſſum puerum quendam togam virilem ſumere, ut ſcilicet jure poſſet interfici.* Hinc itaque priuſquam ultimo Sejani filia fuit affecta ſupplicio, a carnifice ſtuprata, ut jam compreſſa devirginataque mulier videretur plena annis. Triumviris quoque capitalibus mandatum fuiſſe docet Liv. *lib.* 39. *ut vigilias quoque per urbem diſponerent; &, ne qui nocturni cœtus fierent, obſervarent: utque ab incendiis caveretur.* Hinc P. Villius Triumvir nocturnus a P. Aquilio Trib. pleb. accuſatus, populi judicio concidit: quia vigilias negligentius circumierat. Et M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius Triumviri, quod ad incendium in ſacra via ortum extinguendum tardius venerant, a Trib. pleb. die dicta ad populum damnati ſunt. Valer. *lib.* 8. *cap.* 1. Pertinuit etiam ad eorum munus *Sacramenta* exigere; erat autem *Sacramentum*, ut deſcribit Feſtus, æs, quod pœnæ nomine pendebatur, ſive in rem agitur, ſive contenditur. Varro autem ſic *lib.* 4. *Ea pecunia*, inquit, *quæ in judicium venit in litibus, Sacramentum a ſacro qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad pontem deponebant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium.* Sacramenta Græcorum, quæ in conteſtanda lite deponebantur: qui vicerat judicio, ſuum Sacramentum a ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat. Id muneris autem Triumviris injungebatur, ut ejuſmodi Sacramenta exigerent, judicarentque, ut Sex. Feſtus indicat *de verb. ſig. lib.* 17. ex lege L. Papirii Trib. pleb. cujus verba ad hunc modum reſtituenda apud Rævard. legimus *lib.* 2. *varior. cap.* 18. QUICUNQUE POST HAC PRÆTOR FACTUS ERIT QUI INTER CIVES JUS DICET, TRESVIROS CAPITALES POPULUM ROGATO: IIQUE TRESVIRI CAPITALES QUINQUE A POPULO FACTI ERUNT

Digitized by Google

RUNT SACRAMENTA EXIGUNTO JUDICANTOQUE, EODEMQUE JURE SUNTO UT EI EX LEGIBUS PLEBEIQUE SCITIS, EXIGERE, JUDICARE, ESSEQUE, OPORTET. Cæterum nec quidem Sacramenta duntaxat exigebant judicabantque Triumviri capitales; verum etiam de ſervis furibuſque & aliis vilibus atque infimæ abjectæque conditionis hominibus cognoſcebant, eoſque apud Columnam Mæniam puniebant, ut videre eſt apud Aſconium. Hinc adoleſcens ille apud Plaut. in *Aſinaria*, cui cum ſcorto negotium fuerat, *Act.* 1. *Scen.* 2.

> *Ibo ego ad Tresviros, veſtraque ibi nomina*
> *Faxo erunt.*

Verum quemadmodum interjecto tempore, cæteri Magiſtratus, aliis in eorum locum ſubſtitutis, fuere abrogati, ita quoque Triumvirorum munus & officium lapſis temporibus ad Præfectum vigilum tranſlatum eſt, ut videre eſt ex *toto tit. ff. de offic. præfect. vig.*

---

§. 31. *Et quia Magiſtratibus, veſpertinis temporibus, in publico eſſe inconveniens erat*, Quinqueviri *conſtituti ſunt* cis Tiberim, & ultra Tiberim, *qui poſſint pro Magiſtratibus fungi.*

Et quia Magiſtratibus veſpertinis temporibus in publico eſſe inconveniens erat.] Cum enim Magiſtratibus debetur honor & reverentia, magis conveniens eorum dignitati, ut negotia, quæ tanquam jure Magiſtratus & ratione officii ipſis peragenda & adminiſtranda incumbunt, aperta die, id eſt, poſt ſolis ortum & ante ejus occaſum fiant, ut conſpici poſſet eorum majeſtas & perſona diſcerni, quam venerari omnes tenentur, qui ſub eorum imperio degunt: noctu enim nimis eorum dignitas & perſona exponi videtur improborum hominum pravis

vis machinationibus & occultis inſidiis. Quippe cum terrori malis ſunt, cavere ſibi debent, ne ab ejuſmodi impiis & facinoroſis opprimantur, qui tenebrarum præſidio ſe tutos fore arbitrantes, ſæpiſſime eam opportunitatem non prætermittunt ſeſe vindicandi ab iis, a quibus facinorum ſuorum conſcii, malo aliquo affici metuunt, vel propter admiſſa ſcelera jam puniti ſunt; qui ſi ipſi facultatem neque occaſionem habeant, ejuſdem criminis & facinoris ſocii exequuntur, quod ipſi facere nequeunt. In duodecim tabulis apud Gell. *lib.* 17. *cap.* 2. ſcriptum fuiſſe legimus: *Ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo præſentes. Poſt meridiem præſenti litem addicito. Si ambo præſentes, ſol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Et idem *lib.* 14. *cap.* 7. *ex Varronis lib. Epiſtolicarum quæſtionum* 4. deſcribit *Senatuſconſultum ante exortum, aut poſt occaſum ſolem factum, ratum non fuiſſe.* Propterea fortaſſe, ne Magiſtratus veſpertinis temporibus in publico eſſet. Contrarium vero apud Athenienſes Areopagitæ integri ac ſeveri judices obſervarunt: illi enim noctu & in tenebris ſemper judicabant. Eam potiſſimum ob rationem, ne ſpectatores eſſent perſonarum, qui cauſas orabant & patrocinabantur, quorum aſpectu ſæpiſſime animum judicis commoveri poſſe arbitrabantur, verum ad ea quæ dicerent, animum tantum attenderent, & ſecundum ea judicarent. Hinc ſupr. annotavimus *ad l.* 1. *h. t.* nullum admiſiſſe procemium ſive præfationem, quia ſuſpecta ipſis erant quæcunque judicis animum afficere, & a vero deflectere poterant.

Quinqueviri conſtituti ſunt cis Tiberim & ultra Tiberim.] Varia Quinquevirorum genera fuiſſe, ex Livio diſcimus. Erant alii agris dividundis præfecti, unde legimus apud Liv. *lib.* 6. *cap.* 21. de Quinqueviris *Pomptino agro dividendo* creatis. Erant alii qui dicebantur menſarii, quod æs alienum pro his, qui ſolvendo non eſſent, de publico ſolverent, Liv. *lib.* 7. *cap.* 21. *Inclinatis, inquit, ſemel in concordiam animis, non Conſules fœnebrem quoque rem, quæ diſtinere unanimos videbatur, levare aggreſſi, ſolutionem alieni æris in publicam curam verterunt: Quinqueviris creatis, quos menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellaverunt.*

Erant alii creati muris turribuſque reficiendis; Liv. *l.* 25.

cap. 7. ſcribit idem *lib.* 3. *cap.* 9. a C. Terentillo Arſa Tribuno plebis legem promulgatam, ut Quinqueviri legibus de Conſulari imperio ſcribendis crearentur. Quam tamen legem Dionyſ. accuratiſſimus & diligentiſſimus Romanæ hiſtoriæ ſcriptor, non de Quinqueviris, verum Decemviris promulgatam fuiſſe ſcribit. Erant alii, quos adjutores Triumviris capitalibus datos, ſcribit Liv. *lib.* 39. *cap.* 14. *uti cis Tiberim ſuæ quiſque regionis ædificiis præeſſent.* Eos itaque recte hic Pomponius Triumviris ſubjungit, qui veſpertinis temporibus, quum Magiſtratus ad id temporis in foro eſſe inconveniens erat, eorum vices gerebant, & pro iis officio fungebantur. Itaque revera Magiſtratus non erant, ſed officio & auctoritate, cujus vicem gerebant, utebantur. Poſtea horum Quinquevirorum munus ad Ædiles tranſlatum eſt, ut infra tradit Jctus.

---

§. 32. *Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi provincia: totidem* Prætores, *quot provinciæ in ditionem venerant, creati ſunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus præeſſent. Deinde Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit: veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis: & Prætores quatuor adjecit. Deinde Cajus Julius Cæſar duos Prætores, & duos Ædiles, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales conſtituit. Ita duodecim Prætores, ſex Ædiles ſunt creati. Divus deinde Auguſtus ſedecim Prætores conſtituit. Poſt deinde Divus Claudius duos Prætores adjecit, qui de fideicommiſſo jus dicerent, ex quibus unum Divus Titus detraxit: & adjecit Divus Nerva, qui inter fiſcum & privatos jus diceret. Ita decem & octo Prætores in civitate jus dicunt.*

Capta

Capta deinde Sardinia] Eſt autem Sardinia inſula in mari Mediterraneo ampliſſima, ferax frugum, frumenti ditiſſima, unde a Timæo inter præcipuas inſulas primo loco ponitur, cum ob magnitudinem, tum etiam propter fertilitatem, hominumque multitudinem. Strabo *lib.* 14. Et *lib.* 5. tradit magnam omnium rerum habere copiam, excellenter autem ejus ſolum frumenti beatum eſſe. De ejuſdem fertilitate Horat. *lib.* 1. *carm. od.* 31.

- - - Non opimæ
Sardiniæ ſegetes feraces:

Hinc quoque Valerius Max. *lib.* 7: *cap.* 6. *Siciliam & Sardiniam, benigniſſimas urbis Romanæ nutrices* vocat. Et Varro *de re Ruſt. lib.* 2. *Igitur quod nunc intra murum fere patresfamilias correpſerunt, relictis falce & aratro, & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in ſegetibus ac vinetis, frumentum locamus, qui nobis advehat, qui ſaturi fiamus, ex Africa & Sardinia.* Flor. *lib.* 4. *cap.* 2. *Siciliam Sardiniamque annonæ pignora* vocat. Salvianus *lib.* 6. *de vero Dei judicio*, Sardiniam Siciliamque appellat fiſcalia horrea, & vitales Romæ urbis venas. *Dives ager frugum*, apud Claud. *de bell. Gildonico.* Et Silius Italicus *lib.* 12. de Sardinia canens:

Qua videt Italiam, ſaxoſo torrida dorſo,
Exercet ſcopulis late freta; pallidaque intus
Arva coquit, nimium Cancro fumantibus Auſtris
Cætera propenſæ Cereris nutrita favore.

Magnam vero tamen ejus partem aſperam & parum paratam eſſe, docet idem Strabo *lib.* 5. Aer ejus admodum peſtilens & peregrinis valde infeſtus eſt; & ibi præcipue, ubi feraciſſima: de qua Mela *lib.* 2. *cap. ult. Cæterum fertilis, & ſoli quam cæli melioris: atque ut fœcunda, ita pene peſtilens.* Unde quoque Cicero Quintum fratrem monet in *epiſt.* 3. *lib.* 2. etiam tum cum optime valeret, meminiſſe eum oportere in Sardinia ſe eſſe. Et *lib.* 7. *Epiſt.* 29. *ad famil.* Tigellium quendam Sar-

viſſent, a Sardo terræ, a Norace Noræ oppido nomen datum. Solin *cap.* 4. Et Martianus Capella *lib.* 6. *Cæterum*, inquit, *Sardinia a Sardo filio Herculis appellata.* Pauſanias in Phocicis: *Primi in Sardiniam navibus tranſmigraſſe dicuntur Afri, duce Sardo filio Maceridis, cui apud Ægyptios & Afros Herculis cognomen fuit. Et de Maceride quidem nihil refertur illuſtrius quam ejus iter Delphos. Sardus vero coloniam Afrorum in Ichnuſam deducendam ſuſcepit. Unde mutato priore vocabulo de ejus nomine inſula dicta eſt.* Putat Bochartus *Macharid* apud Pœnos Herculis fuiſſe cognomen, quorum ſermone *Macharid* eſt ὁ ἐκφοβῶν *qui exterret*, ſeu terribilis Sic Levit. 26. verſ. 6. *Et dabo pacem in terra & dormietis & non erit (Macharid) qui exterreat.* & Deut. 28: 26. Voce igitur (inquit) Hæbræis tam uſitata Pœnos ſuſpicor Herculem ſuum Macharid cognominaſſe, atque inde Græco Μακήριδα Maceridem. Verum quicquid de Sardo dicitur, valde ſibi ſuſpectum dicit. Eidem videtur nomen Σαρδῶ Phœniciæ originis eſſe, & idem valere Græcis *Ichnuſa*; Hebræis צעד *ſaad*, *veſtigium* notat, Græci reddunt τὰ ἴχνη αὐτῆς. Et Lament. 9. 18. צעד רבר Vulgatus *veſtigia noſtra.* Inde Σαρδῶ vel Σαρδῶν dicta videtur hæc inſula, ſive Græci R. inſeruerint, aut etiam ipſi Pœni, qua Epentheſi nihil frequentius. Hinc ramus Hebraice dicitur *Seapha* & *Serapha.* Pœnis ſane diu Sardiniam ſubditam fuiſſe, ex Hiſtoriis conſtat: imo & antiquiſſimas Phœnicum colonias eo miſſas teſtatur Diodorus, adeo ut nomen Punicæ poſſet eſſe originis. Eſt hæc inſula, ut idem Solinus tradit, *ſerpentum* expers, *ſed quod aliis locis ſerpens, hoc ſolifuga Sardis. In agris animal perexiguum, & aranei forma, ſolifuga dicta, quod ſolem fugiat.* Pro *ſolifuga*, *ſolipuga* legendum ac ſcribendum docet Salmaſ. in ſuis *exercitationibus Plin. Solipugæ* dictæ, non quod in ſole vehementius pungant, ut putat Feſtus; verum quod minutulum animal ita acriter pungat, ut totum videatur eſſe punctura. Vid. Salmaſ. *dict. loc. Huic incommodo*, inquit Solinus, *accedit & herba Sardonia, quæ in defluviis fontaneis provenit juſto largius. Ea ſi edulio fuerit neſcientibus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut qui mortem oppetunt facie ridentium intereant.* Hinc in proverbium abiit *riſus*

Sar-

Digitized by Google

Sardonius, in eos, qui intus triſtes, & foris lætitiam præ ſe ferunt, ridenteſque moriuntur. Quinam populi hanc inſulam inhabitarint, apud Bochartum videre *lib.* 1. *cap.* 31. Hoc certum, varios eam inhabitaſſe populos, uſque ad Carthaginienſes, qui eam occuparunt, poſtea Pœni Carthaginienſes inſulam obtinuerunt, adjutique ab incolis bellum contra Romanos geſſerunt. Verum quando inſulam in ſuam redegerint Carthaginienſes poteſtatem, non ſatis conſtat. Quanquam multa adferri poſſint pervetuſtæ hujus coloniæ teſtimonia, & quidem ipſum inſulæ nomen, quod ſupra Punicæ originis eſſe diximus, jam Homeri ævo obtinuit. Et teſtatur quoque *Diodor.* antiquiſſimas Phœnicum colonias eo miſſas. Carthaginienſibus devictis & domitis, omnia in poteſtatem Romanam venerunt. Tradit *de antiq. jure Provinc. cap.* 4. Sig. anno U. C. DXC. Carthaginienſes a Romanis incuſati, quod naves mercatorum ſpoliaſſent, Sardiniam jam pridem bello a ſe partam, impetrandæ pacis cauſa, Romanis tradidiſſe. Juxta quæ refert Zonaras hiſce verbis: *Tum etiam Sardinia Pœni citra pugnam Romanis ceſſerunt, ac pecunias alias tribuerunt; quod cum negotiatores Romanos populati eſſe mari incuſarentur, Romanorum arma nondum ſatis firmatis opibus timuerunt.* At Livius tradit in princip. *lib.* 21. ubi inquit, *Angebant ingentis ſpiritus virum* (ſcil. Amilcarem, Hannibalis patrem) *Sicilia Sardiniaque amiſſæ: nam & Siciliam nimis celeri deſperatione rerum conceſſam, & Sardiniam inter motum Africæ fraude Romanorum, ſtipendio etiam ſuperimpoſito, interceptam.* Non diu vero poſt pacem cum Carthaginienſibus initam, cum Sardi inſtigantibus Pœnis arma cepiſſent, T. Manlio Torquato Conſule duce, in poteſtatem redacti ſunt. Liv. *lib.* 23. *cap.* 60. *Et in Sardinia res per T. Manlium Prætorem adminiſtrari cœptæ, quæ omiſſæ erant, poſteaquam Q. Mucius Prætor gravi morbo eſt implicitus.* Eorumque confecit uno prælio XXX millia, & mille trecentos vivos cepit Et infra: *Ibi navibus longis deductis, impoſitoque, quem ſecum adduxerat, milite, Romam navigat, Sardiniamque perdomitam nunciat patribus.* Deque eo ita Eutropius *lib.* 3. *cap.* 3. *Manlio Torquato, Cajo Atilio Balbo Conſulibus, de Sardis triumphatum eſt: & pace*

Digitized by Google

omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt, quod bis poſt Romam conditam ſemel tantum Numa Pompilio regnante contigerat. Et Vellejus: *Sardinia inter primum & ſecundum bellum Punicum, ductu T. Manlii Conſulis certum accepit imperium.* Verum poſtea anno U. C. 578. iterum rebellantes a Tib. Sempronio Graccho Conſule perdomiti ſunt, quem Romam rediiſſe & tantam captivorum ſecum traxiſſe multitudinem ferunt Frontinus & Auctor de viris illuſtribus, ut longa venditione res in proverbium venerit, & *Sardi venales*, pro rebus vilibus vulgari loco celebrati ſint. Vid. Liv. *lib.* 41. *cap.* 17. Hujus proverbii meminit quoque Cicero *Epiſt.* 24. *ad fam. Habes Sardas venales, alium alio nequiorem.* De eodem quoque videre eſt apud Plutarch. in *problem.* & Feſtum.

Interjecto tempore cadente imperio Romano a Sarrazenis occupata eſt, quorum jugum ſuſtinuit, donec Genuenſibus & Piſanis inter ſe certantibus, cujuſnam imperio cederet inſula, Pontificis Bonifacii VIII. conceſſu Arragoniis armis, ipſis tanquam injuſtis rerum Dominis, detracta fuit, Mariana *de rebus Hiſpaniæ lib.* 16. *cap.* 19. Unde poſtea jure hereditario ad Carolum V. Cæſarem devoluta, & deinde per Philippum Caroli filium in Hiſpaniarum Regum ditionem conceſſit: hodieque *Cerdegna* nominatur.

Mox Sicilia.] Hanc inſulam Diodor. Sic. *lib.* 5. ait inſularum eſſe præſtantiſſimam & antiquitate rerum commemorandarum facile primas tenere: *Olim*, inquit, *a figura Trinacriæ, id eſt, Triquetræ nomen habuit. Poſtea a Sicanis cultoribus, Sicania dicta. Et tandem a Siculis, qui ex Italia cum tota illa gente trajecerunt, Sicilia nuncupata eſt. Trinacria* ſive *Triquetra* a trianguli ſpecie dicta. Plin. *lib.* 3. *cap.* 8. in tres enim partes ſive promontoria deducta eſt. Hinc apud Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 6.

- - - Quid? militibus promiſſa Triquetra
Prædia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus
Prædia Triquetra. hoc eſt, *Sicula.*

Et apud Ovid. *Faſt. lib.* 4. *verſ.* 419.

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor,
Trinacris; a poſitu nomen adepta loci.

Item *Metam. lib.* 5.

Vaſta gigantes injecta eſt inſula membris
Trinacris.

Sic quoque apud Virgil. *lib.* 1. *Æneid.*

Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heres.

ubi Servius, Trinacrio Græcum eſt, quod tria ἄκρα habeat, id eſt, promontoria, Lilybeum, Pachynum & Pelorum. Latine autem *Triquetra* dicitur. Strabo *lib.* 6. *Pelorus enim unum eſt de tribus promontoriis, quæ Siciliam efficiunt Triquetram.* Et Solin. *cap.* 5. *Ergo Sicilia, quodcum primis aſſignandum eſt, diffuſis promontoriis Triquetra ſpecie figuratur. Pachynus ſpectat in Poloponneſum. Pelorias adverſa veſpero Italiam videt. Lilybeum in Africam extenditur.* Vid. Mel. *lib.* 2. *cap.* 7. Et *lib.* 3. *Æneid.*

Ante & Trinacria tentandus remus in unda.

ubi annotavit idem Servius, multos & Trinaciam dicere. Verum hanc obſervat differentiam, ut quotieſcunque Sicilia ſignificatur, Trinacria per duo R. dicatur, quoties Sicula, per unum R. ut *Trinacia cernitur Ætna.*

Idem Poeta:

Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni
Ceſſantem.

Et Claud. *de bello Gildonico carm.* 15. *verſ.* 457.

Romani jam finis erit Trinacria regni.

Et *in bello Get. carm.* 26.

IPSA ETIAM DIFFISA BREVI TRINACRIA PONTO.

Ele-

Elegans vero hujus inſulæ deſcriptio *lib.* 1. *de raptu Proſerp.* Sicania vero Thucididi dicta a Sicanis cultoribus, qui primi hanc inſulam perhibentur incoluiſſe, vid. Diodor. Sic. *lib.* 5. Alii a *Sicano* duce ita dictam volunt, vel a *Sicanis*, inter Latii populos a Plinio numeratis, quos inde profectos inſulam Italiæ vicinam occupaſſe, & eam a gentis nomine Sicaniam nominaſſe, refert Servius in illud Virgilii *Æneid. lib.* 8.

Tunc manus Auſoniæ, & gentes venere Sicanæ.

Venum doctiſſimus Bochartus *lib.* 1. *cap.* 30. non ſine ratione opinatur, Sicanos Siciliæ indigenas eſſe, eoſque a Pœnis, qui Siciliæ partem occuparunt, Punica voce *Sicani* dictos, qui Siculorum Pœnis erant proximi, quaſi vicinos dixeris: Hebræis enim, inquit, & Syris *Saken*, cujus plur. *Sekenim*, vicinum ſonat. Inde *Sekenim*, vel Latine Sicani paſſim appellantur populi Judæis vicini. Sic quoque veroſimile putat denominationem Σικελίας, deduci a nomine *eſcol*, quod Hebræis eſt botrus, ut Syris *ſegol* & *ſegul*, ob vinearum in ea inſula fertilitatem, quam refert Diodorus diſertiſſimis verbis *lib.* 13. uti & Homerus, qui Cyclopum terram, id eſt, Siciliam eam deſcribit eximiis vitibus fœcundam, *Odyſſ. lib.* 9. *verſ.* 111. Hinc apud Diodorum *lib.* 5. de fertilitate hujus inſulæ ſermonem habens inquit: *In hac Deas, quas diximus omnium primas ſeſe oſtendiſſe, primaſque ob ſoli bonitatem hic fruges proveniſſe memorant.* Quæ clariſſimus etiam Poetarum ſuo teſtimonio confirmat:

Abſque ſatu hic creſcunt, & vomeris omnia ſulco.
Hordeum & alticomum triticum, viteſque parentes
Uvarum & vini: quæ Jupiter imbribus auget.

Unde Virgil. 1. *Æneid.*

Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes,
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros.

Et Silius *lib* 14. de hac inſula:

Llll 2 Mul-

Multa ſolo virtus, jam reddere fœnus aratris,
Jam montes umbrare olea, dare nomina Baccho.

Vina imprimis Mamertina e Sicilia olim ſummo in pretio habuere veteres. Hinc Plinius *lib.* 14: *cap.* 6. *Genera autem vini alia gratiora eſſe quis dubitet? Quamobrem de principatu ſe quiſque judicem ſtatuat. Quartum inquit curriculum publicis epulis obtinuere a Divo Julio (is enim primus auctoritatem his tribuit, ut in epiſtolis ejus apparet) Mamertina, circa Meſſanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana, ab auctore dicta, in loco proximo Italiæ laudantur præcipue.* Athenæus *lib.* 1. *cap.* 21: *Mamertinum extra Italiam provenit, nempe in Sicilia, Italicum tamen vocatur, leve, ſuave, validum.* Et Martial. *lib.* 13. *Epigram.* 117.

Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenecta
Si detur, quodvis nomen habere poteſt.

id eſt, vel *Falernum*, vel *Setinum*, vel *Cæcubum* dici poteſt; & cum præſtantiſſimo quoque vino de bonitate contendere. Præter uvarum & vinearum fertilitatem & bonitatem frumenti ingentem quotannis proferebat copiam, ita ut Romani imperii horreum fuerit appellata. Quare Plin *lib.* 18. *c.* 10. cum centeſimo germine quidem & Leontinos Siciliæ campos ſtipulas fundere. Hinc Cereri dicatam tradit Diodor. *lib.* 5. & Cic 6. *in Verr. Vetus eſt*, inquit, *opinio, quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis atque monumentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri ac Libero conſecratam: hoc cum ceteræ gentes ſic arbitrantur, tum ipſis Siculis tam perſuaſum eſt, ut agris eorum inſitum atque innatum eſſe videatur.* Alii vero Siciliam dictam putant quaſi Sicilitam reſectam maris impetu ab Italia, cujus pars olim fuit. Apud Turneb. *lib.* 26. *cap.* 3. Seculæ faſces ſunt Varroni a ſecando, & *ſicilire* deducitur, quod eſt tanquam *ſeculire;* inde *ſiciles:* Ennius apud Feſtum:

Incedit miles vulgo Sicilibus latis.

Sunt

Digitized by Google

Sunt autem *Siciles* apud Gellium *haſtæ, habentes ſpicula lata.* Inde Strabo *lib.* 1. *Sicilia nihilo magis fruſtum ab Italia abruptum judicari poteſt.* Quondam enim Bruttio agro cohæſit, mox interfuſo mari avulſa eſt, Plin *lib.* 3. *cap.* 8. Seneca *Conſolat. ad Marcian. cap.* 17. *Videbis primum ipſam inſulam, ab Italia anguſto intercisſam freto, quam continenti quondam cohæſiſſe conſtat: ſubito illud mare interrupit, &*

Heſperium Siculo latus abſcidit:

Quamobrem Græci Rhegio nomen dedere, quaſi avulſa. Ante Romanos, nunquam tota inſula uni paruit domino, verum partem Syracuſani, partem Carthaginienſes habuere, donec Romani tempore primi belli Punici partem, quam Carthaginienſes poſſederant, jure belli ſibi acquiſivere, & in provinciæ formam redegere, ut teſtatur Zonaras, cum ſcribit, *Q. Lutatium Cerconem Conſulem in Siciliam profectum omnia cum Catulo compoſuiſſe, ac Siciliæ arma ademiſſe; atque ita Siciliam a Romanis, excepto Hieronis regno, ſervitute mulctatam.* Poſtea vero bello Punico ſecundo, Hierone rege Syracuſanorum mortuo, conſtantiſſimo Populi Romani ſocio, Syracuſas ab amicitia Romana alienatas M. Marcellus Conſul in Siciliam ad Pœnos inclinantem profectus, diu a ſe oppugnatas tandem cepit, & Romano quoque adjecit imperio. M. Lævinus tamen in provinciæ formam redegit.

Item Hiſpania] Hiſpaniam Romani vocarunt quicquid terrarum Pirenæis montibus, mari mediterraneo, atque Oceano ipſo eſt concluſum, Pirenæis quidem ab Oriente, mediterraneo vero a Meridie, a reliquis partibus Oceano. Sig. *de jur. Provinc. lib.* 1. *cap.* 5. Strabo *lib.* 3. Fuit autem Hiſpania diviſa primo a Romanis in ulteriorem & citeriorem. Ulterior a Bæti flumine Bætica, qua & Luſitania quoque, quæ hodie Portugallia nuncupatur, continetur. Citerior Terraconenſis a clariſſima Terracone civitate appellata fuit, vid. Plin. *lib.* 2. *cap.* 1. Poſtea vero in tres partes fuit partita, *ſc. Bæticam*, a freto Herculeo, & mari Iberico ad Anam Fluvium: *Luſitaniam*, ad Oceanum occiduum inter Anam &

Digitized by Google

Durium Fluvium; & *Terraconenſem*, longe maximam, ab his ad Pyrenæos montes & utrumque mare porrectam. vid. Melam *lib.* 2. *cap.* 6. De ejus nominis origine non conſentiunt ſcriptores: Pompejus Trogus *lib.* 44. *cap.* 1. primo Iberiam appellatam tradit a veteribus, ab Ibero amne, poſtea ab Hiſpano Hiſpaniam cognominatam fuiſſe. Sic quoque Plin. *lib.* 3. *cap.* 3. *Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobrico CCCCL. M. paſſ. fluens; navium per CCLX. M. a Varia oppido capax, quem propter univerſam Hiſpaniam Græci appellavere Iberiam.* Et Curt. Ruf. *lib.* 10. *cap.* 1. *Hiſpanias deinde, quas Iberiam Græci a flumine Ibero vocabant, adire; &c.* Olim ab Heſpero Atlantis Fratre Heſperiam dictam perhibent. Nonnulli ab Heſperio ſtella occidua, quæ in Hiſpania occidit, & ad quam ferme reſpiciunt in eam regionem navigantes, Heſperiam nuncupatam volunt. Alii Hiſpaniæ nomen derivant ab Rege *Hiſpalo*, & condita ab eo urbe *Hiſpali*: verum hæc nominis origo non admodum antiqua eſſe poteſt, quoniam ex Strabone aliiſque Hiſtoricis conſtat, Hiſpalim ipſam Romanorum fuiſſe coloniam, *lib.* 3. & a Julio Cæſare conditam urbem, quæ hodie Sevilia vocatur. Plin. *lib.* 3. *Et a læva Hiſpalis colonia cognomine Romulenſis.* Juliam Romulam a Julio Cæſare nuncupatam, ait Iſidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 1. Alii tradunt Semele nato & in Hiſpaniam appulſo, totaque provincia victricibus armis parere imperio coacta, e ſociis unum ad res gerendas relictum, Pana nomine, effeciſſe, ut Provincia primum *Pania*, deinde additione unius literæ *Spania* diceretur. Doctiſſimus vero Bochartus *lib.* 3. *cap.* 7. ipſum Hiſpaniæ nomen, vel *Spaniæ*, ut veteres ſcripſere, oſtendit mere eſſe Hebraicum: *Hebræis enim*, inquit, *Saphan eſt cuniculus. Inde Spania dicta cuniculoſa regio; quo epitheto partim Hiſpaniæ Celtiberiam inſigniit Catullus:*

Cuniculoſæ Celtiberiæ fili
Egnati.

Varro *de Re ruſtica lib.* 3. *cap.* 12. *Tertii generis eſt, quod in Hiſpa-*

Digitized by Google

Hiſpania naſcitur, ſimile noſtro lepori ex quadam parte, ſed humile. Unde apud Plin. *lib.* 8. *cap.* 29. M. Varro auctor eſt, *a cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum. Sed Phœnices*, pergit, *jure merito regionem univerſam, in qua cuniculi olim fuerunt ita frequentes, ut intactum nil relinquerent, occuparunt.* Nec radicibus ſolum & ſtirpibus & ſeminibus eſſent noxii, ſed & oppida ipſa continuis ſuffoſſionibus ſubverterent. Quin & vicinis *Balearibus tam infeſta fuit hæc peſtis, ut ab Auguſto coacti ſint milites depoſcere, quibus ſe tuerentur adverſus hæc animalcula.* Sic quoque vocem *Iberiæ* ex Phœnicum lingua petendam aſſerit vir doctiſſimus. Hebræis enim *eber*, Chaldæis *ebra* vel *ibra* eſt tranſitus, & quicquid eſt ulterius. Inde plurale *ebrin* vel *ibrin*, terminos & fines ſignificat. Merito igitur, inquit, *Iberi* dicti, qui ex Phœnicum ſententia terrarum fines ultimos occuparint; Hiſpani nempe, quorum urbem *Calpen* Tyrii putaverunt eſſe terræ habitatæ terminum. Hanc Hiſpaniæ terram tradit Mela, uvis, equis, ferro, plumbo, ære, argento, auroque adeo abundare, & fertilem eſſe, ut ſicubi ob penuriam effœta & ſui diſſimilis eſt, linum tamen aut ſpartum alat. Et Plinius *lib.* 3. *cap.* 3. *in fin. Metallis, plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota ferme Hiſpania ſcatet.* Invadendæ porro Hiſpaniæ, inquit Sigonius, Romanis eadem cauſa, quæ Siciliæ fuit, nempe ut Pœnis occurrerent, qui majorem fere partem ejus Amilcare primum, deinde Aſdrubale Amilcaris genero occuparant: *Primi autem omnium in Hiſpaniam contra Afros exercitum duxere* Cn. & P. Scipiones, belli Punici ſecundi initio, qui octavo ejus belli anno a Pœnis cæſi ſunt, poſtquam multas regiones Romanæ feciſſent ditionis. Quorum gloriam poſtea P. Scipio P. F. qui poſtea Africanus dictus, cumulavit, multaque proſpere geſſit. Hic enim Hiſpaniam, quæ patris, patruique continuatis cladibus tota ferme defecerat, recepit. Ejus virtute factum, ut imperium Pop. Romani, uſque ad Anam flumen propagatum ſit, atque Hiſpania omnis, præter Luſitaniam & Gallæciam ab occidente, & Cantabriam, Aſturiamque a Septentrione, ſub ditionem populi Romani conceſſerit, & ducis virtute in provinciam redacta ſit, quod contigiſſe anno U. C. DXLII.

Digitized by Google

DXLII. refert Sig. *lib.* 1. *de antiq. jur. Provinc.* Quo anno, tradit Livius, *Hiſpani primam continentis provinciam factam eſſe.* Idem vero *lib.* 2. *cap.* 12. de Hiſpania inquit: *Itaque ergo prima Romanis inita provinciarum, quæ quidem continentis ſint, poſtrema omnium noſtra demum ætate, ductu auſpicioque Auguſti Cæſaris perdomita eſt.* Cadente vero Romano imperio, Gothi, Vandali, Suevi, Alani, eam partiti fuere, donec tandem Gothi rerum potiti ſunt. Interjecto vero tempore A. C. 1470. in unius Ferdinandi Arragoniæ R. qui duxerat Iſabellam Caſtellæ & Legionis hæredem, Hiſpaniarum regnum, poteſtatem venit. Johanna ex hoc matrimonio filia, Philippo Auſtriaco fuit nupta, & ex eo genuit Carolum V. Imperatorem, qui regni faſces ſponte filio Philippo ſecundo tradidit. Hic regnum Portugalliæ poſt mortem Sebaſtiani anno 1578. ſimulque totam Africam & Aſiam litoralem ſuo adjecit imperio. Quod deinde ad ejus deſcendit heræedes & ſucceſſores, excepta Luſitania, Philippum 3. & 4. Carolum II. & tandem Philippum V. Ludovici XIV. Galliæ Regis nepotem, qui immenſi hujus imperii habenas hodie ſumma cum gloria & laude moderatur.

Deinde Narbonenſi Provincia.] Gallia olim, a veteribus diviſa fuit in *Ciſalpinam* & *Tranſalpinam.* Ciſalpinam dixere, quam hodie communi vocabulo *Lombardiam* vocamus, quæque hodie Italiæ pars eſt. Ex altera enim Alpium parte intra Italiæ latè ſumptæ terminos, ad utramque Padi ripam, Galli habitarunt uſque ad Rubiconem fluvium, unde ea Regio Gallia Ciſalpina; Guilel. Hill. *comment. in Dionyſ.* Juſtin. *lib.* 20. *cap.* 5. tradit cauſam Gallorum in Italiam adventus, inteſtinam ſcil. diſcordiam, & aſſiduas domi diſſenſiones. Dicebatur quoque hæc Galliæ pars olim *Tonſa* ſive *togata*, ita dicta, quod populi illi Romanorum more *toga* utebantur. Tranſalpina, cujus una pars *Comata* vocata eſt, a comæ nutriendæ ſtudio, altera *Braccata*, a genere veſtium, Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. quæ & *Gallia Narbonenſis*, a *Narbone* Tectoſagum oppido, ſic appellata: quam tradit Strabo *lib.* 4. totius Galliæ Emporium. Cæſar *lib.* 1. *de Bell. Gall.* Galliam in tres partes diviſam tradit, *quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli, appellantur.*

Hanc

Digitized by Google

Hæc Narbonenſis Provincia Romanis erat chariſſima; eamque cæteris Galliæ partibus magis conſitam, ideoque etiam lætiorem eſſe, tradit Mela *lib.* 2. *cap.* 5. Et Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. ait, ***agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum poſtferendam, breviterque Italiam verius, quam provinciam.*** In quatuor dividitur Regiones, Occitanam a Garumna ad Rhodanum, Provinciam a Rhodano ad Alpes maritimas, Delphinatum a Druentia Fluvio & montibus ad Hiſaram fluvium, & Sabaudiam ab Hiſara ad Rhodanum & Lemanum lacum.

Provincia] *Provinciæ nomen*, inquit Sig. *de antiq. jur. Prov. lib.* 1. *cap.* 1. *tribus modis populus Romanus totius hujus rationis auctor accepit: uno, pro regione, quam aut armis devictam, aut quocunque modo in poteſtatem adductam, ipſe Magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubjecit; altero pro quacunque regione, in qua bellum Romanus Imperator adminiſtravit; tertio pro quacunque muneris procuratione.* Huic autem loco prima verbi ſignificatio cæteris conjunctior eſt, ita ut hic appellatione provinciæ ejuſmodi regio intelligi debeat, quæ ab Italia ſejuncta, populi dominio ſubjecta erat, id eſt, quæ tum vectigalia Populo Romano pendebat, tum Magiſtratui populi Romani fœderis lege obtemperare tenebatur, a qua immunis Italia, utpote quæ jure Italico donata, ſuis legibus & Magiſtratibus utebatur, & conſequenter provinciæ appellatione, quanquam quidem vectigalis facta, non continebatur. Quamobrem Sigonius definit breviſſime provinciam regionem, quæ jus provinciale conſecuta eſt, ſcil. quæ legibus ſuis & Magiſtratibus jus dicentibus ſpoliata eſt, in qua jus illud, quod provinciale vocamus, potiſſimum conſiſtebat. Populus enim Romanus non uno eodemque modo tractabat eas regiones, quas in poteſtatem redigebat, verum pro ſuis cujuſque meritis leges accipiebant. Quo contigit, ut aliæ civitates vectigales, aliæ immunes, aliæ ſervitute, aliæ libertate affectæ ſint. Cujus rei arbitrium primordio Reipub. penes Senatum fuit, qui acceptis ab Imperatore de ſubactis & debellatis hoſtibus, & regione Romano imperio adjecta literis, de mulcta & præmiis eorum, qui ſuperati erant, conſultavit, & Impe-

ratorem certiorem fecit quid ſibi fieri placeret, miſſis ad eum decem aut quinque legatis, ut ex eorum ſententia de hoſtibus & eorum regione ſtatueret: quibus de rebus Imperator certior factus, aut ex certa Senatus, ſi ita præſcriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem legatorum ſententia victis gentibus aut ignovit, aut in provinciæ formam redegit. *Sig. dict. loc.* Ignoviſſe dicebatur, quando libertate ſua frui ipſis permitteret, id eſt, ſuis uti legibus, ſuoſque creare Magiſtratus more & ritu patrio: in provinciæ vero formam redigebatur, cum Romanis legibus & Magiſtratui obtemperare tenebantur.

Quæ cum de univerſa regione, tum de ſingulis civitatibus populiſque conſtituta erant, ea in concione ſilentio per præconem facto Imperator fere præconi pronuncianda mandabat; ac poſtremo Romam, relicto aliquo præfecto provinciæ, decedebat. In has itaque provincias mittere ſolebant Romani ſuos Magiſtratus, qui & juridicundo & exercitui præerant, & vectigalia procurabant: ita ut nulla eſſet provincia, quæ non habebat Proconſulem vel Prætorem, & Quæſtorem. Nam ſtante Repub. aliæ provinciæ *Conſulares* erant, aliæ *Prætoriæ*; Provinciæ Conſulares erant, quas illi, qui in urbe Conſulatum geſſerant, Conſulari obtinebant imperio, ad quas peracto Conſulatu proficiſcentes, Proconſules dicebantur. Sic Prætoriæ erant, quas, qui Prætores proximo anno in urbe fuerant, Prætorio imperio obtinebant. Verum notandum, Provincias non ex ſua natura & eſſentia vel Conſulares vel Prætorias fuiſſe, ita ut certæ quædam provinciæ Conſulibus, aliæ Prætoribus decerni deberent, verum Senatum eas in poteſtate habuiſſe conſtat, & quas Prætorias, quas Conſulares eſſe vellet, quotannis pro judicio ſuo ſtatuiſſe, quo contigit ſæpiſſime, ut aliquando Conſulares Prætoriæ, & Prætoriæ Conſulares efficerentur. Quare apud Ciceronem legimus, *ex Conſulari provincia facere Prætoriam.*

Totidem Prætores, quot Provinciæ in ditionem venerant, creati ſunt.] Creſcentibus provinciis, & latius pateſcente imperio, Prætorum numerum augere neceſſe habuere Romani. Duobus igitur Prætoribus urbano & peregrino quatuor hi additi Prætores provinciales, ad numerum provinciarum, quas enume-

enumerat Pomponius; verum in eo differt JCtus a Livio, qui Hiſpaniæ dat duos Prætores, atque ita ſex efficit, omiſſa Narbonenſi Provincia, ita enim inquit, *lib.* 32. *cap.* 28. *Cn. Cornelio, & Q. Minutio Coſſ. omnium primum de provinciis Conſulum Prætorumque actum, prius de Prætoribus tranſacta res, quæ tranſigi ſorte poterat. Urbana Sergio, peregrina juriſdictio Minutio obtigit. Sardiniam Acilius, Siciliam Manlius, Hiſpaniam Sempronius citeriorem, Helvius ulteriorem eſt ſortitus.* Sed reſpondet Cujacius, Pomponium ex duabus Hiſpaniis maluiſſe facere unam, quod & plerumque ad ſortiendam utramque unus admitteretur, quam omittere Narbonenſem, quæ poſtea Proconſulem habuit.

Deinde Cornelius Sylla.] Omittit Pomponius prænomen nimir. *Lucius.* Quiſnam hic fuerit L. Cornelius Sylla, neminem fugere poteſt, qui a limine tantum antiqua ſalutavit veterum ſcriptorum monumenta: ex iis enim perſpicimus, nobilem fuiſſe Romanum, ex antiqua Scipionum oriundum familia, eruditum & facundum, aſtutum, ſed gloriæ imprimis cupidum virum, animo grandem, ſucceſſuque adeo felicem, ut dubitari poſſe dicat Saluſtius, utrum fortior, an felicior fuerit. De eo tradit Plin. *de viris illuſtribus:* Cum adhuc parvulus a nutrice ferretur, mulierem obviam dixiſſe, ſalve puer, tibi & Reipub. tuæ felix. Et ſtatim quæſita, quæ hæc dixiſſet, non potuiſſe inveniri. Q. Florus Tertull. *Apolog. contra gentes cap.* 11. *Quis ex illis Diis veſtris gravior & ſapientior Catone, juſtior & militarior Scipione, quis ſublimior Pompejo, felicior Sylla, copioſior Craſſo, eloquentior Tullio?* Scribit Appianus equeſtrem imaginem Syllæ auream ante roſtra poſitam cum inſcriptione: CORNEL. SYLLÆ. IMPERAT. FORTUNATO. Felicem ſe eo dici voluit, quod inimicos Marianos feliciter ultus eſſet. *Occiſo demum C. Mario ſepties Conſulis filio, Felicis nomen aſſumpſit.* Vellejus *lib.* 2. Et Plin. *natur. hiſtor. lib.* 7. *cap.* 44. *Unus hominum ad hoc ævi Felicis ſibi cognomen aſſeruit L. Sylla, civili nempe ſanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum.* Verum inquit Jul. Solin. *Polyhiſt. cap.* 7. *Dictus potius, quam fuerit felix.* Niſi, ut inquit Plinius *loc. cit.* ideo felicem Syl-

lam appellari quis velit, quod proſcribere tot millia civium ac trucidare potuerit. Quare apud Suet. in Tib. *cap.* 59. *Adſpice felicem ſibi, non tibi, Romule, Syllam. O prava interpretatio & futuro tempore infelix.* Adoleſcentulus omnibus deditus fuit vitiis. Hinc Valer. Max. *lib. 6. c.* 9. *Turpem adoleſcentulum & virum fortem dicerem, niſi ipſe ſe felicem appellari maluiſſet.* Verum ſub Mario ad Quæſturam evectus, ineuntis adoleſcentiæ vitia meliori vivendi ratione emendare cœpit. *L. vero Sylla uſque ad quæſturæ ſuæ comitia vitam libidine, vino, ludricæ artis amore, inquinatam perduxit.* Idem *dict. loc.* miſſus a Mario ad Bocchum Mauritaniæ Regem Legatus, Jugurtæ Numidarum Regis proditi a Boccho, ad quem confugerat, manibus catenas injecit. Mithridatem compeſcuit: ſocialis belli fluctus repreſſit. Cinnæ dominationem fregit: poſtremo Dictatura auctus, Rempub. miſere oppreſſit, ita ut nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poſſet, teſte Cicer. 2. *in Verrem. Crudeliter enim totam urbem atque omnes Italiæ partes civilis ſanguinis fluminibus inundavit.* Valer. Max *lib.* 9. *cap.* 2. Privatus autem ad poſtremum Dictatura depoſita Puteolis (oppidum eſt diſtans decem millibus paſſuum a Neapoli) periit morbo pediculari, ſexageſimum ingrediens annum. Vide Plutarch. *in Mario.* Diſſentit autem a cæteris omnibus fere auctoribus Valerius, qui dicit Syllam nimia iracundiæ violentia ſupremum diem obiiſſe. *lib.* 9. *cap.* 3. ubi inquit: *Quid Sulla dum huic vitio obtemperat? nonne multo alieno ſanguine profuſo, ad ultimum & ſuum erogavit? Puteolis enim ardens indignatione, quod Granius princeps ejus coloniæ pecuniam a Decurionibus ad refectionem Capitolii promiſſam cunctantius daret, animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu convulſo pectore, ſpiritum cruore ac minis miſtum evomuit.*

Quæſtiones publicas conſtituit.] Id eſt, publica conſtituit judicia: quæſtiones enim ſunt publica judicia, inde ducto nomine, quod in iis, reo in judicium vocato, nocens ſit an innocens, conſtituto judicio quæratur. Quæſtio enim ſtatus & conſtitutio cauſæ dicitur. Inquit vero Fabius *lib.* 3. quod Quæſtio in judiciali materia dupliciter accipienda ſit. Altero

ro modo quo dicimus multas quæſtiones habere controverſiam: quo etiam minores omnes complectimur Altero quo ſignificamus ſummam illam, in qua cauſa vertitur: ex qua naſcitur ſtatus an factum ſit, an recte factum ſit. Verum hic quæſtio pro publico judicio accipitur: & Quæſitor is dicitur, qui quæſtionem habet, ſcil. qui inquirendum curat de crimine, de eoque judicium exercendum: cui judicio præerat olim Prætor, ideoque veteri nomine Quæſitor vocabatur. *Quærere* enim proprium pro præeſſe dicitur. Cic. *pro Rabir. Accuſavi de pecuniis repetundis. Judex ſedi, Prætor quæſivi.* Sed quoniam in exercendis quæſtionibus, ſive judiciis criminum, ſervi ſæpe tormentis ſubjiciebantur, qui teſtes ſæpe rerum domi perpetratarum erant, hinc quæſtio aliquando pro tormentis accipi poteſt, ut patet ex *tot. tit. ff. & Cod. de quæſt.* & ipſa tormenta quæſtiones appellatæ, inde fortaſſe, quod tormentis veritas credatur exquiri, & invitis extorqueri. An autem iſte adhibendarum quæſtionum ſive tormentorum mos & uſus ad eruendam facti veritatem, rationi & æquitati atque humanitati ſit conveniens nec ne, alio loco a nobis, ſi Deus velit, diſputabitur. Quæſtiones igitur hic recte interpretamur judicia publica. *Publica* ideo dicta, quod cuivis e populo actio permitteretur, *publica autem dicta ſunt, quod cuivis e populo executio eorum plerumque datur*, inquit Imperator *inſt. lib.* 4. *tit.* 18. Executio hic eſt criminalis accuſatio; ita enim utimur executionis verbo *l.* 11. *ff. de accuſat.* atque ſæpiſſime apud Latinos ultionem ſignificat. Quemadmodum Reipub. intereſt plures habere defenſores, ita etiam plures maleficiorum accuſatores. *Cæterum* (ut inquit Sig. *cap.* 1. *lib.* 2. *de jud.*) *judicia publica fuere decreta, quæ de criminibus, Quæſitore aliquo judicium exercente, judices ab eo dati fecerunt, prout leges de ſingulis criminibus cognoſcendis latæ juſſerunt.* Notandum tamen, non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica eſſe, ſed ea tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt, ut *Julia Majeſtatis, Julia de Adulteriis, Cornelia de Sicariis, & Veneficiis, Pompeja de Parricidiis, Julia peculatus, Cornelia de teſtamentis, Julia de vi privata, Julia de vi publica, Julia ambitus, Julia repetunda-*

 rum,

rum, Julia de annona l. 1. *ff. de publ. jud.* Publica etiam dici putat Duarenus, quod olim eorum cognitio & animadverſio ad populum pertineret, qui lege lata quæſtiones, & quæſtionum judices conſtituebat; quippe cum lege Valeria vetabatur de capite civis Romani injuſſu populi animadvertere, ſive jus dicere, Quæſtores conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus præeſſent. *l.* 2. *h. t. §.* 23.

Quæri hic poſſet, num tot ſecula ante Syllam nullæ in Romana Rep. ſive ſub Regibus, ſive Conſulibus, fuerint publicæ quæſtiones, quarum originem videtur Pomponius ad Syllam referre, cum eas ab eo tradit conſtitutas? Certiſſimum eſt longe ante Syllam a L. Piſone Trib. pl. legem latam eſſe, qua quæſtionem repetundarum perpetuam fecit, ut Cicero ſcribit hiſce verbis: *Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt, nam & quæſtiones perpetuæ* (de hiſce enim Pomponius ſermonem habet) *hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ nullæ ante fuerant. L. enim Piſo trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino & Manlio Coſſ. tulit.* Poſt hanc de *repetundis* quæſtionem interjecto tempore & aliæ quoque de *peculatu*, de *Majeſtate*, & de *ambitu* perpetuæ factæ ſunt. Imo de veneficio etiam Romæ quæſitum publice conſtat, cum civitatis primores incertis & occultis morbis e medio tollerentur, ancillæ cujuſdam indicio patefactum eſt muliebri fraude civitatem premi, matronaſque venena coquere, quibus tot viri abſumebantur. Quod ubi compertum eſt, occiſæ viginti in foro matronæ, apud quas venena deprehenſa erant, cum duæ ex iis contenderent ſalubria eſſe, quæ faciebant, medicamenta, ab confutante indice bibere juſſæ, haud abnuentibus illis bibere, epoto medicamento, ſuamet fraude omnes interierunt, comprehenſæ extemplo earum comites, magnum numerum matronarum indicaverunt, ex quibus 170. damnatæ. Quo primum tempore de veneficiis Romæ quæſitum. Liv. *lib.* 8. *cap.* 18.

Veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis. Et Prætores quatuor adjecit.] Ita ſeſe habet Florentina lectio. Quatuor autem putat Cujacius aliique horum verborum interpretes leges Cor. Sullam inſtituiſſe, & hiſce tribus adjiciendam eſſe legem Corneliam

neliam de injuriis. Quot enim (inquit) ſunt adjecti Prætores, tot credibile eſt fuiſſe conſtitutas Quæſtiones, & Prætoris de injuriis extat mentio in *l.* 35. *ff. de injur.* ubi inquit Ulpianus: *Si quis atrocem injuriam fecerit, qui contemnere injuriarum judicium poſſit ob infamiam ſuam & egeſtatem, Prætor acriter exequi hanc rem debet, & eos, qui injuriam fecerunt, coercere.* Sig. *lib.* 2. *de jud. cap.* 4. enumerat inter leges a Cor. Sylla latas legem de veneficiis, nullam legis Corneliæ de injuriis mentionem faciens. Et propterea (inquit) Pomponius Prætores quoque quatuor, ut de iis quærerent, addidit. Verum reponit Cujacius, cui ex lege Cornelia de ſicariis obtigit quæſtio, etiam de veneficiis procul dubio quærit, ut cui ex lege teſtamentaria, & ex nummaria; itaque proprium hanc de veneficiis legem Prætorem non habuiſſe. Coraſius longe ab hac Cujacii ſententia recedit, & fatetur ſe hunc nodum diu multum diſtorſiſſe, cum ſciret judicium de injuriis privatum eſſe: ex *l.* 7. *§.* 1. *ff. de injur.* ubi inquit Ulpianus: *Si dicatur homo injuria occiſus, nunquid non debeat permittere Prætor privato judicio legi Corneliæ præjudicari?* Ita etiam in *l.* 7. *Cod. de injur.* *Injuriarum cauſa non publici judicii, ſed privati continet querelam.* Et *l. ult. eod.* *Si quando injuriarum actio, quam inter privata delicta veteris juris auctores connumerant &c.* Et tamen video, inquit, a Pomponio noſtro inter quæſtiones publicas a Sylla conſtitutas, repoſitum: ut non poſſim propterea non valde mirari conniventiam ſcriptorum, qui hunc ſalebroſum locum, tam belle diſſimularint: licet enim lege Cornelia ex tribus cauſis de injuriis datam actionem, Ulpianus Juſtinianuſque referant: de iis tamen cauſis publicam quæſtionem non eſſe, ſed privatam, videre eſt in *l.* 1. 2. 3. *ff. de privat. delict.* Et fatetur ſe nihil habere quid dicat, niſi hæc verba de *injuriis* ſubdititia eſſe, & ab audaculo quodam nobis obtruſa, & loco de *injuriis* reponendum cenſet *de repetundis*, quoniam nuſpiam ab aliquo Cornelio aut Sylla crimen injuriarum publica quæſtione coercitum legimus. Sane Paulus JCtus in *l.* 42. *§.* 1. ait, actionem injuriarum pro publica utilitate quidem exerceri; attamen privatam eſſe: ideoque in ea ex lege Cornelia procuratorem dari poſſe. Cicero quoque *lib.*

lib. 2. *de invent.* injuriarum actionem privatam fuiſſe affirmat; ita ut hic locus merito ſuſpectus videri debeat. Verum largiter putat hic Lipſius Pomponium errare, ſentientem totidem Syllam inſtituiſſe Prætores, quot quæſtiones conſtituit. Conſtat enim, ſæpiſſime apud eundem Prætorem plures quæſtiones exercitas fuiſſe: quippe, ut vult Balduinus ad *h. t.* quæſtio de parricidis comprehenſa fuit lege & quæſtione de ſicariis tempore Cornelii Syllæ, idque ex Cicerone in *orat. pro Sex. Roſcio*, probari poſſe affimat; ita ut Cornelia lex & quæſtio de ſicariis pertinuerit quoque ad parricidas: & conſequenter non videatur de his inſtituta quæſtio diverſa, donec Pompejus & legem de iis tulerit, & proprium Quæſtorem inſtituerit. Quid igitur, inquit, ſupereſſent duæ tantum quæſtiones publicæ ex lege Cornelia, nempe de ſicariis & de falſo? nam & falſi quæſtio comprehendebat quæſtionem de veneficio, ut videre eſt *l.* 1. §. *ad leg. Cornel. de ſicar.* Quicquid ſit, putat Lipſius ad numerum quæſtionum, Syllam non auxiſſe numerum Prætorum, ſed in univerſum duos tantum addidiſſe. Ita ut non plures octo Prætores ad Ciceronis ævum, & non decem, ut voluit Jctus, fuerint. Quippe, ut ex Dione conſtat, Cæſar primus Dictator inſtituit decem Prætores, *lib.* 42. *Ut enim* (inquit) *pluribus gratiam poſſet referre, decem Prætores ad inſequentem annum deſignavit.* Sin autem Pomponio fidem habeamus, adjectis duobus Prætoribus urbano & peregrino, quatuor Provincialibus, & pro numero quæſtionum quatuor aliis, decem tempore Syllæ Prætores conſtitutos conſtabit.

Deinde Cajus Julius duos Prætores & duos Ædiles, qui frumento præeſſent, & a Cerere cereales conſtituit.] Ita enim Suet. *in Julio*, *Senatum ſupplevit, patricios allegit: Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam Magiſtratuum numerum ampliavit.* Supra de Ædilibus plebis, qui in monte ſacro primum a plebe & ex plebe creati ſunt, atque de Ædilibus Curulibus, qui e patribus creati fuere, quædam diſputavimus, hic Pomponius Ædilium Cerealium mentionem facit, quos Julius Cæſar creavit, ut eſſent qui rei frumentariæ operam darent, atque præeſſent frumento. Hi etiam ex plebe creati, unde quædam antiquæ inſcriptiones, ÆDILES PLE-

Digitized by Google

PLEBEI CEREALES. Didicerant enim Romani quanti ſit momenti in Repub. frumenti & annonæ habere copiam, rerumque uſu expertes ſæpiſſime bellis inteſtinis annonæ caritatem cauſam præbuiſſe. Quæ vix evitari poterat, niſi conſtituto aliquo Magiſtratu, qui ejus curam gereret, & abs re nomen haberet. A Cerere itaque Cereales dicti. Fuit enim Ceres Saturni & Opis filia, Dea frugum ab antiquis habita, a gerendis frugibus, ut tradit Cic. *lib* 2. *de natur. Deor. Ceres* tanquam *geres*, priore litera immurata, ſic dicta. Inter divos hac de cauſa relata, quod leges prima hominibus tuliſſe ſit credita. Nam ante frumenti uſum a Cerere inventum, ferarum more mortales ſine lege vagabantur, quæ feritas interrupta eſt, invento frumentorum uſu. Hinc Cereris numen veteres ad eam terram potiſſimum transferebant, quæ frumenti ferax erat. Ædilium itaque munus annonæ, reique frumentariæ præeſſe. Unde Apulej. 1. *Metam. Annonam curamus*, ait, *& Ædilem gerimus.* Frumentum vero explorabant, probabant, dividebant, ac providebant ut ejus copia eſſet. Legimus apud Liv. frumentarios pecunia ab Ædilibus damnatos ob annonam compreſſam.

Deinde Divus Auguſtus ſedecim Prætores conſtituit.] Numerum Prætorum Auguſtum auxiſſe, teſtatur Suet. in ejus vita *cap.* 37. verum quot Prætores adjecerit, non tradit. Si Pomponio fidem habeamus, & numerum ab eo traditum velimus explere, quatuor de novo creaſſe Prætores dicendum. Cum enim tempore Julii Cæſaris duodecim jam Prætores fuiſſe ſcribit Jctus, divumque Auguſtum ſedecim conſtituiſſe, neceſſario ſequitur, quatuor Auguſtum Prætores adjeciſſe prioribus, ſicuti jam dictum. Verum hac in re admodum variant auctores. Tacit. 1. *annal. cap.* 14. Tiberium duodecim Præturæ candidatos nominaſſe, qui numerus jam ab Auguſto traditus erat, refert. Id ſaltem certiſſimum, quemadmodum Cæſar, ita quoque Auguſtus ſæpiſſime Prætorum numerum & auxit & diminuit. Quippe Auguſtus jam ſumma rerum potitus minuit Cæſarianum numerum, qui ad ſedecim uſque creverat, & ad decem reduxit. *Auguſtus vero decem tantum Prætores, quia pluribus opus non haberet, conſtituit, id in plures etiam annos,*

inquit Dio *lib.* 35. Anno DCCLXIV. creavit decem. Ita tamen, ut multis deinceps annis duodecim duntaxat crearet. Ad prima adjecit oculos Pomponius, ad ultima Tacitus, cum de duodenario numero ſermonem habet, Lipſius *dict. loc.* verum lubitu Cæſarum numerus vel auctus, vel diminutus ſæpiſſime fuit.

Divus Claudius duos Prætores adjecit qui de fideicommiſſo jus dicerent.] Fideicommiſſa dicuntur, quæ reſtituenda fidei alicujus committuntur. Eum in finem inventa, ut, quibus olim hæreditatem vel legata relinquere vetabant leges, quorum in numero habebantur peregrini & cœlibes. iis, ſi quid relictum a ſe vellent, eorum fidei committebant, cum quibus erat teſtamenti factio activa vel paſſiva, qui capere ex teſtamento poterant. Iis ea conditione legata ſive hæreditatem vel integram, vel partem ejus relinquebant, ut reſtituerent. *Quæ*, ut inquit Imperator, *ideo fideicommiſſa appellata ſunt, quia nullo juris vinculo, ſed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Poſtea vero Divus Auguſtus ſemel iterumque gratia perſonarum motus, vel quia per ipſius ſalutem rogatus quis diceretur, aut ob inſignem quorundam perfidiam, juſſit Conſulibus auctoritatem ſuam interponere. Quod quia juſtum videbatur & populare erat, paulatim converſum eſt in aſſiduam juriſdictionem: tantuſque eorum favor factus eſt, ut paulatim etiam Prætor proprius crearetur, qui de fideicommiſſis jus diceret, quem fideicommiſſarium appellabant.* Et hoc eſt quod tradit Suet. *in Claud. cap.* 23. ubi inquit: *Juriſdictionem de fideicommiſſis quotannis, & tantum in urbe delegari Magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus* (ſcil. Præſidibus) *demandavit.* Id eſt, ut dicit Imperator, in aſſiduam Juriſdictionem convertit: ſcil. non opus in ſingulis negotiis, neque quotannis, eam demandari, verum jam jure Magiſtratus obtinebatur, imo proprius Prætor conſtitutus eſt, qui fideicommiſſarius vocabatur, qui de fideicommiſſis cognoſcebat & jus dicebat. Verum notandum, interdum quoque Conſules de iis jus dixiſſe, quamvis proprius jam creatus erat Magiſtratus, ut perſpicimus *ex fragment. Ulpiani tit.* 25. §. 12. Sed cognitio (inquit) eſt Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris, qui

Digitized by Google

qui fideicommiſſarius vocatur. Et Quinctil. *lib. 3. cap. 6. Non debes* (inquit) *apud Prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud Conſules. Major enim Prætoria cognitione ſumma eſt.* Itaque ratione fideicommiſſorum, quæ petebantur, vel cognitio erat Conſulum, vel Prætorum, de majoribus Conſules, de minoribus Prætor cognoſcebat ſive judicabat.

Jus dicunt] diverſo tamen modo, quidam enim cognoſcendo per ſe, quemadmodum Prætor fideicommiſſarius. Tantus erat favor fideicommiſſorum, ut de iis cognoſcere fideicommiſſarius ipſe deberet. Itaque non poterat dare judicem. Quare perſecutio fideicommiſſi non actio ſpecialiter ac proprie dicebatur, ut & ceteræ, quæ non habebant juris ordinarii executionem. *l.* 17. §. 2. *ff. de verb. ſig.* ubi inquit Jctus: *Perſecutionis verbo extraordinarias perſecutiones puto contineri: ut puta fideicommiſſorum, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent juris ordinarii executionem.* Alii jus dicebant dando judices pedaneos, qui nullam habebant juriſdictionem, verum judicandi tantum facultatem. *l. ult. ubi & apud quem cognit. in integ.* Nam & jus dicere Magiſtratus dicitur, cum dat judicem, quia judicis dandi licentia eſt juriſdictionis, ut ſupra annotavimus ex *l.* 1. & 3. *ff. de juriſd.*

---

§. 33. *Et hæc omnia, quoties in Republica ſunt Magiſtratus, obſervantur: quoties autem proficiſcuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, is vocatur* Præfectus Urbi; *qui Præfectus olim conſtituebatur, poſtea fere Latinarum feriarum cauſa introductus eſt, & quotannis obſervatur. Nam* Præfectus Annonæ, & Vigilum *non ſunt Magiſtratus, ſed extra ordinem, utilitatis cauſa conſtituti ſunt: & tamen hi, quos* Ciſtiberes *diximus, poſtea Ædiles Senatuſconſulto creabantur.*

Digitized by Google

In Republica.] Id eſt, in civitate, in urbe Roma, & intra muros ejus. Ita Saluſt. in *conjurat. Catilin.* *Poſtea*, inquit, *Piſo in citeriorem Hiſpaniam Quæſtor pro Prætore miſſus eſt, adnitente Craſſo, quod eum infeſtum Cn. Pompejo cognoverat: neque tamen Senatus provinciam invitus dederat: quippe fœdum hominem a Repub. procul eſſe volebat.* Et Tacit. 16. *annal. cap.* 3. *Helvidius & Paconius Italia depelluntur: Montanus patri conceſſus eſt; prædicto, ne in Repub. haberetur.*

Proficiſcuntur] Id eſt, quoties omnes ab urbe diſcedunt, ita ut nullus relinquatur Magiſtratus, qui jus dicat, & urbis cuſtodiam habeat, abſentibus omnibus Magiſtratibus. Prætores quoque licet creati fuerint ut juriſdictioni præeſſent, & civibus litigantibus jus redderent, attamen ob urgens bellum oportebat ad illud proficiſci nonnunquam, ejuſque curam ſuſcipere. Itaque ne juſtitiæ adminiſtratio abſentibus Magiſtratibus, quibus ejus incumbebat cura, ceſſaret, Præfectus conſtituebatur, qui urbis cuſtodiam haberet, juſtitiam adminiſtraret, atque provideret ne Reſpub. interim aliquid detrimenti caperet.

Is vocatur Præfectus urbi.] Conſtat hunc Magiſtratum olim & ſub Regibus fuiſſe, ut, quoties Rex abeſſet, regia Præfectus obiret munia. Cauſam inſtituti hujus Magiſtratus, deſcribit Tacit. *lib* 6. *cap.* 10. & 11. de L. Piſone Pontifice ſermonem habens, ejuſque laudes referens, ita inquit: *Sed præcipua ex eo gloria, quod Præfectus urbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentia parendi graviorem, mire temperavit. Namque antea profectis domo Regibus, at mox Magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac ſubitis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium, impoſitos. Dein Conſules mandabant; duratque ſimulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui Conſulare munus uſurpet.* Regibus exactis, Conſulibus etiam foris ad bellum proficiſcentibus, idem mos creandi Præfectos, qui domi Rempub. adminiſtrarent, aliquamdiu ſervatus fuit. Liv. *lib.* 1. *in fin.* de Bruto Tribuno Celerum diſſerens, inquit, eum in caſtra profectum, imperium in urbe Lucretio Præfecto urbis,

bis, jam ante ab Rege inſtituto, reliquiſſe. Et paulo poſt: *Duo Conſules inde comitiis centuriatis a Præfecto urbis ex commentariis Servii Tulli creati ſunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.* Prætoribus vero creatis, qui, avocatis bello Conſulibus, in urbe jus redderent, in tantum Præfecti urbi creari deſierunt, ut tantum, quemadmodum ſtatim ex Tacito allegavimus, ſimulacrum quoddam feriarum Latinarum ſit relictum.

Feriarum Latinarum cauſa introductus eſt.] Harum Latinarum feriarum crebro fit apud Livium mentio. Primo eas Rex Superbus inſtituit, eam potiſſimum ob cauſam, ut, quemadmodum Latini rerum publicarum cauſa ad lucum Ferentinæ convenirent, ſic ſacrorum gratia in monte Albano cogerentur. Fuit autem locus, ut tradit Dionyſius, in monte Albano, ubi populus Romanus & Latini fœderati convocabantur, ut Jovi Latiali communi conſenſu facerent ſacrificium; cumque eorum alii agnos, alii caſeum, alii lac, alii alia domo attuliſſent, tauro immolato, ſuam quiſque carnis partem acciperent, hoc ſolenne *Latiar* appellatum, ad extrema uſque Reipub. tempora eſt conſervatum. Neque enim ante Conſules exire paludati in provincias conſueverant, quam ferias Latinas indixiſſent, atque iis in monte Albano cum Latinarum civitatum Magiſtratibus operam dediſſent. Hinc eſt quod ſcribit Livius *lib. 5. cap. 17. Latinas ferias inſtauratas, quod legati ab Ardea queſti in Senatu eſſent, ſibi in monte Albano Latinis, carnem, ut aſſolet, datam non eſſe.* Et *lib.* 37. *Latinas inſtauratas, quod Laurentibus caro, quæ dari debet, data non erat.* His autem feriis dicavit unum diem Superbus, quo tempore devicit Etruriam. Exactis vero Regibus & alter adjectus eſt, ob libertatem adeptam; poſtea vero tertius acceſſit, ob plebis, quæ ſeceſſerat, reditum. Anno demum urbis 396. compoſita, quæ diu civitatem turbaverat, de plebejo Conſulatu ſeditione, quartus additus Cum autem hoc feriarum tempore, ex urbe primores civitatis cæterique Magiſtratus abeſſe debebant, & pars populi numeroſior ſacra hæc vetuſto ritu in montem Albanum factura una cum Magiſtratibus conſcendebant, ne interim urbs ſine imperio foret, hic

Magiſtratus creari cœptus videtur, qui munus ſuum exerceret per eos dies, quibus feriarum cauſa abeſſent Magiſtratus. Coraſ. *in comment. ad tit. de offic. Præfect. urb.* qui dies, quia pauci cumprimis erant, & interim a negotiis civilibus abſtinebatur, religionis potius cauſa conſtitutus cenſeri poteſt, ad ſedandos tumultus, & continendos tantiſper in officio cives, quo reſpectu eum jus convocandi Senatum habuiſſe ex Gell. *lib.* 14. *cap. ult.* cenſet Frantzius in *comment. ad h. t.* Hunc vero Magiſtratum ab Auguſto valde auctum atque ornatum fuiſſe, ex veterum monumentorum auctoribus perſpici poteſt, cujus poſtea in immenſum crevit auctoritas. Hinc Mæcenatis apud Dion. *lib.* 52. *Oratio: Præfectus etiam urbis ex primariis viris quidam creandus eſt: qui omnes Magiſtratus, quos geri ante hunc convenit, geſſerit, non ut per abſentiam Magiſtratuum Rempublicam adminiſtret: ſed ut cum reliquis in rebus urbi præſit, tum cauſas quoque eas, a quibus provocatio competit, capitaleſque etiam omnes, exceptis iis, quas poſt dicam, in urbe, ac extra urbem uſque ad LXXXI. millia paſſuum dijudicet.* Quare apud Euſeb. *Olymp. CLXXXVIII. Meſſala Corvinus primus Præfectus urbis factus; ſexto die Magiſtratu ſe abdicavit, incivilem poteſtatem eſſe conteſtans.* Id eſt, immodicam, quam habere non decebat civem. Imo in tantum proceſſit, ut Nero cognitionibus Præfecturæ urbis, honoris initia auſpicaretur. Suet. *in Nerone cap.* 7. Et ut ſupr. ex Tacito deſcripſimus, Piſo viginti annis præfecturam urbis, velut inſtar magni muneris, gerere non dubitavit. Extatque Divi Severi epiſtola ad Fabium Chilonem Præfectum urbi, quæ magnam ei Juriſdictionem dedit, ita ut omnia omnino crimina, nec tantum ea, quæ intra urbem, verum ea quoque, quæ extra urbem intra Italiam admittuntur, ſibi vindicaret. Hinc Caſſiod. *lib.* 6. *Dictioni tuæ non ſolum Roma commiſſa eſt (quamvis in illa contineantur univerſa) verum etiam intra centeſimam poteſtatem te protendere antiqua jura voluerunt, ne tantæ civitatis judicem muralis agger includeret, cum Romæ omnia poſſideret.* Quod autem dicitur Præfectum *l. fin. ff. de præfect. urb.* extra urbem, id eſt, extra centeſimum ab illa lapidem, & conſequenter extra terminum ſuæ poteſtatis ſive juriſdictionis conſtitutum jubere judicire,

care, hoc interpretamur, quod non quidem ipſe exerceat extra illum terminum juriſdictionem aliquam, verum quod judicem dare poſſit, qui intra centeſimum ab urbe lapidem judicat, in ſuo territorio, & intra juriſdictionis terminos. Alioqui poſſet ei impune non pareri: *l. fin. ff. de juriſd.* Vel uti gloſſa, legendum *nec extra urbem*, aut potius dicendum eſt, terminos urbis in *d. l. fin. ex l. 2. ff. de V. S.* non de centeſimo lapide, ſed ædificiis urbis, quibus urbs Roma finitur, accipiendos eſſe, ſenſumque eſſe, Præfectum urbis, quoties urbe excedit, non habere poteſtatem jus dicendi extra illius muros, ſicut nec Prætor habuit, licet de omni cauſa, quæ ad centeſimum uſque lapidem accidit, in urbe jus diceret, judicemque, qui extra urbem etiam judicat, dare poſſit: nam nec Proconſul, etſi ſtatim imperium habere incipiat, quo urbe exceſſit, antequam provinciam ingreſſus eſt, poteſtatem exercet. *l. 1. de offic. Proconſ.* Amplam itaque Præfectus urbi habebat poteſtatem atque juriſdictionem, omnium, ut diximus, criminum habebat cognitionem. Servos, qui ad ſtatuas confugerunt, vel ſua pecunia emptos, ut manumittantur, de dominis querentes audiet. Sed & patronos egentes de ſuis libertis audiet, & maxime ſi ægros ſe eſſe dicant, deſiderentque a libertis exhiberi: relegandi deportandique in inſulam, quam Imperator aſſignavit, licentiam habent. *l. 1. ff. de offic. Præfect. urb.* Solent quoque ad eum mitti tutores, qui male in tutela ſive cura verſati, graviori animadverſione indigent, quam ut ſufficiat eis ſuſpectorum infamia. *§. 7. ff. eod.* Cura carnis omnis ut juſto pretio præbeatur, ad officium Præfecti pertinet: & ideo forum ſuarium ſub ipſius cura eſt. Sed & cæterorum ſive pecorum, ſive armentorum, quod ad hujuſmodi præbitionem ſpectat, ad ipſius curam pertinent. *§. 11. ff. eod* Quies quoque populi, & diſciplina ſpectaculorum ad Præfecti urbi curam pertinere videtur: & ſane, debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam populi quietem, & ad referendum ſibi, quicquid in urbe agatur. *§. 12. ff eod.* Et diligenter curare, ne quid circa urbis cuſtodiam, aut munus vigiliarum ſegniter executum foret, quamobrem Cuſtos urbis vocatus eſt. Juven. *Satyr. 13. verſ. 157.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus urbis
Uſque a Lucifero, donec lux occidat, audit.

Fuit enim *Rutilius Gallicus* urbis Præfectus temporibus Domitiani: apud quem ſecundas dignitatis partes obtinuit, omniaque ad eum urbis jura ab aliis Magiſtratibus deferebantur. De quo etiam Statius *lib.* 1. *Sylv.* 4. *verſ.* 5.

- - - - Dubitataque Sydera cernit
Gallicus, es cœlo, Diis es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto ſpoliare miniſtro
Imperium fortuna tuum.

& *verſ.* 15.

Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.

Sed & Seneca & Joſephus Cuſtodem urbis appellant, quem Suet. *in Tiberio cap.* 41. Præfectum fuiſſe tradit. Ita enim inquit: *Poſtea Princeps in ipſa publicorum morum correctione cum Pompejo Flacco & L. Piſone noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit: quorum alteri Syriam Provinciam, alteri Præfecturam urbis confeſtim detulit, codicillis quoque jucundiſſimos, & omnium horarum amicos profeſſus.* De eodem Seneca *epiſt.* 83. *L. Piſo urbis cuſtos ebrius, ex quo ſemel factus fuit. Majorem partem noctis in convivio exigebat: uſque in horam ſextam fere dormiebat, hoc ejus matutinum. Officium tamen ſuum, quo tutela urbis continebatur, diligentiſſime adminiſtravit. Huic & Divus Auguſtus dedit ſecreta mandata, cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiſcens in Campaniam, cum multa in urbe & ſuſpecta relinqueret, & inviſa. Puto quia illi bene ceſſerat Piſonis ebrietas, poſtea Coſſum fecit urbis Præfectum, virum gravem, moderatum, ſed merſum vino & madentem.* Et Vell. *lib.* 2. de eodem ita inquit: *Atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accenſis, L. Piſonis, quem hodie diligentiſſimum atque eundem leniſſimum ſecuritatis urbanæ cuſtodem habemus, virtus compreſſit.* Plinius *Curatorem* urbis Præfectum appellat. Hanc vero dignita-

gnitatem interjecto tempore tam infimæ ſortis duxerunt, ut Heliogabalus, teſte Lampridio *in ejus vita*, voluerit per ſingulas urbes lenones Præfectos facere, & ut eſſent in urbe 14. & feciſſet, ſi vixiſſet, promoturus omnes turpiſſimos, & ultimæ profeſſionis homines.

Nam Præfectus annonæ & vigilum non ſunt Magiſtratus.] Annona dicitur quicquid ad alimoniam pertinet. Itaque annonæ Præfectus dicebatur, qui ejus curam gerebat, atque providebat, ne populus annonæ caritate & inopia premeretur, ut panis ubique copia eſſet, & ut audiret eos, qui deferrent ad eum, quæ ad utilitatem annonæ pertinebant. *l.* 13. *ff. de accuſ. l. fin. ad l. Jul. de annona.* Originem hujus Magiſtratus tradit Liv. *lib.* 4. *cap.* 12. ubi inquit: *Poſtremo pepulere plebei, haud adverſante Senatu, ut L. Minutius Præfectus annonæ crearetur; felicior in eo Magiſtratu ad cuſtodiam libertatis futurus, quam ad curationem miniſterii ſui: quamquam poſtremo annonæ quoque levatæ, haud immerito & gratiam & gloriam tulit.* Hujus Magiſtratus quoque mentionem facit Tacit. 1. *annal. cap.* 2. & 13. *annal. cap.* 21. Et de Pompejo annonæ Præfecto ita Appian. Alex. *de bel. civ. lib.* 2. *At populus Romanus fame preſſus, Pompejum annonæ præfecit, eique, ſicut prius in bello Piratico, viginti ex Senatu miniſtros addidit: quibus ille circa provincias dimiſſis, brevi urbem replevit omnigenis copiis rerum ad victum pertinentium: & hinc quoque auctus eſt tam gloria quam potentia.* Fuit autem hic Magiſtratus extraordinarius. Sæpius enim ut quæque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curam requirere videbantur, alii atque alii Magiſtratus creabantur. Poſtea ordinarium fecit Auguſtus, ut Suet. tradit *in ejus vita*, *cap.* 37. qui eum Curatorem frumenti populi dividundi vocat. *Quo plures*, inquit, *partem adminiſtrandæ Reipub. caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi &c.* Putat Caſaubonus in ſuis *animadverſionibus in Suet.* ad hunc locum, qui hanc curam ſuſtinebat, alio nomine dictum *Minutiæ Curatorem*, ut in lapide veteri inſculptum interpretatur: CURATOR. AQUARUM. ET. MINUTIÆ. CUR. ALBEI.

Digitized by Google

TYBERIS. ET CLOACARUM. URBIS. Verum obſervandum, hanc curationem, quam præfecturam vocamus, cum illis Curatoribus, qui ex SC. in provincias mittebantur, ad frumentum emendum, & comparatum ad urbem mittendum curabant, non confundendam. Quorum meminit Cic. ad Atticum *lib.* 15. *epiſt.* 9. ubi inquit: *III. Nonas veſperi à Balbo redditæ mihi litteræ, fore Nonis Senatum, ut Brutus in Aſia, Caſſius in Sicilia ad frumentum emendum, & ad urbem mittendum curarent.* Et Paulus JCtus in *l.* 21. *ff. ad Municipalem*, frumento comparando Curatoris conſtituti mentionem facit. Præfecto autem annonæ nihil aliud incumbebat, quam frumenti ad urbem ab iſtis Curatoribus miſſi diſtributio, atque diviſio, nec non curare, ut undique adveheretur, advectumque & in horrea publica transfuſum juſto pretio poſſet parari atque diſtribui. Imo ſi quid ultra proprios uſus aliquis poſſideret, in medium ponendum curabat, Feneſtella *lib.* 2. *cap.* 15. ita ut ſi quis uberes proventus expectando, fructus ſuos æquis pretiis vendere declinet, extraordinarium committeret crimen, *l.* 6. *ff. de extraord. crim.* Ita Seneca *de vitæ brevitate cap.* 19. *ad Paulinum: Simile tu putas eſſe, utrum cures, ut incorruptum a fraude advehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, & coaleſcat, ut ad menſuram ponduſque reſpondeat.* Hanc autem Præfecturæ dignitatem ſummi honoris loco habitam, ex Caſſiodoro conſtat, qui eam Præfecturæ urbi proximam facit. Unde & Pompejus magnus hanc ſibi delatam dignitatem non recuſavit. Verum ſeneſcente imperio Romano, viluiſſe quoque hoc annonæ curandæ munus, tradit Boëtius *de conſolatione lib.* 3. *Si quis* (inquit) *quondam populi curaſſet annonam, magnus habebatur. Nunc ea præfectura quid abjectius?* Magiſtratum tamen non eſſe, inquit Pomponius, proprie ſcilicet, ſumpto Magiſtratuum nomine pro iis, qui ordinariam habent & perpetuam in urbe jus dicendi poteſtatem. Cæterum non impedit, quo minus ſint Magiſtratus, ſcilicet extraordinarii, quemadmodum Dictator, & Magiſter equitum, quanquam enim hi erant extraordinarii, attamen inter Magiſtratus relati fuere. Vocantur enim Magi-

ſtratus

Digitized by Google

ſtratus poteſtates omnes, qui res humanas, quæ quidem ad Rempub. pertinent, publica auctoritate curant. Sig. *de antiq. jur. civ. Rom. cap.* 20. *lib.* 1. Quorum quatuor recenſentur jura, unum poſitum in imperando, alterum in jure dicendo, tertium in referendo, quartum in auſpicando. Magiſtratus alii majores; alii minores; iterum alii ordinarii, alii extraordinarii; illi centuriatis creabantur comitiis; hi extra ordinem in ſumma Reipub. neceſſitate, vel quando ejus utilitas id poſtulabat. Vide quæ annotavimus *ad §.* 4. *h. t.* Præfectum autem annonæ jus dixiſſe, oſtendit *l.* 13. *ff. de accuſat. l. fin. ff. ad l. Jul. de annona.* Ideoque merito præfectura dicitur Magiſtratus. Hinc quoque Onuphrius Præfectum annonæ annumerat Magiſtratui minori extraordinario. *lib.* 2. *de civit. Rom.* Idem dicendum de Præfecto vigilum, cui excubiæ urbis commiſſæ ſunt, & incumbit providere, ne incendia fiant, ſive delinquatur. Hinc omnes inquilinos admonere ſoliti erant, ne negligentia aliqua incendii caſus oriatur *l.* 3. *§.* 4. *ff. de offic. Præfect. vig.* Apud vetuſtiores incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agerent, nocturni dicti ſunt *l.* 1. *ff. eod. Hinc M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius Triumviri, quod ad incendium in ſacra via ortum extinguendum tardius venerant, a Trib. pleb. die dicta ad populum, damnati ſunt.* Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 1. Interveniebant quoque nonnunquam Ædiles & Tribuni plebis, *d. l.* 1. Deinde Auguſtus maluit per ſe huic rei conſuli, quamobrem hunc Magiſtratum inſtituit. Suet. *in Aug. cap.* 30. *Adverſus incendia excubias nocturnas commentus eſt.* Dio *lib.* 55. ad annum 759. *Quumque eo tempore multa in urbe incendiis eſſent vaſtata, libertinos ſeptem locis ad ea curanda conſtituit, equitem eis præfecit: quos, etſi haud diu id officium gerere pati ſtatuerat, tamen re ipſa expertus utiliſſimum ac maxime neceſſarium eſſe eorum munus, perdurare juſſit. Suntque noſtra etiam ætate nocturni hi cuſtodes, non ex libertinis tantum, ſed ex aliis etiam militibus: muroſque in urbe tenent, & mercedem publice accipiunt.* Nam ut inquit Strabo *lib.* 5. *Continentes Romæ ſubſtructiones fiunt ob crebras ruinas, incendia, aſſiduaſque venditiones &c.* Erant autem ſeptem cohortes Præfecti vigilum e liber-

Digitized by Google

libertinis conſcriptæ; quos, ut annotavit Caſaub. *ad d. l. Suet. in Auguſt. cap.* 30. alii milites per comtemptum vocabant *Sparteolos*, ut opinor, inquit, a funibus, quorum multus uſus in reſtinguendis incendiis: vel a Sparteis tunicis, quibus erant amicti. Quemadmodum eos vocat vetus Juvenalis Scholiaſtes ad hæc verba ex *lib.* 5. *Sat.* 14. *verſ.* 305.

Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet.

Ad quæ verba, *Diſpoſitis prædives hamis, per tranſlationem*, inquit, *diſciplinæ militaris, Sparteoli Romæ, quorum cohortes in tutelam urbis cum hamis & cum aqua vigilias cenſuerunt curare vicibus.* Hamæ, Turneb. intelligit de vaſis aquariis rotundioris figuræ, & ventris globoſioris, quibus ad incendia reſtinguenda utebantur. Unde illud Juvenalis interpretatur de homine incendium metuente, & vaſa aquaria contra incendium parata habente. *lib.* 2. *cap.* 29. Et *lib.* 19. *cap.* 23. *adverſ.* adfert ad eam rem Columellam. *lib.* 17. de cucurbita ſic loquentem:

- - - - Sive globoſi
Corporis, atque utero nimium quæ vaſta tumeſcit;
Ventre leges medio: Sobolem dabit ille capacem
Naryciæ picis, aut Actæi mellis hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

Alii interpretantur de inſtrumentis, quibus diſturbantur ædificia, a ſimilitudine hamorum, ſicque uſurpatur in *l.* 3. *§.* 3. *ff. de præfecto vigil. Sciendum eſt autem, Præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coërrare calciatum cum hamis & dolabris.* Cato de *re Ruſtica cap.* 133. in ruſticis inſtrumentis recenſet hamum. In *l.* 12. *§.* 21. *ff. de inſtrum. leg.* 1. *Canales, Harpagones,* & *Hamos* inſtrumento contineri inquit JCtus. Cognoſcebat autem Præfectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus *l.* 3. *ff. de Præfecto vigil.* niſi ſi quæ tam atrox, tamque famoſa perſona ſit, ut Præfecto urbi remittatur. Habuit vero jus fuſtium, flagellorum, virgarum *d. l.* 3. & in ſervos fugitivos *l. ult. ff. eod.*

Digitized by Google

eod. adverſus capſarios quoque, qui mercede ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, judex eſt conſtitutus *d. l.* 3. §. 5. In ſervum vero furem jus necis habuiſſe, videre eſt in *l. penult. ff. de condict. cauſ. dat.* aliter in graviora delicta ipſe non animadvertebat, ut ſtatim diximus, verum ad Præfectum urbi remittebat reum. Hinc in *l. unic. Cod. de Præfect. vig. Præfecti vigilum hujus urbis nihil de capitalibus cauſis ſua auctoritate ſtatuere debent: ſed ſi quid ejuſmodi evenerit, culmini tuæ poteſtatis referre*; ſcil Præfecti urbis, ut ex inſcriptione conſtat, *referre, ut de memoratis cauſis celſiore ſententia judicetur.*

Quos Ciſtiberes diximus.] Intelligit quinque viros, quos ſupra dixit cis & ultra Tiberim conſtitutos fuiſſe, qui, quamvis minores erant Magiſtratus, tamen poſtea cœperunt evehi ad Ædilitatem Curulem.

---

§. 34. *Ergo ex his omnibus, decem Tribuni plebis, Conſules duo, decem & octo Prætores, ſex Ædiles, in civitate jura reddebant.*

Ergo] Concludit hic Jctus hiſtoriam ſuam de Magiſtratibus ſcil. Urbanis Romæ conſtitutis, & ad ſua uſque tempora retentis. Quos omnes in civitate jura reddidiſſe tradit, ejuſmodi itaque qui juriſdictionem exercebant, actiones & judicia dabant, eaque omnia faciebant, quæ ad jus dicentis officium, quod latiſſimum eſt, pertinebant. *l.* 1. *ff. de juriſdict.*

---

§. 35. *Juris civilis ſcientiam plurimi & maximi viri profeſſi ſunt: ſed qui eorum maximæ dignationis apud populum Romanum fuerunt, (eorum) in præſentia mentio habenda eſt, ut appareat, à quibus & qualibus hæc jura orta, & tradita ſunt. Et quidem ex omnibus, qui ſcientiam nacti ſunt, ante* Tibe-

Digitized by Google

rium Coruncanium *publice profeſſum neminem traditur: ceteri autem ad hunc vel in latenti jus civile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus vacare potius, quam diſcere volentibus, ſe præſtabant.*

A Quibus & qualibus hæc jura orta & tradita ſunt.] Hæc Pomponii verba non ita intelligenda, quaſi illi viri, quos Juris civilis ſcientiam profeſſos tradit JCtus, juris & legum condendarum poteſtatem habuiſſent, quod ſolius ſummi imperantis eſt, verum vel eatenus ortum ab ipſis jus dicitur, quatenus quotidie in melius productum paulatim receptum eſt, quæ innovatio ſive ſuccedanea mutatio videtur quædam nova legumlatio, quæ ad juris peritos tanquam auctores & cauſam proximam hujus innovationis refertur; ideoque ab ipſis quaſi orta dicitur: vel pars hic ſumitur pro toto, & indigitatur jus, quod ſine ſcripto venit, & auctoritatem ſumebat a Prudentum ſolummodo eruditione & dignitate. Verum notandum, quanquam reſponſa Prudentium juris vim obtinuerint, illam tamen non ab auctoribus ſuis Juriſconſultis, verum ab ipſo Cæſare obtinuiſſe. Auguſtus enim Cæſar, cum vidiſſet iis juſtam deeſſe auctoritatem, primum edixit, ne quis ſola ſuorum ſtudiorum fretus fiducia, ſine Principis permiſſu de jure reſponderet. Deinde voluit, ut ii, quibus permitteret, publica & principali donarentur auctoritate.

Vel in latenti jus civile retinere cogitabant.] In occulto, penes ſe, ut olim teſtatur Liv. *lib.* 9. abditum fuiſſe jus in Pontificum penetralibus.

---

§. 36. *Fuit autem imprimis peritus* Publius Papirius, *qui leges Regias in unum contulit. Ab hoc* Appius Claudius, *unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in duodecim tabulis ſcribendis fuit. Poſt hunc* Appius Claudius *ejuſdem generis maximam ſcien-*

Digitized by Google

ſcientiam habuit: hic Centimanus *appellatus eſt, Appiam viam ſtravit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in urbe non recipiendo ſententiam tulit: hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum eſt: primum de uſurpationibus, qui liber non extat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe, R. literam invenit: ut pro Valeſii, Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furii.*

Fuit autem imprimis peritus Publius Papirius, qui leges Regias in unum contulit.] De eodem Papirio ſermonem habere videtur Pomponius in §. 2. *h t.* quamvis eidem Sexti prænomen tribuat: quippe cum ne quidem ipſi antiqui auctores de Papirii prænomine inter ſeſe convenerunt, mirum nobis videri non debet JCtum noſtrum, qui ex eorum monumentis, ſuam de juris Romani Hiſtoriam compoſuit, non adeo de eo ſibi quoque conſtitiſſe. Dionyſius & modo Cajum, modo Manium ſive Mamium Papyrium vocat. Putat Cujacius P. verius prænomen. Complures, ait, libros manu ſcriptos pro *Sexti*, habere hanc notam præſcriptam VI. quæ forte mendum peperit. An idem Pontifex Max. an vero Rex ſacrificulus fuerit, in incerto quoque. Hottomannus putat, eundem hunc noſtrum Papyrium fuiſſe, quem primum Regem ſacrificiorum creavere, virum quietis amantiſſimum, ut tradit Dionyſius. Verum cum idem auctor noſtro Papirio prænomen Caji tribuit, quem Regem autem fuiſſe ſcribit ſacrificiorum, Manium appellat, videtur diverſus Manius Papirius Rex ſacrorum primus poſt exactos Reges ab eo, quem leges Regias in unum contuliſſe tradit JCtus noſter. Quicquid ſit, certum eſſe videtur noſtrum Papirium floruiſſe Tarquinio Superbo regnante, & ſub initio libertatis Romanæ, eumque poſt liberatam ab importuna Tarquinii dominatione civitatem, leges Regias tam ſanctas quam profanas, quatenus novæ Reipub. formæ conveniebant, in uſum publicum deduxiſſe, atque uno comprehendiſſe volumine Quod jus civile Pa-

Papyrianum appellarunt. Imo quia, ut inquit JCtus noſter, §. 2. de ſuo nihil quicquam adjecit, ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit. Ræward. *lib.* 1. *cap.* 1. *de auctoritate prudent.* jus Papiſianum & Sextum Papiſium rectius hic legi poſſe inquit, quam jus Papirianum, quam Sextum Papirium; & ut ſuam ſententiam vero conſentaneam probet, adducit locum Ciceronis *Epiſt. ad famil. lib.* 9. deſcriptum. Ubi ita Papirio Pæto ſcribit, *Epiſt.* 21. *Sed tamen, mi Pæte, quid tibi venit in mentem negare, Papirium quemquam, niſi plebejum fuiſſe? fuerunt enim patricii minorum gentium*, (de quibus ad §. 9. *h. t.* quædam in chartam conjecimus) *quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante Cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt Romam conditam CCCXII. Sed tum Papiſii dicebamini. Poſt hunc, XIII. fuerunt ſella Curuli ante L. Papirium Craſſum, qui primum Papiſius eſt vocari deſitus.* Quemadmodum Valeſii & Fuſii, poſtea Valerii & Furii dicti fuere. Quinctil. *lib.* 1. Nihil autem difficultatis habet, quod Pomponius ſupra dicto §. 2. tradit, Papyrium illum, qui leges Regias variis temporibus latas, in unum corpus compoſitas divulgavit, vixiſſe quidem temporibus Superbi Regis, atque e principalibus fuiſſe viris: verum Superbum, cujus ibi mentionem facit, Demarathi Corinthii filium fuiſſe, & conſequenter longe ante exactos Reges Papirium noſtrum floruiſſe dicendum, in eo fallit. Ad dictum enim §. 2. errorem JCti noſtri demonſtravimus, & oſtendimus non Superbum, ſed Tarquinium Priſcum filium Demarathi Corinthii fuiſſe, ideoque Pomponium erraſſe in nomine. Verum hunc nodum diſſolvimus, dicendo Tarquinium Superbum non quidem fuiſſe Demarathi Corinthii filium, verum quia a Tarquinio Priſco genitus ejus nepos fuit, & conſequenter ſub generali verbo *filii* ſatis comprehendi potuit, juxta *l.* 84. *ff. de V. S.* ubi inquit JCtus: *Filiorum appellatione omnes liberos intelligi.* Ergo & nepotes; quippe quos appellatione liberorum contineri perſpicimus ex *l.* 220. *ff. eodem.* Vide plura ad dictum §. a nobis annotata. Cui accedit, quod Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 3. antiquitatum auctor diligentiſſimus, tradit in vita Anci Marcii, *eum commentarios*, *quos*

Digitized by Google

quos Numa Romanorum Rex de ſacris conſcriptos reliquerat, tranſcripſiſſe in tabulas, & in foro propoſuiſſe legendas quibuſlibet, quæ tandem (inquit) *vetuſtate ſunt abolitæ; nondum enim in uſu erant columnæ æreæ, ſed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quam ſacrorum ritus: quæ tabulæ poſt exactos Reges rurſum in publicum uſum revocatæ ſunt per ſummum Pontificem C. Papyrium.*

Ab hoc Appius Claudius, unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in duodecim tabulis ſcribendis fuit.] Claudia familia duplex fuit, patricia & plebeja, nec potentia tamen nec dignitate altera minor, unde Aſcon. in Cic. pro Scauro: *Fuerunt duæ familiæ Claudiæ: earum, quæ Marcellorum appellata eſt, plebeja: quæ Pulchrorum, patricia.* Et ipſe Cic. *lib.* 1. *de oratore: Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios Centumviri judicarunt? cum Marcelli ad liberti filios ſtirpe, Claudii patricii ejuſdem nominis hereditatem, gente ad ſe rediiſſe dicerent, nonne in ea cauſa fuit oratoribus de toto ſtirpis ac gentilitatis jure dicendum.* Utrum vero hæ familiæ, quemadmodum ejuſdem nominis, ita quoque ejuſdem originis fuerint, non adeo conſtat.

Notat Torrent. *ad Suet. in Tiberio cap.* 1. complures ejuſdem nominis, ac fortaſſis etiam originis familias eodem tempore & patricias & plebejas fuiſſe. Ut de Cornelia teſtatur Cicero 2. *de legibus*. Et de Papiria familia *lib.* 9 *Epiſt.* 21. Quod evenire certum erat, cum non tota gens aliqua, verum certa tantum ejus gentis familia vel a plebe tranſibat ad patricios, vel a patriciis ad plebem. Orta autem eſt hæc nobilis familia ab Regillis Sabinorum oppido, unde apud Tacitum *Annal.* 4. *Poſt Sabina nobilitas, Attus Clauſus, cæteræque Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur.* Ab hoc Atto ſive Appio Clauſo fuit propagata Appiorum familia, qui Regillis Romam recens conditam, cum magna clientum manu commigravit, auctore Tito Tatio conſorte Romuli. Suet. *in Tib. cap.* 2. Et Liv. *lib.* 2. *cap.* 16. *Seditio inter belli paciſque auctores orta in Sabinis, aliquantum inde virium tranſtulit ad Romanos. Namque Appius Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomen, cum pacis ipſe auctor a turbatoribus belli premere-*

tur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna clientium manu Romam transfugit. Quod accidit, ut tradit Suet. *in Tib.* ſexto fere poſt Reges exactos anno. Cui poſt ſuum adventum non civitas tantum data eſt, verum a patribus inter patres quoque lectus eſt. Liv. *dicto loco.* Atque paucis interjectis annis Conſulatum obtinuit. Deinceps procedente tempore, duodetriginta Conſulatus, Dictaturas quinque, Cenſuras ſeptem, Triumphos ſeptem, duas Ovationes hæc familia adepta eſt. Suet. *in Tib. d. l.* Ex illuſtri hac familia noſter Juriſperitus originem ducit, natus ex filio illius Appii Clauſi Regillani, quod cognomen & illi manſit, viro Conſulari, homine acri & plebi infeſto. Liv. *lib.* 2. *cap.* 56. Suæ vero familiæ gloriam magis afflixit, quam honeſtavit. Adoleſcens autem patri, cui diem dixerant Tribuni, ante judicii diem ſive inventa ſibi morte, ſive morbo, ſupremum diem obeunti, pietatem egregie præſtitit. *Prolato enim* (inquit Dionyſius *lib.* 9.) *in forum cadavere, filius ejus a Tribunis & Coſſ. petiit, ut quod inſtituto majorum in præſtantium virorum funere ſoleret fieri, ſibi quoque concionem de more cogere, & funebrem ſuper patre orationem habere permitterent. Tribuni vero, dum populus adhuc vocaretur a Conſulibus, obſtiterunt, ac denunciarunt adoleſcenti, ut cadaver e foro tolleret. Non tulit hoc populus, nec diſſimulavit hanc injuriam, ut inhonoratum corpus ejiceretur; ſed permiſit adoleſcentem patri extremum & moribus receptum honorem perſolvere.* Sic quoque Liv. *lib.* 9. *cap.* 61. *Ante tamen quam prædicta dies veniret, morbo moritur, cujus laudationem cum Tribuni plebis impedire conarentur, plebs fraudari ſolenni honore ſupremum diem tanti viri noluit: & laudationem tam æquis auribus mortui audivit, quam vivi accuſationem audiverat, & exequias frequens celebravit.* Poſtea cum anno trecenteſimo altero, quam condita Roma erat, iterum civitatis formæ mutandæ plebem cupido cepiſſet, a Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum a Regibus ante ad Conſules, imperium tranſlatum eſt. Decemviri itaque creati ſunt, quorum in numero legum potiſſimum creandarum cauſa Appius Claudius, de quo nobis ſermo; quia enim in eum annum Conſul deſignatus erat, pro honore ipſi honor reddebatur. Collegis quidem ſuis æqualis honore, verum pote-

poteſtate longe ſuperior; quippe apud quem, ut tradit Livius, *regimen totius Magiſtratus erat, favore plebis.* Initio Magiſtratus ſumma moderatione & æquitate uſus eſt in plebem, adeoque novum ſibi ingenium induerat, ut plebicola repente omniſque auræ popularis captator evaderet, pro truci ſævoque inſectatore plebis. Poſtquam vero decem tabulas legum confeciſſent Decemviri, eæque ingenti hominum exſpectatione eſſent propoſitæ, vulgatur rumor, duas deeſſe tabulas, quibus adjectis, abſolvi poſſet velut corpus omnis Romani juris. Quæ exſpectatio, cum dies comitiorum appropinquaret, deſiderium Decemviros creandi iterum fecit. In annum ſequentem eandem poteſtatem & dignitatem rurſus obtinuit. Atque tum demum detracta larva, ſuo vivere ingenio cœpit, ſuoſque collegas, priuſquam inirent Magiſtratus, in ſuos mores formare, ut omnia pro ſuo nutu & arbitrio adminiſtraret. Cum autem natura pronus eſſet ad vitia, multa crudeliter & libidinoſe, haud abnuentibus collegis, exequebatur, cujus argumentum ſatis erit exemplum intempeſtivi & ſcelerati amoris ejus, quo ardens L. Virginii filiam alteri deſponſatam ſtuprare conatus fuit, notaſſe ad §. 24 *h. t.* ad quem mitto lectorem. Hinc inquit Suet. *in Tib.* multa multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam ſecus in Rempub. admiſſa. Quorum in numero ponit illud Claudii Decemviri deteſtandum facinus, qui cum legibus ſcribendis & juſtitiæ adminiſtrandæ præerat, ipſum jus quaſi pedibus conculcavit, & fœdiſſime violavit, dum conatus eſt virginem ingenuam per vim, libidinis gratia, in ſervitutem aſſerere.

Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit. Hic Centimanus appellatus eſt.] Centimanum appellatum putat Antonius Faber *in ſuis rationalibus* ideo, quod plura feciſſet in Republica ornanda, quam ab uno homine fieri potuiſſe crederetur. Sed verius eſt, male Pomponium eum Centimanum appellare, illud enim cognomen Fabiæ, non Claudiæ gentis proprium fuiſſe, teſtis eſt Livius. Itaque pro *Centimanus Cæcus* potius legendum cum aliis viris doctis arbitror, evincit id ipſum JCtus Ulpianus *l. 1. §. 5. ff. de poſtulando, Appius denique Claudius Cæcus conſiliis publicis intererat, & in*

Senatu ſeveriſſimam dixit ſententiam de Pyrrhi captivitate. Hoc eodem nomine eum Suet. *in Tib.* appellat, cum inquit, *Sed ut præcipua commemorem, Appius Cæcus ſocietatem cum Rege Pyrrho, ut parum ſalubrem, iniri diſſuaſit.* Ita quoque Verr. in Faſtis, atque Appianus in Samniticæ Hiſtoriæ fragmentis. Craſſus primum deinde Cæcus appellatus eſt. Frontinus *de aquæductibus.* Cenſor fuit anno U. C. 441. L. Papirio Curſore 5. & C. Junio Bubulco 2. Coſſ. collega ei datus C. Plautius, vel ut alii volunt, L. Claudius, qui Venox cognominatus eſt, ob inquiſitas aquæ venas. Quamquam clara admodum fuit ejus Cenſura ob multa quæ fecit præclara opera, tamen Senatorium ampliſſimum ordinem fœde inquinavit, allegendo in Senatum libertinorum filios. Suet. *in Claud. cap.* 24. quam Senatus lectionem infamem & invidioſam vocat, Liv. *lib.* 9. *cap.* 29 quamobrem collega Appii ſeſe Magiſtratu abdicans, ſolus cætera perfecit, quo contigit, ut feliciorem ad poſteros tranſmiſerit ſui memoriam.

Appiam viam ſtravit.] Sic enim Liv. *dict. loc. Memoriæ tamen felicioris ad poſteros nomen Appii, quod viam munivit, & aquam in urbem duxit*: id eſt, lapidibus ſtravit. Ita quoque Cic. *pro Cælio: Appius Claudius pacem Pyrrhi diremit, aquam adduxit, viam munivit.* Et *pro Milone: Hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur perinde, quaſi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur.* Ab auctore vero, Appia denominata eſt, cujus quoque fit mentio *in l.* 41. *§.* 5. *ff. de legat.* 3. ubi, *Concubinæ inter cætera his verbis legaverat: Fundum in Appia cum villico ſuo contubernali ejus & filiis dari volo.* Incipit autem a porta Capena, ea latitudine, ut plauſtra duo ex adverſo ſibi occurrentia libere exciperet. Quam viam Cæſar Dictator vel exornavit vel reſtituit. Commiſſa dehinc illi Appiæ viæ cura, ingentes prodegit pecunias. Noviſſime vero Trajanus eam reſtituit, & Brunduſium uſque ſtravit. Marlianus in urbis Romæ Typographia *lib.* 7. *cap.* 17.

Et aquam Claudiam induxit.] Quod & Livius teſtatur loco ſtatim allegato, Anienem nimir. ut videre eſt apud Plin. *cap.* 34. *de viris illuſtr.* Unde hæc quoque ab auctore aqua Claudia

Digitized by Google

dia dicta eſt. Quæ alias Appia vocari ſolet, fortaſſe ad differentiam aquæ, quam Claudius Cæſar in urbem induxit. Ait Marlian. *lib.* 4. *cap.* 21. *Omnium autem primum Appium Claudium ex agro Lucullano arcuato opere deduxiſſe aquam, ab eodem auctore literis traditur. Qui novem ſolum aquas ſuo tempore in urbem fluxiſſe ſic commemorat. Nunc autem in urbem influunt Appia, Anio vetus, Martia, Tepula, Julia, Virgo, Alſietina, quæ eadem vocatur Auguſta, Claudia, Anio novus.*

Et de Pyrrho in urbe non recipiendo ſententiam tulit.] De eo Cic. *cap.* 6. *de Senect. Ad Appii Claudii ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is cum ſententia Senatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:*

Quæ vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant,
Ante hac, dementes ſeſe flexere via?

cæteraque graviſſime: notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appii extat oratio. Atque hanc egit ille ſeptem & decem annos poſt alterum Conſulatum: cum inter duos Conſulatus anni decem interfuiſſent, Cenſorque ante Conſulatum ſuperiorem fuiſſet: Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem ſane fuiſſe: & tamen ſic a patribus accepimus. Sic quoque *in Bruto*: *Poſſumus Appium Claudium ſuſpicari diſertum; quia Senatum jam jam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit.* Et Valer. Max. *cap.* 13. *lib.* 8. tradit, Appium jam feſſum vivendo, ſe in Curiam lectica deferri juſſiſſe, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Et Liv. *Epitom.* 13. memoriæ prodidit, Cyneam legatum a Pyrrho ad Senatum miſſum, petiiſſe, ut componendæ pacis cauſa Rex in urbem reciperetur, de qua re cum ad frequentiorem Senatum referri placuiſſet, Ap. Claudium, qui propter invaletudinem oculorum, jam diu a publicis conſiliis abſtinuerat, veniſſe in curiam, & ſententia ſua tenuiſſe, ut id Pyrrho negaretur. Unde Ovid. *in* 6. *Faſt.*

Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit; lumine captus erat.

Ulpianus JCtus *in l.* 1. *§.* 5. inquit, Appium Claudium Cæ-

cum cum conſiliis publicis intereſſet, in Senatu ſeveriſſimam dixiſſe ſententiam de Pyrrhi captivis.

Hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum eſt, primum de uſurpationibus, qui liber non extat.] Scil. libellum illum compoſuiſſe de actionibus legitimis, quem Enæum Flavium ſcribam ejus ſurripuiſſe & populo dediſſe, ſupra ad §. 7. annotavimus, a quo dictum jus Flavianum, quod multo juſtius Appianum vel Claudianum dici debuiſſet. Fab. *in Rational. ad h. t.* Præterea de uſurpationibus ſcripſiſſe eum, refert Pomponius; verum hunc librum ſua ætate deſiderari refert. Eſt autem uſurpatio legis actio, qua uſucapio interrumpitur. Si enim id quod poſſideo, necdum tamen uſucepi, ab aliquo ſolenniter uſurpetur, ſive apprehendatur, is, ſi ejus rei dominus eſt, poſſeſſionem meam ſua uſurpatione interrumpit. Nulla enim uſucapio procedit, ubi continuatio poſſeſſionis deeſt; atqui uſurpatio eſt poſſeſſionis interruptio, ergo uſucapionem impedit, quia continuationem poſſeſſionis tollit. Scribit Cic. pro Cecinna: *Legem in l. XII. tab. jubere uſum & auctoritatem fundi eſſe biennii.* Idem *in Topicis* ſcribit, ex eadem lege *uſum & auctoritatem fundi eſſe biennii: ceterarum rerum uſum eſſe annuum.* Ex quibus perſpicimus, duo ea lege contineri, ſine quibus nulla procedat uſucapio, ſcil. poſſeſſio, quam uſum vocat Cicero, & tempus: & quidem ejuſmodi poſſeſſio, quæ continua eſt, non interrupta, nulla interveniente uſurpatione. Ita enim JCti notant, *uſurpare* in legibus non *uti*, in quo ſenſu apud oratores occurrit, verum idem eſſe, quod alterius poſſeſſionem interrumpere, ſuamque retinere & confirmare. Hinc Paulus *in l. 2. ff. de uſurpation. Uſurpatio eſt uſucapionis interruptio. Oratores autem uſurpationem frequentem uſum vocant.*

Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe R. literam invenit: ut pro Valeſii, Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furii] Videtur hic locus quodammodo corruptus; quippe videntur ea verba *ab hoc proceſſiſſe* ad tertium aliquem Appium pertinere, qui a ſecundo proceſſit, & tamen eundem eſſe ait JCtus: verum quid ſibi velit Pomponius, mihi non conſtat. Alii, qui Appio Cæco hanc literæ mutationem tribui non poſſe ſibi perſuadent, pro *Idem, Item*, vel *Inde* legunt. Paulo ante ex Epi-

Epiſtola Ciceronis *ad famil.* annotavimus, L. Papirium Craſſum, primum Papiſium vocatum fuiſſe. Unde Varro de *ling. Lat. lib.* 6. *In multis* (inquit) *verbis, in quo antiqui dicebant S. poſtra dixerunt R. ut in carmine Saliorum ſunt hæc Coſaullæ; doloſi, eſo.* Sic arboſem pro arbore antiqui dicebant, & roboſe pro robore. Feſt. *lib.* 1. Sic *Aſa, Neſvo, Caſmen*, pro *Ara, Nervo, Carmen*. Sic *Fenoſe unciaſio*, pro *fænore unciario: Araſit, vocaſit, ſecueſit*, pro *Ararit, Vocarit, Secuerit*. Lipſius *de vetere ſcriptura*. Et Quinctil. *l.* 1. *c.* 4. *Nam* (ait) *Valeſii & Fuſii, in Valerios Furioſque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam, & clamios ac laſes ejus ætatis fuerunt.* Ad hanc ſcripturæ mutationem alluſiſſe videtur Martialis *lib.* 6. *Epigram.* 17.

Cui nam, Cinnane, te jubes vocari;
Non eſt hic, rogo, Cinna, Barbariſmus:
Tu ſi Furius ante dictus eſſes,
Fur iſta ratione diceréris.

---

§. 37. *Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ* Sempronius, *quem populus Romanus* σοφὸν, *id eſt*, ſapientem *appellavit: nec quiſquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt.* Gajus Scipio Naſica, *qui optimus à Senatu appellatus eſt: cui etiam publice domus in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet. Deinde* Quintus Mucius, *qui ad Carthaginienſes miſſus Legatus, cum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato, utram vellet, referret Romam, utramque ſuſtulit, & ait, Carthaginienſes petere debere, utram mallent accipere.*

Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius, *quem populus Romanus* σοφὸν, *id eſt*, ſapientem *appellavit: nec quiſquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt.*] Vixit hic P. Sem-

Sempronius non poſt Appium, verum eodem tempore, quo Appius cenſura fungebatur. Genere plebejus, unde cum Tribunus plebis eſſet creatus, ſenſit eum Appius acrem adverſarium; vehementer enim contra finiendæ intra legitimum tempus cenſuræ actionem ſuſcepit ex lege Æmilia, non popularem magis quam juſtam. Extat graviſſima & acerbiſſima ejus in Appium oratio apud Liv. *l.* 9 *c.* 34. Poſtea & ipſe Conſulatum obtinuit anno U. C. 449. ut ex Faſtis Conſularibus perſpicimus, vid. Liv. *l.* 9. *c.* 45. Primus e plebe Pontifex creatus fuit, & paulo poſt cenſuram quoque obtinuit, Liv. *lib.* 10. *cap.* 9 neque poſt hoſce geſtos ſummos honores, præturam aſpernatus eſt. Eum σοφὸν, id eſt, ſapientem Populum Romanum appellaſſe, tradit Jctus, propter ſummam, qua præditus erat, ſapientiam ſive juriſprudentiam; ea enim nihil niſi civilis ſapientia eſt *l.* 1. *§.* 5. *ff de extraord. cognit.* Sane Juſtinianus, quos prudentes dicimus, Σοφὸς Græce vocat. Quod cognomen ipſi ſoli tantum dederunt, ita ut poſt eum nec ante quiſquam hoc nomine cognominatus ſit. Nec obſtat quod paulo infra Pomponius teſtatur, Publium Attilium primum a populo ſapientem, id eſt σοφὸν, appellatum fuiſſe, & conſequenter plures fuiſſe, quibus hoc cognomen a populo Romano datum. Quippe etiamſi σοφὸς ſapientem ſignificat, attamen hæ voces nominis ſono a ſe invicem differunt, & major dignitas Græca quam Latina ſapienris appellatione contineri videtur. Unde nunquam Attilius σοφὸς, neque Sempronius ſapiens dictus fuit: Videtur hoc cognomen hujus familiæ fuiſſe proprium; unde M. Sempronii Sophi fit mentio apud Liv. *Epitom.* 18. hujus procul dubio filius. Quæ familiarum nomina ſicuti & locorum quacunque lingua retinentur ſæpiſſime, nec per interpretationem in aliam linguam transfunduntur. Inter Romanæ ſeveritatis exempla eundem ponit Valer. Max. *l.* 6. *c.* 3. *n.* 12. eo quod conjugem repudiaverit, quia ignorante ſe ludos ſpectaverat. *Jungendus* (inquit) *eſt his P. Sempronius Sophus, qui conjugem repudii nota affecit, nihil aliud quam ſe ignorante ludos auſam ſpectare.* Cujuſmodi repudii cauſam interjecto tempore ab Impp. Theodoſiano & Juſtiniano approbatam, videre eſt *in l.* 8. *§.* 3. *Cod. de repud.* ubi prohibetur, ne

ne maritus ullo modo jugalem ſuam expellat, niſi adulteram vel veneficam &c. vel ipſo invito ſine juſta & probabili cauſa foris ſcilicet pernoctaverit, vel circenſibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis, in ipſis locis, in quibus hæc adſolent celebrari, marito prohibente vel ignorante, interfuerit. Tunc enim, inquit Imperator, neceſſario ei diſcedendi permittimus facultatem, & cauſas diſſidii legibus comprobare.

Gajus Scipio Naſica.] Errat hic Pomponius in prænomine, non Gajus enim, verum P. Scipio Naſica dictus fuit. Ortus patre Cn. Scipione Calvo, qui Conſul cum Marcello fuit; atque in Hiſpania cum fratre P. Scipione, Africani patre Punicis inſidiis interemptus eſt. Quapropter Livius fratres patrueles hunc & Africanum vocat.

Qui Optimus a Senatu appellatus eſt.] Sic quoque Plin. *lib.* 7. *c.* 34. *Vir optimus* (inquit) *ſemel a condito ævo judicatus eſt Scipio Naſica, a jurato Senatu.* Et Liv. *lib.* 29. *cap.* 14. *P. Scipionem, Cn. filium, ejus qui in Hiſpania ceciderat, adoleſcentem nondum quæſtorium, judicaverunt in tota civitate virum optimum eſſe.* Idemque teſtatur Solinus *cap.* 7. *Vir optimus Naſica Scipio judicatus eſt, non privato tantum teſtimonio, ſed totius Senatus ſacramento.* Cum bello Punico ſecundo, a Decemviris librorum Sybillinorum carmen inter Sybillina eſſet inventum, fore ut hoſtes ex Italia pellerentur, ſi mater Idæa Peſſinunte, civitate Phrygiæ Romam advecta eſſet: legati itaque ad Regem Attalum miſſi, qui ea tempeſtate ibi regnabat, ut Senatus populique nomine Deam ab eo peterent. In via legatis Delphicum Apollinem conſulentibus, ecquid ſpei habere poſſent de impetranda matre a Rege Attalo? Reſponſum ab oraculo traditum, impetraturos ſe a Rege quod peterent, modo curarent, cum Deam Romam attuliſſent, ut à viro optimo totius civitatis acciperetur. Cum igitur legati impetraſſent quod petiiſſent, Deam Romam apportari eamque Tarracinæ jam eſſe, recens nuncius adeſſet, haud parvæ rei judicium Senatum tenebat, qui vir optimus in civitate eſſet, P. Scipionem adoleſcentem nondum quæſtorium, judicaverunt virum in tota civitate optimum eſſe: ita-

que cum omnibus matronis Oſtium obviam ire Deæ juſſus eſt: iſque eam de navi accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis. Idem teſtatur Valer. *lib.* 8. *cap.* 25. cum inquit: *Rarum ſpecimen honoris a Scipione quoque Naſica oboritur: ejus namque manibus & penatibus nondum quæſtorii, Senatus Pythii Apollinis monitu, Peſſinunte arceſſitam Deam excipi voluit: quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc miniſteria Matri Deum a ſanctiſſimo viro præſtarentur.* Et Cic. de Haruſpicum reſponſis: *Sacra iſta noſtri majores adſcita ex Phrygia Romæ collocarunt: quæ vir is accepit, qui eſt optimus a P. R. judicatus P. Scipio, fœmina autem, quæ matronarum caſtiſſima putabatur Q. Claudia.* Hinc apud Ovid. *lib.* 4. *Faſt. verſ.* 260.

Mater abeſt; Matrem jubeo, Romane requiras.
Cum veniet, caſta eſt accipienda manu.

Et *verſ.* 347.

Naſica accepit: templi tunc extitit auctor.
Auguſtus nunc eſt: ante Metellus erat.

Pluraque ibi Poëta. Prætor creatus anno 559. & Hiſpaniam ulteriorem ſortitus trans Iberum multa ſecunda prælia fecit, quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt; adeo ut Hiſpaniam citeriorem quoque, ne tota rebellaret, ſuſpenſam tenuerit. Idem mox Proprætor Luſitanos pervaſtata ulteriori provincia cum ingenti præda domum redeuntes, in ipſo itinere aggreſſus eſt, cum diu incerto eventu pugnatum erat, in eo diſcrimine conſtitutus, vovit ludos Jovi, ſi fudiſſet cecidiſſetque hoſtes: tandem gradum acrius intulere Romani, ceſſitque Luſitanus, deinde prorſus terga dedit: & cum inſtitiſſent fugientibus victores, ad duodecim millia hoſtium ſunt cæſa, capti quingenti quadraginta, omneſque ferme equites, & ſigna militaria capta centum triginta quatuor. Liv. *lib.* 35. *in princip.* Quibus rebus feliciter geſtis Romam reverſus, in maximo Conſulatus ambitu, competitore ex Patriciis L. Quintio Flaminio, & C. Manlio Volſone

ſone in campum deſcendit, verum repulſam tulit. Quanquam tantum præjudicium Senatus pro ſe haberet, quo optimus in civitate vir judicatus erat, qui matrem Idæam Peſſinunte venientem in urbem acciperet, obtinere tamen non potuit ut competitori præferretur; quamvis ducebat eum Africanus, quamvis idem comitia habebat. Liv. *l.* 35. *c.* 10. In ſequentem tamen annum U. C. 562. Conſulatum obtinuit, cæteriſque competitoribus prælatus eſt, ut teſtatur Liv. *lib.* 35. *cap.* 24. ubi inquit: *Eo quoque anno magna ambitio fuit: quod patricii tres in unum locum petierunt. P. Cornelius Cn. F. Scipio, qui priore anno repulſam tulerat: & L. Cornelius Scipio, & Cn. Manlius Volſo. P. Scipioni ut dilatum viro tali, non negatum honorem appareret, Conſulatus datus eſt.*

Additus ei de plebe collega M. Acilius Glabrio.] Conſules inito Magiſtratu, patres, priuſquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hoſtiis juſſerunt in omnibus fanis, in quibus lectiſternium in majorem partem anni fieri ſolet, precarique, quod Senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res Senatui populoque Romano bene ac feliciter eveniret. Quibus peractis Senatus decrevit, ut Conſules Italiam & Græciam ſortirentur. Cui Italia eveniſſet Provincia, cum Bojis juſſus bellum gerere, Acilioque Græcia, Cornelio Italia evenit. Itaque cum exercitu in Bojos profectus ſignis cum iis collatis egregie pugnavit. Duo detriginta millibus hoſtium cæſis, captis tribus millibus & quadringentis, magnamque hanc fuiſſe victoriam apparet, quod & caſtra capta ſint, & Boji poſt eam pugnam extemplo dediderint ſeſe, & quod ſupplicatio ejus victoriæ cauſa decreta ab Senatu, victimæ majores cæſæ. Quamobrem triumphum egit Conſul univerſo conſentiente Senatu, nequicquam obnitente Tribuno plebis P. Sempronio Blæſo. In quo triumpho Gallicis carpentis arma ſignaque, & ſpolia omnis generis tranſvexit, & vaſa ænea Gallica: & cum captivis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit: auri quoque atque argenti infecti factique magna vis fuit. Liv. *lib.* 35. *cap.* 38. & 40.

Cui etiam publice domus in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet.] Sacra via dicta, quia per eam Augures ex ar-

ce profecti ſolebant inaugurari, ſacraque quotquot menſibus in arcem ferre, ſecundum Varronem. Sex. autem Pomp. ſacræ ideo obtinuiſſe nomen tradit, quod in ea fœdus ictum ſit inter Romulum & Tatium. In hac via Scipioni domum datam tradit Jctus noſter, ut eo ſcil. facilius poſſet conſuli, tanto ſemper in pretio olim Juriſperiti habiti fuere apud Romanos, exiſtimantes maxime intereſſe Reipub. ut in ea ſint prudentes, qui de jure conſuli & reſpondere poſſent. Quorum domus, ut inquit Cicero, quaſi *oraculum totius civitatis eſt*. Verum non adeo certum eſt, an iſte honos ad noſtrum Scipionem, quam ejus filium potius pertineat, propterea quod ea, quæ de Scipionis juriſperitia auctores prædicant, ad hujus, quem auctor noſter laudat, filium P. Scipionem Naſicam, quem Corculum appellarunt veteres, referenda videantur. Cum is dignior fuit, qui in ordinem Juriſconſultorum referatur. Quod videtur affirmare auctor de viris Illuſtribus, dum ait: *Eloquentia primus, juris ſcientia conſultiſſimus; ingenio ſapientiſſimus, unde vulgo Corculus dictus.*

Deinde Quintus Mucius, qui ad &c.] Pro Mucio hic reponendum Q. Fabius; hic enim revera fuit hujus legationis princeps, de eo ita Gell. *lib.* 10. *cap.* 27. *Quod Q. Fabius Imperator Romanus dedit ad Carthaginienſes epiſtolam, ubi ſcriptum fuit, Po. Ro. miſiſſe ad eos haſtam & caduceum ſigna duo belli ac pacis: ex quibus utrum vellent, eligerent: quod elegiſſent, id unum ut eſſe miſſum exiſtimarent. Carthaginienſes reſponderunt, neutrum ſeſe eligere. Sed poſſe quia attuliſſent utrum mallent relinquere, quod reliquiſſent, id ſibi pro electo futurum. M. Varro autem non haſtam ipſam, neque ipſum caduceum miſſa dicit: ſed duas teſſerulas; in quarum altera caduceum, in altera ſimulacra haſtæ fuerunt inciſa.* Q. Fabium hanc ſuſcepiſſe legationem teſtatur quoque Liv. *lib.* 21. *cap.* 18. Eumque ſinu ex toga facto dixiſſe, *hic vobis bellum & pacem portamus: utrum placet, ſumite.* Ad hanc vocem haud minus ferociter, *daret utrum vellet*, ſucclamatum; & cum is iterum effuſo ſinu bellum dare dixiſſet, accipere ſe omnes reſponderunt: & quibus acciperent animis, iiſdem ſe geſturos. Male huic Quinto Fabio adjeciſſe Rutilium *de vitis veterum*

Ju-

Digitized by Google

Juriſconſultorum, cognomen Pamphilum annotavit Gulielm. Grotius *de vitis Juriſconſ. lib.* 1. *cap.* 2. fuit quidem in eadem legatione quidam Pamphilus, verum ei Q. Bœbius nomen fuit, ut Livius eum appellat, *lib.* 21. *cap.* 7. & 18.

§. 38. *Poſt hos fuit* Tiberius Coruncanius, *ut dixi, qui primus profiteri cœpit: cujus tamen ſcriptum nullum extat, ſed reſponſa complura & memorabilia ejus fuerunt. Deinde* Sextus Ælius, *& frater ejus* Publius Ælius, & Publius Atilius, *maximam ſcientiam in profitendo habuerunt: ut duo Ælii etiam Conſules fuerint. Attilius autem primus a populo* ſapiens *appellatus eſt. Sextum Ælium etiam Ennius laudavit; & exſtat illius liber, qui inſcribitur Tripertita, qui liber veluti cunabula juris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabularum præpoſita, jungitur interpretatio: dein ſubtexitur legis actio. Ejuſdem eſſe tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant ejuſdem eſſe. Hos ſectatus ad aliquid eſt* Cato. *Deinde* Marcus Cato *princeps Porciæ familiæ, cujus & libri exſtant: ſed plurimi filii ejus, ex quibus cæteri oriuntur.*

Poſt hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri cœpit: cujus tamen ſcriptum nullum extat, ſed reſponſa complura & memorabilia ejus fuerunt.] Alii Titum eum appellant, ſed verius Tiberium ejus prænomen fuiſſe, cum in vetuſtis libris ſcriptum ſit TIB. CORRUNCANUS. Tradunt autem Plutarchus & Probus TI. Tiberium ſignificare. Corruncanios autem Camerio oriundos eſſe teſtatur Tacitus in oratione Claudii Imperatoris pro civitate Gallo-

rum, ubi inquit: *Neque enim ignoro Julios Alba, Corruncanios Camerio, Porcios Tuſculo; Et ne vetera ſcrutemur, Etruria Lucaniaque & omni Italia in Senatum adſcitos.* Cicero quoque municipem fuiſſe dicit noſtrum Corruncanium, in *Oratione pro Sylla.* Hinc Tib. Corruncanius Camerinus dictus. Hæc autem familia non admodum illuſtris fuit, ſed obſcura, ex qua noſter natus, verum virtutis ergo Romæ per omnes honorum gradus evectus, ipſe ſuam familiam nobilitavit atque illuſtrem fecit. Anno U. C. 473. Conſulatum geſſit cum P. Valerio Lævino, ſub initio belli Tarentini, ut videre eſt apud Juſtin. *lib.* 18. *cap.* 1. Poſtea quingentis circiter ab urbe condita annis primus e plebe Pont. Max. creatus eſt. Hinc apud Vellej. Paterc. *lib.* 2 *cap.* 128. *Antiqui ante primum bellum Punicum abhinc annos CCC. Titum Corruncanium, hominem novum cum aliis honoribus, tum Pontificatu etiam maximo, ad principale extulere faſtigium &c.* Hunc autem ex Pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuiſſe ait Cic. *in Bruto.* Atque tanta fuiſſe ſapientia, ut ad eum de omnibus divinis atque humanis rebus referretur ſcribit 3 *de orat. Hæc* (inquit) *fuit Tib. Corruncani, hæc proavi generis mei Scipionis, prudentiſſimi hominis ſapientia, qui omnes Pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur.* Et in oratione *pro Domo, Prudentiſſimum Pontificem* eum appellat. Hic autem primus fuit, ut inquit Pomponius, qui publice juris ſcientiam profiteri cœpit, quæ olim in Pontificum penetralibus abdita erat, latebatque: attamen ſcriptum nullum reliquit, verum reſponſa complura & memorabilia ejus fuerunt. Meminit reſponſi cujuſdam Cicero 2. *de ll.* ubi ait placuiſſe P. Scævolæ & Corruncanio Pontificibus Maximis, eos qui tantundem cœpiſſent, quantum omnes hæredes, ſacris alligari. Memorabilia a Paulo Jcto memoralia dicuntur, quo nomine & libros quoque reliquit, ut teſtatur inſcriptio *l.* 144. *ff. de V. S.* Et ſic quoque apud Gellium memoralium libri conſtanter inſcribuntur *lib.* 6. *cap.* 7. *lib.* 5. *cap.* 6. Præpoſterum autem eſt, quod Pomponius Tib. Corruncanium, poſt Q. Fabium, & Scipionem Naſicam ponit, cum utroque fuerit multo antiquior, & ſexaginta pluſquam ante

Digitized by Google

ante annis ſuſceptam a Fabio ad Carthaginienſes legationem Conſul fuerit. Verum non accurate admodum Pomponius in recenſenda Juriſconſultorum ſucceſſione temporis ordinem obſervat, quod ei condonandum.

Deinde Sextus Ælius.] Æliorum gens, quæ, ut inquit Feſtus, ex multis familiis conficitur, primitus quidem plebeja, verum interjecto tempore illuſtris fuit: ita ut principes Romanæ civitatis cum ea matrimonia contrahere non recuſarint. Ex qua familia oriundus Sextus Ælius, magnum ei attulit decus & ornamentum: quem maximum Oratorem, maximumque Juriſconſultum prædicat Tullius in *Bruto.* Cum inquit: *Numeroque eodem fuit Sextus Ælius, juris quidem civilis omnium peritiſſimus, ſed etiam ad dicendum paratus.* De eo quædam annotavimus ad §. 7. *h. t.* quæ hic non repetemus. Conſul autem fuit cum Quintio Flaminio, anno ab urbe condita 555. Verum ambo præter ordinem Magiſtratuum Coſſ. creati ſunt: Quinctius ex Quæſtura multo ante geſta. Sex. Ælius ex Ædilitate Curuli, ſic ut neuter Præturam, & ille nec Ædilitatem attigerit, Phig. Annal. *lib.* 10. Ælio Italia, Quinctio Macedonia obtigit. Quorum ille nil memorabile geſſit. Sig. *in Faſt.* Huic Ælio *Cati* quoque cognomen adjiciunt, de quo vid. *dict.* §. 7. Multos de jure civili ſcripſit libros. Hinc *Jus Ælianum d.* §.

Extat præterea, ut inquit Jctus, illius liber, qui inſcribitur *Tripertita.* Qui liber veluti cunabula juris continet, ſcilicet prima initia & rudimenta. Tripertita autem dicitur, quoniam in lege XII. tabb. præpoſita jungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Hinc *interpretem antiquum.* eum vocat Tullius 2. *de ll.* Et Juſtinianus *juris antiqui conditorem. l.* 1. *cod. de comm. ſerv. manum.* Licet ſe non ſatis intelligere diceret, quid verbum *leſſum* in XII. tabb. ſignificat. In quibus ſcriptum: MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. Suſpicari tamen licet eſſe veſtimenti aliquod genus funebris. L. vero Ælius ejuſdem interpres, *Leſſum* quaſi lugubrem ejulationem interpretatus eſt. Quæ interpretatio vero magis videtur conſentanea, quia lex Solo-

nis

Digitized by Google

nis id ipſum vetat: quam legem Decemviri iiſdem prope verbis in decimam tabulam conjeciſſe Cicero auctor eſt. Hinc 2. *Tuſcul.* *Et hic nimirum eſt fletus, quem XII. tabb. in funeribus adhiberi noluerunt.* Scripſit idem noſter & commentaria quædam, quorum Cicero meminit 1. *orat.* ubi inquit: *Et in P. Mucii fratris ſui libris, & Sex. Ælii commentariis ſcriptum protuliſſe.* Meminit ejus etiam Celſus *in l. 3. §. 1. ff. de actione empt. & vend.*

Et Frater ejus Publius Ælius, & Publius Attilius, maximam ſcientiam in profitendo habuerunt] Hi ergo etiam poſt Corruncanium publice jus profitebantur, & quidem poſt eum primi, qui jura diſcere volentibus ſeſe dabant ultro ac publice præſtabant. Fuit autem P. Ælius non minus juris ſcientia, quam belli gloria clarus, omnibus in Repub. perfunctus honoribus: quippe primum Ædilis, deinde Prætor creatus eſt, Liv. *lib.* 29. *cap.* 38. Deinde M. Servilius Dictator comitiorum habendorum cauſa dictus, Magiſtrum equitum P. Ælium dixit. Et eodem habente comitia, creatus eſt cum Cn. Lentulo Conſul. Liv. *lib.* 30. *cap.* 39. & 40. anno U. C. 552. ut habet Sig. *in Faſt.* & Phig. 10. *Annal.* quo anno bellum Punicum finitum fuit. Sic quoque Plin. *lib.* 18. *cap.* 18. *Et frugibus oſtentum ſimel (quod equidem invenerim) P. Ælio, Cn. Cornelio coſſ. quo anno ſuperatus eſt Hannibal.* Interjecto tempore, cum de agris veterum militum relatum eſſet, qui ductu Scipionis Proconſulis ejuſque auſpicio in Africa bellum perfeciſſent, decreverunt patres, ut M. Junius Prætor urbis, ſi ei videretur, Decemviros agro Samniti Appuloque, quod ejus publicum populi Romani eſſet, metiendo dividendoque crearet. Quorum & in numero fuit P. Ælius Pætus. Liv. *lib.* 31. *cap.* 4. Deinde Narnienſium legatis querentibus, ad numerum ſibi colonos non eſſe, & immiſtos quoſdam non ſui generis pro colonis ſe gerere, earum rerum cauſa Triumvir cum Sex. Ælio fratre & C. Cornelio Lentulo creatus. Liv. *l.* 32. *c.* 2. Augur poſtmodum creatus ſupremum obiit diem, atque in ejus locum ſuffectus Q. Ælius Pætus ex fratre nepos, Liv. *lib.* 41. *cap.* 21. Cum vero hic P. Ælius frater fuit Sexti, de quo paulo ante, non male a Pomponio hic traditur duos

Digitized by Google

duos Ælios & quidem fratres Conſules in Repub. fuiſſe. Beata autem ſane tum Reſpub. merito dici poterat, in qua fiebant ex prudentibus Conſules, & non Conſules antequam prudentes. Fab. *in ration. ad h. t.*

Attilius autem primus ſapiens appellatus eſt.] P. Attilium eum appellavit paulo ante Pomponius: alii reponunt L. Acilium, idque auctoritate Ciceronis in *Lælio* ita ſcribentis: *Scimus Lucium Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem, quia prudens eſſe in jure civili putabatur.* Et idem 2. *de ll. Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes, Sex. Ælius & L. Acilius, non ſatis intelligere ſe dixerunt.* Meminit & Feſtus *Acilii* interpretis XII. tabb. Hunc primum a populo ſapientem nominatum ſcribit Jctus, non σοφὸν, ut de Sempronio ſupra dictum; e quibus perſpicimus, hunc locum cum ſuperiore non pugnare.

Hos adſectatus aliquid eſt Cato. Deinde Marcus Cato Princeps Porciæ familiæ.) Hic textus omnium fere conſenſu ita reſtituendus, *Hos ſectatus ad aliquid eſt deinde M. Cato, Princeps Porciæ familiæ.* Aliter enim ſenſus horum verborum non conſtat. Pomponius Lætus de *Juriſperitis* hunc locum ita reſtituit: *Deinde Cato Porciæ familiæ Princeps, Tuſculo genitus, cujus libri extant.* Fuit enim hic noſter Tuſculanus, quod & Cicero teſtatur 2. *de ll.* ubi inquit: *Cato cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani civitatem ſuſceptus eſt: itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Nepos *in Catone: Cato ortus municipio Tuſculo, adoleſcentulus, priuſquam honoribus operam daret, verſatus eſt in Sabinis, quod ibidem prædium a patre relictum habebat.* Et apud Gell. *lib.* 3. *cap.* 23. *At Cato Conſularis & Cenſorius, publicis jam privatiſque rebus opulentus, villas ſuas inexcultas & rudes, ne tectorio quidem prælitas fuiſſe dicit ad annum uſque ætatis ſuæ ſeptuageſimum. Atque ibi poſtea his verbis utitur: neque ne mihi,* inquit, *ædificatio, neque vaſum, neque veſtimentum ullum eſt manu pretioſum, neque pretioſus ſervus, neque ancilla eſt: ſi quid eſt,* inquit, *quod utar, utor. Si non eſt, egeo, ſuum cuique per me uti atque frui licet.* Tum deinde addit: *vitio vertunt, quia multis egeo, at egeo illis, quia nequeunt egere.*

Rrrr *Hæc*

Digitized by Google

Hæc mera varitas Tuſculani hominis, egere ſe multis rebus, & nihil tamen cupere dicentis &c. Principem Porciæ familiæ eum Pomponius vocat: quod & Vellejus confirmat. *l.* 2. *c.* 35. Et Solin. *c.* 5. *Cato Princeps Porciæ gentis, Senator optimus, Orator optimus, optimus Imperator.* Idem teſtatur Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. ubi ait; *Felicior progenie ſua ſuperior Cato, a qua Porciæ familiæ principia manarunt.* Patre autem Marco non admodum illuſtri genitus, ob ejus ſingulare ingenium, & optimas animi dotes, moreſque integros a Valerio Flacco Romam ductus, nec diu poſt Romana civitate donatus eſt, & omni in ea, ut ſcribit Tullius de *Senectute*, dignitatis honore functus eſt. Principio, ut teſtatur Plutarchus, tertio nomine non Cato, ſed Priſcus vocabatur. Conſequenti tempore Cato ei virtutis nomen extitit. Romani enim eum, in quo multarum rerum uſus eſt, Catonem nominant. Floruit autem circa belli Punici ſecundi tempora uſque ad Punicum bellum tertium; natus poſt primum Fabii Conſulatum, itaque anno U. C. 521. Fuit enim Fabius, ut ex faſtis conſtat, Conſul 520. Annos vero quinque & octoginta natus vitam cum morte commutavit, L. Marcio Cenſorino & M. Manilio Coſſ. anno U. C. 604. Quæſtor fuit P. Cornelio Scipione Africano Conſule. Deinde Ædilis factus cum C. Helvio. Quadriennio poſt Prætor provinciam obtinuit Sardiniam. Conſulatum geſſit cum L. Valerio Flacco, anno U. C. 558. Conſules Provincias ſortiti, M. Catoni Hiſpania, Valerio Italia evenit. M. itaque Cato cum claſſe & exercitu in Hiſpaniam profectus, ab emporiis expeditionem incipiens, difficili prælio hoſtium ad quadraginta millia occidit, caſtris exuit, & agris late populatis, plurimos populos ſubegit & in deditionem recepit. Ob quas res feliciter geſtas ſupplicationem in triduum Patres Romæ decreverunt. Itaque ipſe Conſul, ut Nepos tradit, ex Hiſpania triumphum deportavit. Deinde cum eodem Flacco Cenſor factus, ita ſevere præfuit ei poteſtati, ut abs re cognomen nactus fuerit, & appellatus Cenſorius: nam & in complures nobiles animadvertit, & multas res novas edicto addidit, qua re luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare. Nepos *in vita ejus.* Hinc Cenſor, cum L. Flaminium T.

Fla-

Flaminii fratrem & ante Conſulem, quod ad arbitrium mulierculæ, cujus amore tenebatur, quendam in Provincia, cui præerat, ſecuri percuſſerat, e Senatu ejecit, ut refert Tullius *de Senect.* quamobrem ſibi, populuſque Romanus Conſularem ſtatuam in templo poſuit, cum hac inſcriptione: M. CATO MORUM RESTITUTOR. Magnis cum laudibus extollit Liv. *lib.* 39. *cap.* 40. ubi inquit: *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus videretur; nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ, ei deſuit. Urbanas ruſticaſque res pariter callebat. Ad ſummos honores alios ſcientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret: in bello manu fortiſſimus, multiſque inſignibus clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores pervenit, ſummus Imperator; ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſſimus. Nec is tantum, cujus lingua, vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet.* Et *lib.* 34. *cap.* 18. teſtatur: *In Conſule eam vim animi atque ingenii fuiſſe, ut omnia maxima minimaque per ſe adiret atque ageret: nec cogitaret modo imperaretque quæ in rem eſſent, ſed pleraque ipſe per ſe tranſigeret: nec in quemquam omnium gravius ſeveriusque, quam in ſemetipſum imperium exerceret: parſimonia & vigiliis & labore cum ultimis militum certaret: nec quicquam in exercitu ſuo præcipui, præter honorem atque imperium, haberet.* Nec minus excelluit in juris ſcientia, ut teſtatur Cicero 3. *de orat.* *Quid enim* (ait) *M. Catoni præter hanc politiſſimam doctrinam transmarinam, atque adventitiam defuit? num, quia jus civile didicerat, cauſas non dicebat? aut, quia poterat dicere, juris ſcientiam negligebat? at utroque in genere & laboravit & præſtitit.* Idem de Catone prædicat Quintil. *lib.* 12. *cap.* 3. *M. Cato cum in dicendo præſtantiſſimus; tum juris fuit idem peritiſſimus.* Et alibi etiam Tullius: *Quid ille M. Cato? nonne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa ætas, in hac civitate ferre maximam potuit, & juris civilis omnium peritiſſimus.*

Cujus & libri extant, ſed plurimi filii ejus, ex quibus cæteri oriuntur.] Ex patre & filio cæteri oriuntur Catones ſive Por-

 cii,

cii, qui Romæ diu floruere. Filii autem ſuperioris nati Catonis patris virtutes & gloriam æmulati, magnam quoque nominis ſui famam reliquere. Filius enim major natu, quanquam juvenis, plurimos tamen in juris diſciplina libros, tanquam doctrinæ & juris imprimis ſcientiæ, qua præditus fuit, reliquit egregia ſpecimina & monumenta, quod Gell. teſtatur *lib.* 13. *cap.* 19. ubi inquit: *Major Catonis filius, qui Prætor deſignatus patre vivo mortuus eſt, egregios de juris diſciplina libros reliquit.* Idem quoque Catonianæ regulæ auctorem fuiſſe admodum veroſimile eſt. Cujus titulus extat in Digeſtis *lib.* 34. *tit.* 7. Catonianæ ſententiæ fit mentio *in l.* 86. *ff. de condit. & demonſt.* vid. quoque *l.* 10. *§.* 1. *ff. de Ædilit. Edict.* *l.* 44. *§. ſolut. Matrim.* ejuſdem obſervationem de menſe intercalari, ex jure Pontificio petitam perſpicimus ex *l.* 98. *§.* 1. *ff. de V.O.* Commentariorum juris a Paulo JCto in *l.* 4. citantur libri 15. *§.* 1. ubi inquit: *Cato libro quinto decimo ſcribit &c.* Commentariorum juris civilis a Catone compoſitorum meminit quoque Feſtus in verbo *Mundus.*

---

§. 39. *Poſt hos fuerunt* Publius Mucius, *&* Brutus, *&* Manilius: *qui fundaverunt jus civile; ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit. Brutus ſeptem: Manilius tres, & extant volumina ſcripta, Manilii monumenta: illi duo Conſulares fuerunt: Brutus Prætorius; Publius autem Mucius etiam Pontifex Maximus.*

Poſt hos fuerunt Publius Mucius.) Scævolarum oriundus illuſtri familia, in qua complures juris ſcientia florentiſſimi extitere, ut non immerito quaſi hereditaria ejus gentis exiſtimata ſit. Unde Scævolæ nomen Mucianæ impoſitum familiæ, ſcil. a L. Mucii Patricii generis adoleſcente, cui Cordo ab initio cognomen fuit. Cum enim ipſi indignum videbatur populum Romanum ſervientem cum ſub Regibus eſſet, nullo bello,

bello, nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe, liberum eundum populum ab iiſdem Etruſcis obſideri, quorum ſæpe exercitus fuderit, itaque magno audacique facinore eam indignitatem vindicandam ratus, Regem Porſennam per inſidias in caſtris aggredi conſtituit: abdito itaque intra veſtem ferro proficiſcitur, atque ubi eo venit, in confertiſſima turba prope Regium tribunal conſtitit; ibi cum ſtipendium forte militibus daretur, & ſcriba cum Rege ſedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites vulgo adirent, forte fortuna ſcribam pro Rege obtruncat. Cum regii ſatellites comprehenſum ante Regis tribunal retraxiſſent, dextram accenſo ad ſacrificium foculo injicit, eique poſtea a clade dextræ manus Scævolæ cognomentum inditum. Hinc Scævolæ, qui ſiniſtra manu pro dextra utuntur, quos Ulpianus *l. 1. ff. de Ædilitio Edicto* ait, non eſſe morboſos aut vitioſos, præterquam ſi imbecillitate dexteræ validius ſiniſtra utuntur: ſed hos non ſcævos, ſed mancos dici: ſic ſcæva res dicitur mala quaſi ſiniſtra: σκαιὸν enim Græce ſiniſtrum dicitur: vulgus ſcævam & malam rem vocat. Fuit hic noſter Scævola filius P. Mucii Scævolæ Conſulis anno U. C. 578. Meminit ejus Javolenus *in l. 66. ff. ſolut. matrim.* Anno U. C. 620. Conſulatum geſſit cum Calpurnio Piſone, qui Frugi dictus eſt; qui incidit in illud tempus, quo Gracchus ſeditioſas agrarias leges animo volvebat, in quem noſter Mucius peroravit in Senatu. Eundem Pontificem quoque Maximum fuiſſe, tradit Pomponius. Quod & Cic. teſtatur 2. *de orat.* cum inquit: *Ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabant litteris, quæ conſuetudo in ejus Pontificatu abrogata videtur.* Et *in orat. pro domo: P. Scævola*, inquit, *Pont. Max. pro collegio reſpondit, quod in loco Licinia C. F. injuſſu populi dedicaſſet, ſacrum non videri eſſe.* Fuit etiam eximius Orator, qui valde prudenter & acute & paulo etiam copioſius loqui, quam ex æqualibus ſuis multi potuit, ut aſſerit Cic. *in Bruto.* Verum non minus exercitatus in jure civili, ita ut merito eum Pomponius inter clariſſimos Juriſconſultos recenſeat. Quod legum & conſuetudinis, qua cives ejus uterentur, ad agendum, cavendum, dicendumque peritus erat. Adeo ut juris civilis fun-

fundatorem eum fuiſſe teſtetur. Deque eo ita Cic. in 1. *de orat. Si*, inquit, *quæretur, quisnam JCtus vere nominaretur, P. Mucium nominarem.* Scripſit libros 14. ut videre eſt *ex l. 30. ff. pro Socio.* ubi inquit Paulus: *Mucius libro quartodecimo ſcribit, non poſſe coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem ſocius ferat, Servius in notatis Mucii ait, nec poſſe ſocietatem ita contrahi.* Ex quibus perſpicimus, Servium in libros P. Mucii notas ſcripſiſſe. Ejus quoque meminit Pomponius *in l. ult. ff. de legation.* tradit Valer. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 2. eundem noſtrum Mucium optime pila luſiſſe, quia videlicet ad hoc diverticulum animum ſuum forenſibus miniſteriis fatigatum transferre ſolebat. Alveo quoque & calculis vacaſſe interdum, cum bene ac diu jura civium & cæremonias Deorum ordinaſſet. Quod & Cic. affirmat *de orat.* 1. *Licet iſta ratione dicamus, pila bene & duodecim ſcrupis ludere proprium eſſe Juriſconſulti; quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit.* Male itaque, ut annotavit Gulielm. Grot. *de vitis Juriſc.* luſum pilæ & calculorum Valer. dicto loco Q. Mucio Auguri tribuit.

Et Brutus] Meminit hujus Bruti Cic. *lib.* 7. *Epiſt.* 22. ſicuti & Sext. Ælii & M. Manilii, eoſque coævos fuiſſe ex eadem epiſtola perſpicimus. Putat Phigius in *annal.* ad annum 665. hunc fuiſſe patrem Bruti, qui Cæſarem interficiendo Rempub. in priſtinam libertatem aſſerere animum induxerat. Sed aliter ſentit Guliel. Grot. Atque hunc ejuſque filium diverſum putat a Bruto, qui Cæſarem occidit, ejuſque patre. Propterea quod Cic. in *Bruto* utriuſque mentionem faciens, poſtea Brutum quoque patrem Tyrannicidæ, poſteriori ſæculo inſerit, eumque magis boni Senatoris, quam Oratoris laude cohoneſtat, quod in JCti Bruti filium non quadrat. Cui ſententiæ quemcunque, qui diligenter evolverit Ciceronem *de Clar. orator.* ſubſcripturum arbitror. Orator inſignis, juris publici privatique peritus. Sæpius Cicero eum virum optimum nominat, & juris peritiſſimum, *de clariſ. orat.* *Iisdem temporibus*, inquit, *M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi veſtro, qui cum tanto nomine eſſet, patremque optimum virum habuiſſet, & juris peritiſſimum, accuſationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus.* Ex quo perſpicimus, quod Hero-

um

um filii ſæpe ſunt noxæ; *Hic Magiſtratus non petivit, ſed fuit accuſator vehemens, & moleſtus, ut facile cerneres naturale quoddam ſtirpis bonum degeneraviſſe vitio depravatæ voluntatis.* Quemadmodum contraria juxta ſeſe poſita eluceſcunt magis, ita quoque quando degenerem filium cum optimo patre comparo, quo hujus virtutes & egregiæ animi dotes magis ſplendeſcunt, eo filii depravata indoles, & inquinatus omnibus vitiis animus, quaſi in illuſtri poſitus theatro, ab omnibus magis conſpicitur; & conſequenter culpatur. Cum enim opulentæ eſſent patri poſſeſſiones, amplaque prædia; fundos enim tres habebat, Privernatem, Albanum & Tiburtem, & præter hos Balneas. Hæc omnia paterna bona dilapidavit & decoxit filius degener. Hinc illi contumeliarum aculei, quibus L. Craſſus in quodam judicio eum oppugnavit, quorum mentio apud Cic. 2. *orat. cap.* 55. Ubi ita inquit: *Cum enim Brutus duos lectores excitaſſet, & alteri de Colonia Narbonenſi Craſſi orationem legendam dediſſet, alteri de lege Servilia, & cum contraria inter ſeſe de Repub. capita contuliſſet, noſter hic facetiſſime tres partes Bruti de jure civili libellos tribus legendos dedit: Et libro primo,* FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. *Brute, teſtificatur pater, ſe tibi Privernatem fundum reliquiſſe. Deinde ex libro ſecundo,* IN ALBANO ERAMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. *Sapiens videlicet homo tum primus noſtræ civitatis: norat hunc gurgitem: metuebat, ne, cum is nihil haberet, nihil eſſe ei relictum putaretur. Tum ex libro tertio, in quo finem ſcribendi fecit, tot enim, ut audivi Scævolam dicere, ſunt veri Bruti libri,* IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. *Ubi ſunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis conſignatos reliquit? Quod niſi puberem te, inquit, jam haberet, quartum librum compoſuiſſet, & ſe etiam in balneis lotum cum filio, ſcriptum reliquiſſet.* Quibus lepidis ſane facetiis refutatus eſt a Craſſo M. Brutus. Sed ut ad noſtrum inſtitutum revertamur. Virum Prætorium appellat Pomponius, quod aliquando Prætura perfunctus fuiſſet. Quemadmodum vir Conſularis dicitur, qui aliquando Conſulatum geſſit. *l.* 1. *cod. de dignit.* Majores Magi-

giſtratus non obtinuit, fortaſſe quod ad eos non adſpiravit. Quot libros de *jure civili* reliquit, ex ſtatim citato Ciceronis loco conſtat: verum tres tantum numerat Cicero, ſeptem autem eum reliquiſſe libros Pomponius affirmat. Verum hoſce auctores conciliat Bertrandus: dicendo, Brutum revera tres tantum reliquiſſe libros, quorum ipſe auctor extitit, attamen plures ei tributos, ut colligimus ex Tullii verbis, cum inquit: *Tot enim, ut audivi Scævolam dicere, ſunt veri libri Bruti:* argumentum quod ea tempeſtate plures, quam tres ipſum compoſuiſſe libros credebatur. Qui error ad poſteriora eelapſus ſecula, Pomponium fortaſſe in erroneam hanc opinionem adduxit, Brutum tot ſcripſiſſe libros, quot enumerat. Quam tamen conciliationem vir ipſe Bertrandus vix admittit, ne eam admittendo Pomponium tacite ignorantiæ accuſaret, quod non facile præſumendum de auctore noſtro, propter perfectam ejus eruditionem. Quare potius textum mutare voluit, quam exiſtimare Pomponium vulgarem errorem, Ciceronis & Scævolæ ſententiis prætuliſſe, & hac quidem ratione, ut majorem numerum ad Manilium, minorem ad Brutum referat, & unius dictionis transpoſitione hoc modo textum reſtituat, *ſeptem Manilius, Brutus tres.* Quæ transpoſitio eo veroſimilior videtur, quia ipſe Pomponius ait, Manilium *plura volumina compoſuiſſe.* Quæ locutio librorum copiam denotat. Bruti noſtri JCti meminit Ulpianus *l.* 27. *§.* 22. *ff. ad L. Aquil. Si mulier*, inquit, *pugno vel aliquo ictu a te percuſſa ejecerit, Brutus ait, Aquilia teneri, quaſi rupto.* Et *l.* 13. *ff. de in diem addict.* Sic quoque Paulus in *l.* 3. *§.* 6. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* ubi ait: *Ceterum quod Brutus & Manilius putant eum, qui fundum longa poſſeſſione cepit: etiam theſaurum cepiſſe, quamvis neſciat in fundo eſſe, non eſt verum.* Quamvis juris fuit peritiſſimus, homo tamen erat, ideoque multis quoque erroribus obnoxius.

Manilius] De pronomine & familia hujus JCti non inter ſe conveniunt ſcriptores: quidam ex nobiliſſima Manliorum familia oriundum tradunt. Eumque ex iis fuiſſe Manliis, qui, poſt Marcum Manlium Capitolii defenſorem perduellionis damnatum, decreverant, ne quis ſuæ gentis Marcus appellaretur, Guilelm. Grot. de *vitis JCtorum cap.* 6. *lib.* 1. Sentiunt vero

vero alii, hunc noſtrum Manilium non ortum fuiſſe e patricia *Mauliorum*, ſed plebeja *Maniliorum* familia. Plebis enim tribunatum geſſiſſe Manilios, conſtat vel ex illo Manilio, cujus legem Cicero Prætor ſuaſit, qua Mithridaticum bellum Cn. Pompejo mandabatur. Præterquam, quod auctore Feſto in verbo *Manliæ*, *Manliæ gentis patriciæ decreto nemo ex ea Marcus appellatur, quod M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum regnum affectaſſet, damnatus necatusque eſt.* Conſulatum geſſit anno 604. cum L. Marcio Cenſorino, juxta Caſſiodorum, initio belli Punici tertii. Ita enim Cic. ad *Attic. lib.* 12. *epiſt.* 5. *Et vide, quæſo, L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Cenſorinone, & Manilio, an T. Quintio, M. Acilio coſſ. Tribunus plebis fuerit.* Sic quoque *in Bruto cap.* 27. *Nam & quæſtiones hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt; C. L. enim Piſo, Tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Cenſorino & Manilio Coſſ. tulit.* Meminit quoque ejus Cic *lib.* 4. *Epiſt.* 16. *ad Att.*

Exſtant volumina ſcripta, Manilii monumenta.) Summum fuiſſe eum JCtum teſtatur Cic. 1. *de orat.* ubi de veris JCtis ſermonem habens, in eorum quoque numero Manilium collocat. Atque de ejus auctoritate ita *in* 3. *de orat. Meminerunt illi Sext. Ælium, M. vero Manilium nos etiam vidimus tranſverſo ambulantem foro: quod erat inſigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus conſilii ſui copiam, ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi, ſic adibatur: non ſolum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio aut officio referretur, &c.* Fundatorem Pomponius juris civilis appellat; ejus doctrinæ meminit Paulus *in l.* 3. *§.* 3. *ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Tres libros eum de jure civili reliquiſſe, teſtatur Pomponius: verum ſupr. annotavimus, ſeptem legendum eſſe, quam lectionis mutationem tot ejus monumenta, quæ longe prædictum numerum trium librorum ſuperaſſe veriſſimum eſt, ſequendam ſatis affirmant. Compoſuit præterea quaſdam leges de venalibus vendendis Manilianas dictas, quarum quoque mentionem facit Cic. 1. *de orat. c.* 58. *Nec quiſquam*, inquit, *eſt eorum, qui, ſi jam ſit ediſcendum ſibi aliquid*

Digitized by Google

quid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediſcere. Item Varro de Manilii actionibus *lib. 2. cap. 7. Emptio,* inquit, *equina ſimilis fere ac boum, & aſinorum, quod eiſdem rebus in emptione dominium mutatur; ut in Manilii actionibus ſunt perſcripta.*

---

§. 40. *Ab his profecti ſunt* Publius Rutilius Rufus, *qui Romæ Conſul, & Aſiæ Proconſul fuit:* Paulus Virginius: *&* Quintus Tubero *ille Stoicus, Panſæ auditor, qui & ipſe Conſul. Etiam* Sextus Pompejus *Gnæi Pompeji patruus fuit eodem tempore: &* Cœlius Antipater, *qui hiſtorias conſcripſit: ſed plus eloquentiæ, quam ſcientiæ juris operam dedit: etiam* Lucius Craſſus, *frater Publii Mucii, qui* Mucianus *dictus eſt, hunc Cicero ait Juriſconſultorum diſertiſſimum.*

Publius Rutilius Rufus.) Fuit hic P. Mucii diſcipulus, quoad juris civilis addiſcendam diſciplinam. Scribit enim Cic. 2. *de off. ejus adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ, & juris ſcientiæ P. Mucii commendaſſe domum.* Philoſophus vero fuit Stoicus, *in Bruto cap.* 30. teſtatur Cic. *eum fuiſſe virum doctum, Græciſque litteris eruditum, Panætii auditorem, & prope perfectum in Stoicis: quorum peracutum, & artis plenum orationum genus, ſed tamen exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum, imitatur.* Quamobrem inter ſummos oratores non videtur recenſendus: jejunas enim ejus orationes fuiſſe dicit Cicero, verum de jure multa præclara ejus opera fuere, magnumque munus de jure reſpondendi ſuſtinebat. Ejus meminit Ulpianus *in l.* 10. *§.* 3. *ff. de uſu & habitat.* ubi inquit: *Utrum autem unius anni ſit habitatio, an uſque ad vitam, apud veteres quæſitum eſt? & Rutilius donec vivat, habitationem competere ait: quam ſententiam & Celſus probat libro octavo* de-

Digitized by Google

decimo Digeſtorum. Vide & *l.* 3. *§.* 9. *ff. de penu legat.* Sic quoque *in l.* 1. §. 2. *ff. de arbor. cædend. Si arbor ædibus alienis impendeat, utrum totam arborem jubeat Prætor adimi, an vero id ſolum, quod ſuper excurrit, quæritur? Et Rutilius ait, a ſtirpe excidendam, idque pleriſque videtur verum.* Variæ in eum fuere collocatæ in Repub. dignitates; Quæſtura, Prætura & Conſulatus. Imo & Tribunus militaris fuit ſub Scipione, teſtante Appiano *de bellis Hiſpan. cap.* 305. *Scipio*, inquit, *Rutilio Rufo, tum Tribuno militum (qui etiam harum rerum hiſtoriam edidit) imperat, ut aſſumptis quatuor equitum turmis, hoſtium impetum propulſet.* Quæſtor fuit Quintii Prætoris in Aſia, ut refert Aſconius Pædian. *in divinat.* Præturam eum geſſiſſe docet Ulpianus *in l.* 1. *§.* 1. *ff. de bon. libert.* ubi inquit, *Et quidem prius Prætor Rutilius dixit &c.* Conſulatum obtinuit anno U. C. 648. Poſtquam jam ante repulſam paſſus fuerat, competitorem habens Æmilium, quem ſibi prælatum adeo ægre tulit, ut eum in judicium vocaret, at ille abſolutus, ambitus adverſarium accuſavit, in quo judicio accidiſſe tradit Cic. ut Scaurus accuſator oſtenderet in Rutilii tabulis litteras, A. F. P. R. dicere *actum fide Rutilii;* Rutilius autem: *ante factum, poſt relatum:* C. Cannius eques Rom. cum Rufo adeſſet, exclamat, neutrum illis litteris declarari: Quid ergo inquit Scaurus? *Æmilius fecit, plectitur Rutilius.* Cic. 1. *de orat. lib.* 2. Quamvis autem hic eſſet vir optimus & innocentiſſimus, ita ut nemo, Cicerone teſtante, neque integrior, neque ſanctior eſſet in civitate, tamen adverſariorum calumniis oppreſſus eſt: ſumma enim ejus integritas atque innocentia damnationis exiliique ſui cauſa fuit. De eo enim ita Liv. *Epitom.* 70. *P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, quoniam Legatus C. Mucii Proconſulis a publicanorum injuriis Aſiam defenderat, inviſus equeſtri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exilium miſſus eſt.* Et Flor. *l.* 3. *c.* 17. *Senatus, exilio Metelli, damnatione Rutilii, debilitatus, omne decus Majeſtatis amiſerat.* Et apud Vellej. *lib.* 2. *P. Rutilium virum non ſæculi ſui, ſed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverunt.*

Verum integritate & virtute ſua adeo ſibi conciliaverat Aſiæ populos, ut ipſi Aſiam petenti omnes provinciæ illius civitates Legatos ſeceſſum ejus opperientes obviam miſerint. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare juſtius dixerit: Valer. *lib.* 2. *cap.* 10. Eum autem Smyrnæos ſibi civem addidiſſe tradit Tacit. 4. *Annal. cap.* 43. Atque cum ei Syllana victoria reditus in patriam offerretur, maluit, ne quid contra leges faceret, in exilio remanere, quam ad ſuos reverti lares. Valer. *lib.* 6. *cap.* 4. Quamobrem Ovid. *de Ponto lib.* 1. *eleg.* 3.

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non uſi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hoſtica tellus.

Ab amico conſolatus, quod brevi ad penates ſuos rediret, *Quid tibi*, inquit, *male feci, ut mihi pejorem reditum, quam exitum optares, malo ut patria exilio meo erubeſcat, quam reditu mœreat.* Librorum, quos reliquit, meminit Atheneus, eumque refert hiſtoriam rerum Romanarum ſcripſiſſe *in lib.* 6. δειπνοσοφιστῶν, *cap. ult.* & Vell. *in lib.* 2. *cap.* 2. Scripſit & de vita ſua libros aliquot, compoſuit & orationes quaſdam, inter quas, de *modo ædificiorum*, quam recitaſſe Senatui & populo Auguſtum, tradit Suet. *in ejus vita cap.* 89. Eum ſcil. in finem, ut luxus inhiberetur, & incendia amoverentur. Hinc Strabo *lib.* 5. dicit, conſtitutum fuiſſe ab Auguſto, ne quis ædes altius quam ſeptuaginta pedes tolleret. Quam altitudinem ad 60. pedes reduxit Trajanus Imperator, teſte Aurel. Victor. *in Epitom.* ubi ait: *Quibus omnibus Trajanus per exquiſita remedia plurimum opitulatus eſt; ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando alia contingerent, exitioſos.* Hinc Ulpianus *in l.* 1. *§.* 17. *ff. de non. oper. nunc.* inquit, *Nuntiamus autem, quia jus aliquod prohibendi habemus, aut ſi quid contra leges, edictave Principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, fiet.*

Paulus Virginius.] Quiſnam hic fuerit Paulus Virginius, non conſtat. Locum hunc depravatum putat Muretus, non abſque ratione. Alii pro Paulo Virginio, reponunt Scaurum Vigellium,

lium, quem una cum aliis Stoicæ diſciplinæ addictum, & cum Panætio vixiſſe, Cicero tradit 3 *de orat. cap.* 21. *Quid eſt*, inquit, *quod aut Sext. Pompejus, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panætio vixit, M. Vigellius, de virtute hominum Stoici poſſint dicere; qua in diſputatione ego his debeam, aut veſtrum quiſquam concedere.* Verum quicquid de hoc diſputamus, mera divinatio eſt & conjectura: ideoque ad certiora advertere animum conſultius erit & utilius.

Et Quintus Tubero ille Stoicus.] Addit Pomponius *ille Stoicus*, ut ſcil. diſcerneretur ab aliis, qui ejuſdem fuere nominis. Meminit enim Valer. *lib.* 4. *cap.* 9. G. Ælii Tuberonis, generis Æmilii Pauli, qui Perſam Regem vicit, & captum in triumphum duxit. De eo quoque Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. ubi dicit: Hunc Tuberonem, *cum legati Ætolorum in conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepiſſe, neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremum vitæ diem, quam duo pocula, quæ L. Paulus ſenex ei ob virtutem, devicto Perſeo, donaſſet.* Alter Pauli Æmilii nepos, de quo nobis jam ſermo. Tertius, qui filio operam dedit, de quo infra § 46. Fuit igitur noſter L. Pauli nepos. Ita enim Cic. in *Bruto cap.* 31. *Et quoniam Stoicorum facta eſt mentio, Q. Ælius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in Oratorum numero, ſed vita ſeverus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat: ſed ut vita, ſic Oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus majorum reſpondere non potuit.* Avunculum habuit Africanum minorem, ut teſtatur quoque Cic. cum inquit *cit. loc. Qui quidem in Triumviratu judicaverit contra P. Africani, avunculi ſui teſtimonium; vacationem Augures, quo minus judiciis operam darent, non habere.* Ex hoc Ciceronis loco evincimus, errarę Pomponium, quod Conſulem hunc noſtrum Tuberonem fuiſſe tradit: quoniam ait Cicero, eum honoribus majorum non potuiſſe reſpondere. Equidem anno U. C. 586 Q. Ælium, hujus patrem Conſulem fuiſſe, in Faſtis invenimus. Auditorem Panætii (ita enim ſcribendum, non Panſæ) vocat Pomponius, a quo diſciplina Stoica imbutus, eam in omnibus ſuis actionibus & moribus expreſſit, atque ſecundum eam vitam inſtituit, ita ut merito Pomponius

eum *Stoicum* appellet. Quæ durioris vitæ degendæ ratio, cum ea, quam colebat diſciplina congruens, ei ſine dubio obſtitit, quod ad Conſulatum non fuerit admiſſus: idque eo veroſimilius, quod cum aliquando Prætoriis comitiis candidatus in campum L. Paulo avo & P. Africano avunculo nixus, deſcendiſſet; eandem ob cauſam repulſa inde notatus abierit. Ita enim Valer. *l. 7. cap. 5. n. 1. Q. Ælius Tubero, a Q. Fabio Maximo, epulum populo nomine P. Africani patrui ſui dante, rogatus ut triclinium ſterneret: lectulos Punicanos pellibus hædinis ſtravit: & pro argenteis vaſis Samia expoſuit. Cujus rei deformitate ſic omnes offendit, ut cum alioqui vir egregius haberetur, comitiiſque Prætoriis candidatus in campum P. Paulo avo, & P. Africano avunculo nixus deſcendiſſet, repulſa inde notatus abierit.* Ita quoque Cic. *pro Muræna: Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros & honeſtus homo & nobilis Q. Tubero. Is cum epulum Q. Maximi Africani patrui ſui nomine populo Romano daret: Rogatus eſt a Maximo, ut triclinium ſterneret: cum eſſet Tubero ejuſdem Africani ſororis filius: atque ille homo eruditiſſimus Stoicus ſtravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia: quaſi vero eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur. Hujus in morte celebranda graviter tulit populus Rom. hanc perverſam ſapientiam Tuberonis: itaque homo integerrimus, civis optimus, cum eſſet L. Pauli nepos, P. Africani, ut dixi, ſororis filius, his hædinis pelliculis Præturа dejectus eſt.* Parſimoniam hujus multis locis celebrat Seneca, atque eam nobis imitandam proponit. vid. *epiſt. 95. & 109.* Inter juris peritos merito eum recenſet Pomponius. Ita enim Agell. *lib. 1. cap. 22. M. autem Cicero in libro, qui inſcriptus eſt de jure civili in artem redigendo, verba hæc poſuit:* Nec vero ſcientia juris majoribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit. *in quo loco,* ſuperfuit, *ſignificare videtur,* ſupra fuit & præſtitit, *ſuperavitque majores ſuos doctrina ſua ſuperfluenti, tum & nimis abundanti. Diſciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat.* Summam ejus fuiſſe in jure auctoritatem, videre eſt *in l. 7. ff. de ſupellect. leg.* Meminit ejus quoque Javolenus in *l. 77. ff. de contrah. emp.*

emp. Et Ulpianus *l.* 13. §. 30. *ff. de action. empt.* & *vend.* Quibus ex legibus colligit Bertrandus, eum de jure venditionis aliquid ſcripſiſſe, quod admodum veriſimile eſt, propter toties allegatam in materia venditionis a Jureconſultis ejus ſententiam.

Sextus Pompejus.] Hunc Cicero *in Bruto* ait præſtantiſſimum ingenium contuliſſe ad ſummam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ, & rerum Stoicarum ſcientiam. Fratrem habuit Cn. Pompejum Strabonem, magni Pompeji patrem, quem Conſulem fuiſſe anno U. C. 669. cum L. Porcio Catone in Faſtis videre eſt.

Et Cælius Antipater.] Cic. *in Brut. cap.* 26. eum ait fuiſſe, ut illis temporibus, ſcriptorem luculentum, juris valde peritum, multorum etiam, ut L. Craſſi, magiſtrum. Eloquentiæ tamen, teſte Pomponio, majorem, quam juris ſcientiæ, operam dedit. Hiſtorias conſcripſiſſe multas, verum ſine nitore & palæſtra; ita enim Cic. *de ll. Fannii autem ætate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore & palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent.* Et alibi: *Cælius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione, & tractu orationis leni ab æquabili perpolivit illud opus, ſed, ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolavit; vicit tamen ſuperiores.* Imperator tamen Adrianus, vetuſti generis dicendi ſtudioſus, eum Saluſtio præferebat, ut teſtatur Spartianus in *Adriano cap.* 16. *Amavit*, inquit, *præterea genus dicendi vetuſtum, controverſias declamavit. Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Saluſtio Cælium prætulit.* Ex eo multa Gellius, Priſcianus, Chariſius. Meminit Quinctilianus cujuſdam Cælii, quem inter oratores recenſet; verum an idem ille, de quo Pomponius, certo affirmare non auderem. De eo ita: *Multum ingenii in Cælio, & ei præcipue in accuſando multa urbanitas, dignusque vir, cui & mens melior & vita longior contigiſſet. Inveni, qui Cælium præferrent omnibus; inveni, qui Ciceroni crederent, cum nimia contra ſe calumnia ſanguinem perdidiſſe. Sed eſt ſancta & gravis oratio, & caſtigata & frequen-*

Google

quenter vehemens quoque. Imitator autem eſt Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, ſi quid adjecturus, non ſi quid detracturus fuit.

Etiam Lucius Craſſus.] potius Licinius Craſſus. Apud Gell. *lib.* 1. *cap.* 13. legimus, a Sempronio Aſellione, & pleriſque aliis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditum, eum quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua; quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod Juriſconſultiſſimus, quod Pontifex Maximus. Maximum quoque oratorem nuncupat eum Cic. *in Brut. c.* 36. & *c.* 38. ita de eo diſſerit: *Equidem, quanquam Antonio tantum tribuo, quantum ſupra dixi; tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe perfectius; erat ſumma gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis, lepos. Latine loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: in diſſerendo mira explicatio: cum de jure civili, tum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia.* Imo in explicanda æquitate nihil eo copioſius. *Ita enim multa tum contra ſcriptum pro æquo & bono dixit, ut hominum acutiſſimum Q. Scævolam, & in jure, in quo illa cauſa vertebatur, paratiſſimum, obrueret argumentorum, exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam conſularibus, cauſa illa dicta eſt, cum uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut & juris peritorum eloquentiſſimus Scævola putaretur.*

Et Paulo infra: *Noli, inquam, Brute, exiſtimare, his duobus quidquam fuiſſe in noſtra civitate præſtantius. Nam, ut paulo ante dixi, conſultorum alterum diſertiſſimum, diſertorum alterum conſultiſſimum fuiſſe, ſic in reliquis rebus ita diſſimiles erant inter ſeſe, ſtatuere ut tamen non poſſes, utrius te malles ſimiliorem. Craſſus erat elegantium parciſſimus, Scævola parcorum elegantiſſimus. Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeveritatis ſatis: Scævolæ multa in ſeveritate, deerat tamen comitas.* Conſulatum geſſit anno U. C. 658. cum Q. Scævola. Cic. in *Brut. cap.* 64. cum quo omnes Magiſtratus geſſiſſe, præter Tribunatum & Cenſuram, idem teſtatur. L. Licinii Craſſi oratoris, & Q. Mucii Scævolæ Pontif. Max. oratoris ac JCti Conſulum meminit Aſcon. Pædian. in *Cornel.* Hiſce

Con-

Conſulibus lata eſt lex Licinia & Mucia de regendis in ſua civitate ſociis. Cum enim ſumma cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis ſe gereret, neceſſaria lex viſa eſt, ut in ſuæ quiſque civitatis jus redigeretur, verum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima cauſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit. Sic quoque 3. *off. cap.* 11. *Nam eſſe pro cive, qui civis non ſit, rectum eſt non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules, Craſſus & Scævola: uſu vero urbis prohibere peregrinos, ſane inhumanum eſt.* Proconſul, cum in Gallia rem bene geſſiſſet, eamque ob cauſam triumphum poſtulaſſet, non impetravit, ut tradit Cic. *l.* 1. *de invent.* ubi inquit: *L. Licinio Craſſo Coſ. quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero præditos, ut digni eſſent hoſtes qui populi Rom. eſſe dicerentur; quod tamen excurſionibus & latrociniis infeſtam provinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam redit: triumphum ab Senatu poſtulat.* Verum is ipſi denegatus fuit, ut ſatis manifeſte teſtatur Cic. *in orat. contra L. Piſon.* ubi inquit: *Eadem cupiditate vir ſummo ingenio præditus C. Cotta, nullo certo hoſte, flagravit: eorum neuter triumphavit, quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit.* Ubi ita Pædianus: *Craſſo autem collega fuit Q. Scævola Pontifex: qui cum animadverteret, Craſſo, propter ſummam ejus in Repub. potentiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit Reipub. magis quam collegæ habere rationem: ac, ne fieret, SC. interceſſit. Sed idem provinciam, cujus cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, depoſuerat, ne ſumptui eſſet ærario.*

---

§. 41. *Poſt hos* Quintus Mucius *Publii filius, Pontifex maximus jus civile primus conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo.*

Q. *Mucius Publii filius*] De Publio Mucio, cujus hic filius, ſupra egimus. Avum habuit P. Scævolam, qui Conſulatum geſſit cum M. Lepido anno U. C. 578. ut teſtantur Caſſiodori annales. Fuit autem hic noſter juris diſciplinâ florentiſſimus, hinc toties ejus in jure mentio, neque rarior apud Ciceronem. Orator non infacundus. De eo enim ita Cic. 1. *de orat. cap.* 39. *Cum Q. Scævola, æqualis, & collega meus, homo omnium, & diſciplina juris civilis eruditiſſimus, & ingenio, prudentiaque acutiſſimus, & oratione maxime limatus, atque ſubtilis, atque ut ego ſoleo dicere, juris peritorum eloquentiſſimus, eloquentium juris peritiſſimus &c.* Vide etiam quæ ſupr. de Craſſo annotavimus. Et *in Brut. magnum juris civilis uſum apud Scævolam fuiſſe* tradit. Et *cap.* 44. *eod. Nam Scævolæ dicendi elegantiam ſatis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam.* Sic quoque *cap.* 52. *eod. Quare quis ex populo, cum Q. Scævolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea cauſa, de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exſpectaret, aut poſſe fieri putaret?* In principio Lælii, ſive de amicitia dialogi, eum appellat Romanæ civitatis unum ingenio & juſtitia præſtantiſſimum. Summæ juſtitiæ, qua præſtitit, exemplum tradit Cic. 3. *off.* 15. ubi inquit: *Q. quidem Scævola, P. filius, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel indicaretur, idque venditor ita feciſſet, dixit, ſe pluris æſtimare: addidit centum millia.* Gell. *lib.* 1. *cap.* 9. dicit, eum juris ſcientia celebrem fuiſſe. Sapientiſſimum Conſulem appellat eum Cic. 3. *off. cap.* 11. eo potiſſimum, quod ſummus erat Juriſconſultus. Juris enim prudentes ſæpiſſime ſapientes dicebantur. Recenſet quoque eum inter veteres Juris conditores Gellius *lib.* 4. *cap.* 1. quam juris civilis ſcientiam tanquam gentilem hereditatem accepiſſe merito Bertrandus ait: cum in ea familia permultos fuiſſe juris diſciplina eruditiſſimos legimus, de P. Mucio, de M. Mucio Augure ſæpe ſermonem habet Cic. *in Bruto*, & ubique utriuſque ſummam juris prudentiam prædicat. Hujus enim domum propter mirabilem juris ſcientiam, qua præditus erat, oraculum fuiſſe totius civitatis, teſtatur Cic. *in Bruto*. Qui tot præclaras poſſidebat animi dotes, meritò in Repub. a mino-

Digitized by Google

noribus ad ſummos honores, quos jure ſuo quodammodo ſibi vindicare poterat, evectus fuit. Ita ut omnes geſſerit Magiſtratus, a Tribunatu initium faciens. Tribunus enim plebis fuit anno poſt, quo functus eo Magiſtratu erat L. Craſſus: eoque in roſtris ſedente ſuaſit Serviliam legem Craſſus: verum de ejus Tribunatu nequicquam audiſſe ſe, ſcribit Cic. *in Bruto cap.* 43. In omnibus aliis Magiſtratibus collega Craſſi fuit, excepta Cenſura; cum enim Magiſtratum neminem unquam Scævolarum petiiſſe, tradit Cic. *eod.* Ædilitate magnificentiſſima cum L. Craſſo functus eſt, ut videre eſt apud Cic. 3. *off. cap.* 16. Et cum eodem Conſulatum geſſit anno 658. poſtquam anno U. C. 653. in Prætura collegæ fuiſſent. Deinde Proconſul Aſiam provinciam ſortitus, *eam tam ſancte, tamque fortiter, obtinuit; ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris Magiſtratibus, exemplum atque formam officii Scævolam decreto ſuo proponeret*, teſte Valerio *lib.* 8. *cap.* 15. Quare & ejus provinciæ cives in honorem & memoriam Proconſulis, diem feſtum publicum inſtituerunt, quem MUCIA appellarunt, ut refert Aſcon. Pædian. *in divin. Cic.* Tandem quoque Pontifex Max. creatus eſt: de quo Magiſtratu dicere ei mos erat, Pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui jus civile cognoſſet. Cic. 2. *de leg.* Quemadmodum univerſa hujus viri ſanctiſſimi vita, ita quoque mors illuſtris fuit. Orta enim inter Syllam & Marium contentione, cum Syllæ partibus favere crederetur; inſtigante Mario filio tum Coſ. Damaſippi Prætoris juſſu omnis nobilitas convenit. Obſeſſaque curia, ſic de Senatu, quaſi de carcere, qui jugularentur educti. Vell. *lib.* 2. *cap.* 26. *Damaſippus Prætor Domitium, Scævolam etiam Pontificem maximum & divini humanique juris auctorem celeberrimum, velut faventem Syllæ partibus, in Curia Hoſtilia trucidavit.* Tum Scævola fugiens & Veſtales amplexus aras, in Curia Hoſtilia C. Fimbriæ juſſu trucidatus eſt, cadavere in flumen abjecto. Licet Valerius *lib.* 9. *cap.* 11. non occiſum, ſed vulneratum ſolum modo velit; cum inquit: *Non tam atrox eſt C. Fimbriæ factum & dictum: ſed ſi per ſe æſtimetur, utrumque audaciſſimum: is egerat, ut Scævola in funere C. Marii jugularetur: quem poſtquam ex vulnere recreatum comperit,*

perit, accuſare ad populum inſtituit. Interrogatus deinde quid de eo ſecus dicturus eſſet, cui pro ſanctitate morum ſatis digna laudatio reddi non poſſet: reſpondit, ſe objecturum illi, quod parcius corpore telum recepiſſet. Cicero tamen eum occiſum aperte teſtatur *in orat.* pro *Q. Roſcio Amer.* ubi inquit: *Quo Pop. Rom. nihil vidit indignius, niſi ejus viri mortem, quæ tantum potuit, ut omnes cives ſuos perdiderit & afflixerit, quos quia ſervare per compoſitionem volebat, ipſe ab iis interemptus eſt.* De interitu hujus magni viri ita canit Lucanus *lib.* 2. *verſ.* 126.

Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipſum penetrale Deæ, ſemperque calentes
Mactavere focos: parvum ſed feſta Senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

De ejus magni viri morte ita Auguſt. de *civit. Dei lib.* 3. *cap.* 28. *Mucius Scævola Pont. Max. quoniam nihil aliud apud Romanos, nihil templo Veſtæ ſanctius habebatur, aram ipſam amplexus, occiſus eſt: ignemque illum, qui perpetua cura virginum ſemper ardebat, ſuo pene ſanguine extinxit.* Huic JCto plurima juris prudentia Romana accepta ferre debet, quæ ſingulari commentario complexus eſt Balduinus, de *Juris prudentia Muciana.* Ab eo cautio Muciana, cujus paſſim in jure mentio. *l.* 79. §. 2. *ff. de cond. & demonſt.* *Qui poſt Mucianam cautionem legatum accepit, ſi contra cautionem aliquid fecerit, ſtipulatione commiſſa, etiam fructus, heredi reſtituit: hoc enim legatarius & in exordio cavere cogitur.* Et *§.* 3. *eod.* *Quamvis uſusfructus, cum morietur legatarius, inutiliter legetur, tamen cautionis Mucianæ remedium, uſufructu quoque ſub conditionem alicujus non faciendi locum habet.* Scripſit quoque libros ὍΡΩΝ, ut conſtat ex indice Juſtiniani. Compoſuit præterea, ut Pomponius affirmat, libros decem & octo, quibus jus civile, quod antea confuſe & præpoſtere, nullaque docendi ratione adhibita ab anterioribus in jure civili traditum erat, in artem redegit. Ad quos libros notavit JCtus Pomponius, ut apparet ex inſcriptione *l.* 39. *ff. ad L. Aquil.* Et *lib.* 40. *ff. de action. empt. & vend.* Ad eoſdem quoque libros notaſſe videtur Servius,

Digitized by Google

vius, ut videre eſt in *l.* 3. §. 6. *ff. de penu leg.* Unde apud Gell. *lib.* 4. *cap.* 1. *Præterea de penu adſcribendum putavi, Servium Sulpicium in reprehenſis Scævolæ capitibus ſcripſiſſe, Sejo Ælio placuiſſe non quæ eſui tantum & potui forent, ſed thus quoque & cereos in penu eſſe.*

---

§. 41. *Mucii auditores fuerunt complures: ſed præcipuæ auctoritatis* Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gajus Juventius, *ex quibus Gallum maximæ auctoritatis apud populum fuiſſe, Servius dicit: omnes tamen hi à Servio Sulpicio nominantur, alioquin per ſe eorum ſcripta non talia exſtant, ut ea omnes adpetant: denique nec verſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominum, ſed Servius libros ſuos complevit: pro cujus ſcriptura, ipſorum quoque memoria habetur.*

AQuilius Gallus] Cajus Aquilius Gallus eques Romanus Plin. *lib.* 7. *cap.* 1. a Q. Mucio Pontifice Max. jus civile didicit; in quo maxime exercitatus fuit; dicit eum Tullius *in Bruto* hominem acutum & exercitatum, qui promptam & paratam in agendo & reſpondendo celeritatem obtinuit, quo contigit, ut apud populum Romanum maximæ fuerit auctoritatis, auctore Pomponio; ſummis laudibus eum proſequitur Cic. *in orat.* pro *Cæcinn.* ubi inquit: *Hoc loco percommode accidit, quod non adeſt is, qui paulo ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, vir ornatiſſimus C. Aquilius. Nam ipſo præſente, de virtute ejus & prudentia timidius dicerem, quod & ipſe pudore quodam afficeretur ex ſua laude, & me ſimilis ratio pudoris a præſentis laude tardaret. Cujus auctoritati dictum eſt ab illa cauſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro ne plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctori-*

ſloritatem nimium valere, cujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit: qui juris civilis rationem, nunquam ab æquitate ſejunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Romano promptam expoſitamque præbuerit: qui ita juſtus & bonus vir eſt, ut natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, ut ex jure civili non ſcientia ſolum quædam, verum etiam bonitas nata videatur: cujus tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut, quicquid inde hauriaſ, purum, liquidumque te haurire ſentias. In evolvendis Digeſtorum libris multa nobis occurrunt Aquilianæ jurisprudentiæ veſtigia, ut in *l.* 6. §. 2. *ff. ſi ſervit. vind. l.* 17. §. 6. *ff. de action. empt. l.* 30. §. 40. *ff. de legat.* 1. Et *l.* 29. §. 1. *ff. de legat.* 3. aliisque pluribus locis. Ab eo quoque ſtipulationes Aquilianæ denominatæ, quarum formulam deſcribit Florentinus in *l.* 18. §. 1. *ff. de acceptil.* Et Juſtinianus in §. 1. *inſt. quibus mod. toll. oblig.* Huic autem juris diſciplinæ ſuſtinendæ adeo ſeſe tradidit, ut veroſimile ſit ejus gratia Conſulatum nunquam periiſſe. Cæterum Prætura functus eſt, in qua collegam habuit M. Tullium Ciceronem, quo tempore apud Ciceronem de pecuniis repetundis quærebatur, & de ambitu apud C. Aquilium cauſa dicebatur. Hinc appellat eum Tullius collegam & familiarem ſuum. Cic. *Pro Cluent. Quid mea de pecuniis repetundis? Quid C. Aquilii, apud quem nunc de ambitus cauſa dicitur.* Et in *Topic. Solebat Aquilius collega & familiaris meus, cum de littoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe vultis, quærentibus iis, ad quos id pertinebat, quid eſſet littus ita deſinere, qua fluctus eluderet.* Et in 3. *offic. cap.* 14. *Sed quid faceret? nondum Aquilius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis cum ex eo quæreretur, quid eſſet dolus malus: reſpondebat, cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum.* Sic quoque 3. *de nat. Deor. Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noſter protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud ſit ſimulatum, aliud actum.* Celebre autem eſt illud æquitatis & juſtitiæ, quam profeſſus eſt juris noſtri verus ſacerdos Aquillius, exemplum, quod memoriæ prodidit Valer. *lib.* 8. *cap.* 2. ubi inquit: Quod cum

C.

Digitized by Google

C. Viſellius Varro gravi morbo correptus, trecenta millia nummum ab Otacilia Laterenſi, cum qua commercium libidinis habuerat, expenſa ferri ſibi paſſus eſt; eo conſilio, ut ſi deceſſiſſet, ab heredibus eam ſummam peteret, quam legati genus eſſe voluit, libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando. Evaſit deinde Viſellius ex illa tempeſtate adverſus vota Otaciliæ. Quæ offenſa, quod ſpem prædæ ſuæ morte non maturaſſet, ex amica obſequenti, ſubito diſtrictam fœnerationem agere cœpit, nummo petendo; quos ut fronte inverecunda, ita inani ſtipulatione captaverat. De qua re C. Aquillius, vir magnæ auctoritatis, & ſcientia juris civilis excellens, judex adductus, adhibitis in conſilium principibus civitatis, prudentia & religione ſua mulierem repulit. Domum habuit, ut ſcribit Plinius *lib.* 17. *cap.* 1. in colle Viminali, omnium conſenſu multo pulcherrimam ea ætate.

L. Lucilius Balbus.] Meminit hujus Lucilii Balbi Cicero in *Bruto cap.* 42. ubi eum vocat hominem doctum & eruditum, juris peritiſſimum, conſiderata tarditate præditum. Cujus ſub auſpiciis juri civili operam dedit Servius Sulpicius, a quo diſcipulo maxime videtur illuſtratus. Errat autem Rutilius, quod hunc eundem putat, quem Cicero in libris de *natura Deorum* diſputantem introducit: qui in Stoica diſciplina tantos fecerat progreſſus, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. De utroque ſermonem habet Cic. *ad Attic. lib.* 8. *epiſt.* 9. illum majorem, hunc minorem ſive juniorem vocat. *Sed hæc omittamus* (inquit) *augemus enim dolorem retractando. VI. Kalend. veſperi Balbus minor.* (Cui Cornelio nomen fuit) *ad me venit &c.* & Paulo infra; *Balbus quidem major ad me ſcribit &c.* Fuit hic patruus minoris; vid. quoque Plin. *lib.* 5. *cap.* 5. & Cic. *epiſt.* 7. *lib.* 10. *ad famil.*

Sextus Papyrius.] Numeratur quoque a Pomponio Sextus Papyrius inter auditores Q. Mucii; hujus ſcripta quidem non extant per ſe, ut inquit noſter JCtus, eaque inter manus hominum non verſantur, verum ea Servius in libros ſuos traduxit. Qua ratione Sexti cæterorumque Mucii auditorum, qui in hoc recenſentur §. memoriam ab oblivione vindicavit.

Cajus Juventius.] Putat Coraſius legendum T. Juventius, idque

idque Tullii auctoritate: Ejus mentionem facit Cic. *in Bruto c.* 48. ubi inquit: *In eodem genere cauſarum multum erat T. Juventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, & pene frigidus: ſed & callidus, & in capiendo adverſario verſutus, & præterea nec indoctus, & magna cum juris civilis intelligentia. Cujus auditor P. Orbius, meus fere æqualis, in dicendo non minus exercitatus, in jure autem civili non inferior, quam Magiſter fuit.*

---

§. 43. Servius *cum in cauſis orandis primum locum, aut pro certo poſt Marcum Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Quintum Mucium de re amici ſui perveniſſe: cumque eum ſibi reſpondiſſe de jure Servius parum intellexiſſet, iterum Quintum interrogaſſe, & à Quinto Mucio reſponſum eſſe, nec tamen percepiſſe: & ita objurgatum eſſe à Quinto Mucio: namque eum dixiſſe, turpe* eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare: *ea velut contumelia Servius tractatus, operam dedit juri civili: & plurimum eos, de quibus locuti ſumus, audiit: inſtitutus à Balbo Lucilio; inſtructus autem maxime à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinæ. Itaque libri complures ejus exſtant Cercinæ confecti. Hic cum in legatione periiſſet, ſtatuam ei populus Romanus pro Roſtris poſuit; & hodieque exſtat pro Roſtris Auguſti; hujus volumina complura exſtant; reliquit autem prope centum & octoginta libros.*

Servius Sulpicius] Ser. Sulpicius. Q. F. Lemonia, Rufus (tot enim habuit cognomina, ut patet ex Cicerone, *Philipp.* 9.) ex antiquiſſima nobiliſſimaque Romæ Sulpiciorum familia oriundus fuit. Is in prima juventute ſe totum eloquen-

quentiæ exercitationibus, Philoſophiæque ſtudiis dedit, in quibus ut majores indies faceret progreſſus, Rhodum cum Cicerone ſeſe contulit; ita enim Cic. *in Brut. cap.* 41. *Et ego, de me, inquam, dicere nihil eſt neceſſe: de Servio autem & tu probe dicis, & ego dicam quod ſentio. Non enim facile quem dixerim plus ſtudii, quam illum & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. Nam & in iiſdem exercitationibus ineunte ætate fuimus; & poſtea una Rhodum ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet & doctior.* Votique ſui compos factus eſt, cum, ut inquit Pomponius, in cauſis orandis primum locum, aut certe poſt M. Tullium, obtinuerit. Verum hac gloria non contentus, cum inde rediit, ad juris diſciplinam excolendam applicuit animum, in qua maluit eſſe primus, quam in eloquentia Ciceroni æqualis. *Videtur mihi*, inquit Cic. *dict. loc. in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundus.* Nec fefellit opinionem eventus, quippe longe omnium, non ejuſdem modo ætatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in jure civili principem eſſe ei contigit. Ita Cic. *in Bruto cap.* 41. *Hic Brutus, Ain' tu? inquit, etiam Q. Scævolæ Servium noſtrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, exiſtimo, juris civilis magnum uſum & apud Scævolam, & apud multos fuiſſe: artem in hoc uno: quod nunquam effeciſſet ipſius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia.* Et mox: *Recte, inquam, intelligis, ſed adjunxit etiam & litterarum ſcientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex ſcriptis ejus, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpici poteſt.* Et *Philipp.* 9. *Nam reliqua Servii Sulpicii vita multis erit, præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendata, ſemper illius gravitatem, conſtantiam, fidem, præſtantiam, in Republica tuenda curam, atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero ſilebitur admirabilis quædam & incredibilis, & pene divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, ſcientia. Omnes, ex omni*

 æta-

ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Servio Sulpicio non ſunt comparandi. Juris civilis auctorem, & virum bene literatum vocat eum Gell. *lib.* 2. *cap.* 10. Quintilianus *juris antiſtitem* appellat *lib. XI. cap.* 1. *inſt. orat.* Objurgationem Q. Mucii cauſam fuiſſe refert Pomponius, quæ Servium impulit, ut juri civili daret operam, uti in hoc noſtro videre eſt §. ad quam reprehenſionem Mucii quidem reſpexiſſe volunt Ciceronem *in Oratore*, cum inquit: *Quid eſt turpius, quam legitimarum & civilium controverſiarum patrocinia ſuſcipere, cum ſit legis & civilis juris ignarus.* Honores multi in eum fuere collati, Quæſturam cum L. Muræna petens obtinuit, Provinciamque ſortitus eſt Hoſtienſem non tam gratioſam & illuſtrem, quam negotioſam & moleſtam, ut ait Cic. *pro Muræna.* Deinde Prætor renunciatus, Quæſtionem peculatus exercuit, ut teſtatur Cic: *pro Muræna*, ubi Præturam Servii deſcribit: *Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatus: ex altera parte lachrymarum & ſqualoris: ex altera plena catenarum atque judicum. Cogendi judices, inviti retinendi contra voluntatem. Scriba damnatus, ordo totus alienus, Syllana gratificatio reprehenſa: multi viri fortes, & prope pars civitatis offenſa eſt, lites ſevere æſtimatæ, cui placet obliviſcitur: cui dolet, meminit. Poſtremo tu in Provinciam ire noluiſti.* Poſtea vero Conſulatum petens, & L. Murænam competitorem habens, ab eo ſuperatus eſt, quod adeo ægre tulit, ut eum ambitus accuſaverit, verum defenſus a Cicerone, hujus criminis abſolutus eſt. Attamen Conſulatum obtinuit cum M. Claudio Marcello anno U. C. 702. ut Dio, Caſſiodorus, Plutarchus teſtantur. Et Liv. *Epitom.* 108. *In petitione Conſulatus M. Cato repulſam tulit, creatis Coſſ. Ser. Sulpicio & M. Marcello.* Sic quoque Lentulus in *epiſt.* ad Senatum *l.* 12. *ad famil. Fœdere quoque, quod cum his, M. Marcello, Ser. Sulpicio renovatum erat: quo juraverant Rhodii, eoſdem hoſtes ſe habituros, quos S. P. Q. R.* Anno ante Conſulatum, turbata jam Repub. Interrex creatus eſt, atque ſine collega, Conſulem declaravit Pompejum ad V. Kalend. Martias, ex Senatus ſententia.

Inſtitutus a Balbo Lucilio: inſtructus autem maxime a Gallo Aqui-

Aquilio, qui fuit Cercinæ.] De duobus hiſce juris peritis, quibus in jure civili uſus eſt Servius, ſtatim egimus; verum opinatur Coraſius & Muretus, pro *Cercina*, hic legendum Cecinna, ſive Cecina, quia non veroſimile eſt Gallum Aquilium, a quo potiſſimum inſtitutum Servium Pomponius tradit, tam procul Roma abfuiſſe, ut Cercinnam inſulam incoleret, qui in litibus Romæ judicandis perpetuo occupatus erat: Eſt enim Cercina inſula in Africa, teſte Mela *lib.* 2. *cap.* 7. *In Africa*, inquit, *contra majorem Syrtim Euteletos, contra minoris promontoria, Meninx & Cercina.* Verum errat Coraſius, dum Cecinnam dicit oppidum in Etruria, & agro Volaterrano, non procul a Piſis, a Cecinna fluvio, qui muros alluit, ſic appellatum: nuſpiam enim talis oppidi denominatio, neque apud Melam, neque alios Geographos occurrit, quod legiſſe me memini. Legimus apud Plin. de fluvio Cecinna *l.* 3. *cap.* 4. Verum oppidi, quod a fluvio denominationem haberet, nulla fit mentio, quare nihil mutandum alii cenſent; idque eo magis, quod Juriſconſultus hic bis *Cercinæ* mentionem facit, & hujuſmodi repetitio deliberationem præſupponit.

Hic cum in legatione periiſſet] Cæſare mortuo, cum Mutinæ Decium Brutum obſideret M. Antonius, ut ab inceptis deſiſteret, & ad ſaniorem rediret mentem, Senatus decrevit, ut tres legati mitterentur ad Antonium, qui a deſperatis illum conſiliis ad pacem & ſanitatem revocarent. Quorum in numero fuit Ser. Sulpicius. Qui, quamvis illam legationem ob adverſam valetudinem potius declinare voluiſſet, attamen amore patriæ eam ſuſcepit. Verum ingraveſcente indies in itinere morbo, priusquam ad Antonium perveniſſet, prope caſtra ejus vitam cum morte commutavit. Quamobrem contendit Cicero *Philipp.* 9. opponente ſeſe Publio Servilio, ut ei ſtatua pro roſtris poneretur, *Reddite igitur*, inquit, *Patres conſcripti, ei vitam, cui ademiſtis; vita enim mortuorum in memoria vivorum eſt poſita. Perficite, ut is, quem vos ad mortem inſcii miſiſtis, immortalitatem habeat a vobis. Cui ſi ſtatuam in roſtris decreto veſtro ſtatueritis, nulla ejus legationem poſteritatis inobſcurabit oblivio.*

Statuam ei populus R. pro roſtris poſuit.] Hanc ei ſtatuam non ponendam cenſuit, ut ſtatim diximus, Publ. Servilius, propterea quod hic honos iis tantum debebatur, qui ferro in legatione eſſent interfecti, contra vero ſentiebat Cicero. *Ego*, inquit, *P. C. ſic interpretor ſenſiſſe majores noſtros, ut cauſam mortis cenſuerint, non genus eſſe quærendum. Etenim cui legatio ipſa morti fuiſſet, ejus monumentum extare voluerunt, ut in bellis periculoſis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla majorum quærenda, ſed conſilium eſt eorum, a quo ipſa exempla nata ſunt, explicandum.* Et in fine: *Quas ob res ita cenſeo. Cum Ser. Sulpicius, Qu. F. Lemonia, Rufus, difficillimo Reip. tempore, gravi periculoſoque morbo affectus, auctoritatem Senatus, ſalutemque Reipub. vitæ ſuæ præpoſuerit, contraque vim, gravitatemque morbi contenderit, ut ad caſtra Antonii, quo Senatus eum miſerat, perveniret: iſque cum jam prope caſtra veniſſet, vi morbi oppreſſus, vitam amiſerit in maximo Reipub. munere: ejuſque mors conſentanea vitæ fuerit, ſanctiſſime honeſtiſſimeque actæ, in qua ſæpe magno uſui Reipub. Ser. Sulpicius & privatus & in Magiſtratibus fuerit, cum talis vir ob Rempub. in legatione mortem obierit, Senatui placere, Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in Roſtris ex hujus ordinis ſententia ſtatui, circumque eam ſtatuam locum gladiatoribus, ludiſque liberos, poſteroſque ejus quaqua verſus pedes quinque habere, quod is ob Remp. mortem obierit, eamque ob cauſam in baſi inſcribi: utique C. Panſa, A. Hirtius, Conſules, alter, ambove, ſi eis videbitur, Quæſtoribus urbis imperent, ut eam baſim ſtatuamque faciendam, & in Roſtris ſtatuendam locent: quantique locaverint, tantam pecuniam redemtori ſolvendam, attribuendamque curent. &c.* De Roſtris hic nihil dicemus, cum de iis egimus ad §. 4. *h. t.*

Hujus volumina complura extant: reliquit autem prope centum & octoginta libros.] Horum complures Cercinæ confectos tradit Pomponius. Imprimis fecit notas ad Q. Mucii Scævolæ ſcripta, quorum meminit Paulus in *l.* 30. *ff. pro Socio. Servius*, inquit, *in notatis Mucii ait, nec poſſe ſocietatem ita contrahi, &c.* Scripſit præterea de dotibus librum ſingularem, de quo Gell. *lib.* 4. *cap.* 4. *Sponſalia in ea parte Italiæ, quæ Latium*

Digitized by Google

tium appellatur, hoc more atque jure ſolita fieri ſcripſit Servius Sulpicius in libro, quem ſcripſit de dotibus. Et Neratius in *l.* 8. *ff. condict. cauſ. dat. Quod Servius in libro de dotibus ſcribit, &c.* Compoſuit & de *Teſtamentis* libros duos, ut ex Gellio perſpicimus *l. 6. c.* 12. Niſi in eo loco malis legere de *deteſtandis ſacris*, ut putat Scaliger in notis ſuis ad *Feſtum*. Cujus opinionem amplecti nequeo, quia ibi de teſtamentis ſermonem habens Gellius, ſcil. qua ratione *teſtamentum* verbum duplex eſſe ſcripſerit Ser. Sulpicius, veroſimile eſt hanc Servii ſententiam in libris, quos de teſtamentis compoſuit, atque ubi de iis ſpecialiter tractavit, inveniſſe. Propriaque illa teſtamenti Etymologia, quam ex libris Servii refert Gell. quod eſt mentis conteſtatio, ad teſtamentariam materiam pertinet. Ad *Edictum* quoque libros duos compoſuit, quos ad Brutum inſcripſit, eos perquam breviſſimos fuiſſe teſtatur Pomponius in *fin. ſequent.* §. Hinc Ulpianus *in l. 5. ff. de inſt. act. Nam & Servius libro primo ad Brutum ait &c.* Reſponſa ejus plurima in Digeſtis occurrunt, relata potiſſimum ab Alpheno & Mela. Præclarum ejus reſponſum extat in *l.* 21. *ff. de negot. geſt.* ubi inquit Paulus: *Nam & Servius reſpondit (ut eſt relatum apud Alphenum libro trigeſimo nono Digeſtorum) cum a Luſitanis tres capti eſſent, & unus ea conditione miſſus, uti pecuniam pro tribus adferret, & niſi reddidiſſet, ut duo pro eo quoque pecuniam darent, iſque reverti noluiſſet, & ob hanc cauſam illi pro tertio quoque pecuniam ſolviſſent, Servius reſpondit æquum eſſe, Prætorem in eum reddere judicium.* Ejus reſponſum quoque refert Pomponius in *l,* 57. *ff. de leg.* 3. Ad leges duodecim tabb. quoſdam ſcripſiſſe commentarios, colligi poſſe videtur ex *l.* 237. *ff. de verb. Sig.*

---

§. 44. *Ab hoc plurimi profecerunt: fere tamen hi libros conſcripſerunt:* Alfenus Varus, Gajus, Aulus Ofilius, Titus Cæſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa, Flavius Priſcus, Gajus Atejus, Pacuvius,

Labeo Antiſtius, Labeonis Antiſtii pater, Cinna, Publicius Gellius. *Ex his decem, libros octo conſcripſerunt, quorum omnes qui fuerunt, libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius, ex quibus Varus & Conſul fuit: Ofilius in equeſtri ordine perſeveravit, is fuit Cæſari familiariſſimus: & libros de jure civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit: nam* de legibus Viceſimæ *primus conſcripſit, de Juriſdictione: idem edictum Prætoris primus diligenter compoſuit: nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam breviſſimos ad edictum ſubſcriptos reliquit.*

Ab hoc plurimi profecerunt] Enumerat hic JCtus diſcipulos, qui juris civilis diſciplinam a Servio didicerunt, ejusque ſub auſpiciis tantos in ea fecerunt progreſſus, ut omnes fere libros conſcripſiſſe teſtetur Pomponius, maximum argumentum & prudentiæ, & doctrinæ Servii.

Alphenus Varus] P. Alphenus Varus, Cremonæ natus, dignus ut inter Servii diſcipulos numeretur, cum propter doctrinam, tum etiam ſummam auctoritatem, quam ſibi paraverat; rerum antiquarum non incurioſus, ut tradit Gell. *lib.* 6. *cap.* 5. Diu in natali ſolo ſutrinam exercuit, ſi Acronio antiquo Horatii interpreti fidem habeamus. De eo Horatium ceciniſſe putant *lib.* 1. *Sat.* 3.

- - - - - - - - Alphenus vafer omni
Abjecto inſtrumento artis clauſaque taberna,
Sutor erat; ſapiens operis ſic optimus omnis.
Eſt opifex, ſic rex ſolus.

Quia abjecta arte, clauſaque taberna Romam ſe contulit, &

& Sulpicio J&to operam dedit, tandemque in juris ſcientia ita excelluit, ut vel Conſulatum obtinuerit. Anno enim U. C. 754. cum Pub. Vinucio Conſulatum geſſit. Vafrum eum appellat Horatius, ob aſtutiam & ſagacitatem & vafritiem, ſubtilitatemque ad jus interpretandum aptam. Sic Cic. *lib.* 1. *de nat. Deorum*: *Chryſippus, qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus habetur interpres. Vafer*, ut tradunt Grammatici, quaſi valde *Afer*, propter inſitam genti Africanæ calliditatem. Hoc quoque nomen juri appoſuit Horat. *lib.* 2. *Sat.* 2.

> - - - - - - - - *Nos expulit ille,*
> *Illum aut nequities, aut Vafri inſcitia juris.*

Vafrum jus dicit, inquit Guliel. Grot. quia magna ejus pars tunc temporis in cautionibus & formulis conſiſtebat, quas qui optime callebat, ſæpe ſuperior erat adverſario. Scripſit Digeſtorum libros quadraginta, ut ex indice Juſtinianeo perſpicimus, libri trigeſimi quarti meminit Gell. *lib.* 6. *cap.* 5. Et Paulus *l.* 21. *ff. de negot. geſt.* Hos libros Paulus in epitomen redegiſſe perſpicimus ex inſcriptione *l.* 30. & 31. *ff. locat.* & *l.* 44. *ff. de evict.* cujus inſcriptio, *Alphenus libro ſecundo Digeſtorum a Paulo Epitomatorum. l.* 45. *ff. eod.* Præterea conſtat eum quoque ſcripſiſſe collectaneorum ſive conjectaneorum libros quatuor, Gell. *lib.* 6. *cap.* 5.

C. Aulus Ofilius.] Libenter eorum opinioni ſubſcribo, qui Cajum prænomen Ofilii eſſe aſſeverant, expuncta virgula, quæ poſt Cajum ponitur, idque eo magis, quod numerus denarius ſibi non conſtaret, ſi quis Cajum hoc loco in Juriſconſultorum numero habendum exiſtimaret. Fuit hic noſter. C. Aulus Ofilius equeſtris dignitatis, Servii Sulpicii auditor, a quo jus civile didicit, atque vivente adhuc Servio ſummam auctoritatem habuit in reſpondendo, adeo ut litigantes eum juxta Servium conſulerent, ut colligimus ex Cic. *ad fam. l.* 7. *epiſt.* 21. ubi inquit: *Silii cauſam te docui, is poſtea fuit apud me, cum ei dicerem, tibi videri ſponſionem illam nos ſine periculo facere poſſe, ſi bonorum Turpiliæ poſſeſſionem, Q. Cæpio Prætor ex edicto ſuo mihi dedit, negare ajebat Servium, tabulas teſtamenti*

menti eſſe eas quas inſtituiſſet is, qui factionem teſtamenti non habuerit; hoc idem Ofilium dicere, tecum ſe locutum negabat: meque rogavit, ut ſe & cauſam ſuam tibi commendarem. Vixit autem Octavii Cæſaris imperio, cui familiariſſimus fuit, quo tempore & floruit Trebatius, qui, quamvis juris peritiſſimus, eo tamen Ofilium doctiorem fuiſſe, tradit Pomponius. §. 45. Reliquit libros de jure civili plurimos, qui omnem partem operis fundarent, *de legibus viceſimæ*, de *juriſdictione*, ad *Edictum Prætoris*, ut patet ex *l.* 1. *ff. ne quis eum qui in jus voc.* ad quod eum diligenter ſcripſiſſe, notat Pomponius. Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam breviſſimos ad edictum ſubſcriptos ediderat. Præterea libros *actionum* reliquit ad minimum ſexdecim, quippe ſexti decimi fit mentio in *l.* 3. §. 5. & 8. *ff. de penu leg.* & juris partiti libros quinque, ut videre eſt in *l.* 55. § 1. *ff. de legat.* 3. Ad Atticum quoque ſcripſiſſe, colligimus ex *l.* 234. §. 2. *de verb. ſig.* pariterque ex eo peſpicimus, eum in proprietate verborum indaganda admodum occupatum fuiſſe. Hujus uxor fuit Clodia, quam Plin. *lib.* 7. *c.* 48. refert vixiſſe 115. annos, & quindecies enixam fuiſſe.

Titus Cæſius] De hoc Juriſconſulto nihil certi affirmari poteſt, ignotus enim plane; refert inter oratores Marc. & Sext. Cæſios Tullius. Scripſit quoque ad P. Cæſium literas Cicero, tanquam ad Juriſconſultum & patronum, *lib.* 13. *Epiſt.* 5. *ad fam.* Verum ea ad hunc noſtrum nihil pertinent, cum ob nominis diverſitatem, tum etiam ob temporis rationem.

Aufidius Tucca.] Quiſnam hic fuerit Aufidius Tucca, non certo conſtat: num idem ille fuerit, qui ſuperfuit Virgilio, ab eoque heres ex parte ſcriptus fuit, admodum dubito, idque eo magis, quod prænomen ei fuit Plotius, ut Donatus annotavit. Mentio quoque fit in annalibus C. Servilii Tuccæ, quem anno U. C. 469. cum L. Cæcilio Metello Conſulem fuiſſe legimus, verum prænominis diſparitas non patitur, ut illud de noſtro Tucca intelligamus. Itaque cum divinare non poſſimus, quiſnam fuerit hic noſter Aufidius Tucca, de quo Pomponius habet ſermonem, lectoris arbitrio litem decidendam relinquimus.

Au-

Digitized by Google

Aufidius Namuſa) Hujus mentio in Pandectis paſſim fit, allegatur ejus auctoritas ab Ulpiano & Paulo in *l.* 5. *§.* 7. *ff. commod. Nam & ſi ſervum tibi tectorem commodavero, & de machina ceciderit, periculum meum eſſe Namuſa ait.* Et *l.* 2. *§.* 6. *ff. de aqua & aqua pluv. arcend. Apud Namuſam relatum eſt &c.* Ab eo ait Pomponius condiſcipulorum ſuorum ſcripta in centum quadraginta libros digeſta fuiſſe.

Flavius Priſcus) Hic fides habenda Pomponio, nihil enim certi de hoc Juriſconſulto affirmari poteſt; ſupra de C. Flavio commentati fuimus, verum id minime ad hunc noſtrum referri poteſt. Itaque quiſnam hic fuerit, iterum lectori divinandum relinquimus.

Cajus Attejus Pacuvius) Etiam & hic ignotus.

Labeo Antiſtius, Labeonis Antiſtii pater) Labeonum nomen a labiorum magnitudine familiæ inditum, ut a naſo Naſones, vid. Plin. *lib.* 11. *cap.* 37. Et Donat. in *Eunucho Terent. act.* 2. *ſcen.* 3. Fuit autem hic Antiſtius Labeo pater ſapientiæ nomine illuſtris, qui, Cæſare relicto, Pompejum ſecutus eſt, obtruncatoque Cæſare, Brutum. Tantique fuit animi, ut poſt aciem Pharſalicam, Bruto & Caſſio cæſis, ipſis ſupereſſe nolens ſibi mortem invenerit. Ita enim Appian. *de bell. civ. lib.* 4. *Labeo item vir notæ ſapientiæ, pater Labeonis ejus, qui nunc quoque inter Juriſconſultos celebratur, effoſſa in tentorio ad ſui corporis modum fovea, ubi reliqua ſervis mandavit, uxori quoque & liberis ſcripſit quæ voluit, & literas ſervis commiſit: fidiſſimum autem ex his dextra prehenſum circumegit, ut mos eſt Romanis libertas facientibus: moxque gladium ei dedit, & jugulum præbuit. Et huic quidem tentorium pro ſepulchro fuit.*

Cinna.] De hoc Juriſconſulto nihil quicquam certi affirmari poteſt; exiſtimat Bertrandus, eundem illum eſſe, quem Caſſiodorus in Chronicis tradit Conſulem fuiſſe cum L. Valerio anno U. C. 758. temporibus Auguſti Cæſaris; Servii enim diſcipulum, ea ætate vixiſſe, certum eſt. Cui opinioni quoque Coraſius ſubſcribit. Verum quæcunque hi Juriſconſulti adferunt argumenta, examinat Gulielm. Grotius, atque ea huic noſtro convenire non poſſe, ſatis aperte oſtendit. Quod de Conſule Cinna dicitur apud Senecam, qui anno 758. Conſul

Digitized by Google

fuit, id L. Cinnæ tribuendum arbitratur, qui in Cæſarem conjuraverat. Idque eo magis, quod eum appellat ſtolidi ingenii virum, quod in Juriſconſultum noſtrum non quadrat. Quemadmodum alius quoque ab eo eſt Cinna Poëta, qui *Smyrnam* ſcripſit, cujus meminit Catullus *Epigram.* 96.

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
Quam cœpta eſt, nonamque edita poſt hiemem.

Verum ſi noſter vixit tempore Auguſti, ut quidam tradunt, & hunc Poetam ante Auguſti ævum vixiſſe ex commentariis, quos in Smyrnam Cinnæ ſub Auguſto Grammaticus L. Craſſitius Paſides ſcripſerit, conſtat, ſequitur, hunc alium a noſtro fuiſſe. Suet. *de illuſtr. gram.* In jure civili noſtrum verſatum fuiſſe, oſtendunt ejus ſcripta, quorum meminerunt Juriſconſulti Javolenus in *l.* 40. *§.* 1. *ff. de condit. & demonſt.* & Ulpianus in *l.* 6. *ff. de ritu Nupt.*

Publicius Gellius) Non conveniunt inter ſe Doctores neque de prænomine, neque cognomine hujus Juriſconſulti. In Pandectis Florentinis legitur *Publicius Gellius*, quam lectionem, qui oppugnant, dicunt, Publicii nomen, itemque Gellii diverſarum familiarum eſſe cognomina, & conſequenter jungi non poſſe; quod falſum eſſe oſtendit Gulielm. Grotius *de vitis JCtorum l.* 1. *cap. XI.* ex Valerio Max. *lib.* 9. *cap.* 14. ubi Publicii cujuſdam libertini mentio fit. Et ex *l.* 24. *ff. quando dies leg. ced.* ubi Publicius prænominis loco eſt. Et Ulpianus *l.* 18. *ff. de ſtat. hom.* ubi D. Adrianus Publicio Marcello reſcripſiſſe dicitur. Hotomanus Publicola Gellius legendum cenſet, ut ſit L. Gellius Publicola, quem Cic. *in Brut. cap.* 47. dicit non tam vendibilem eſſe oratorem, quam ut neſcires quid ei deeſſet: *nec enim*, inquit, *erat indoctus, nec tardus ad cogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis ſolutus ſatis.* Verum ut quidam ad huuc Ciceronis locum ſumma cum ratione annotarunt, ex eo colligi non poteſt, de L. Gellio Publicola ſermonem Tullium habere, quoniam nulla hujus prænominis ſive nominis fit mentio; quemadmodum nec ex eo evinci poteſt, cum Juriſconſultum fuiſſe. Et quid ſi eum

Ju-

Juriſconſultum fuiſſe concedamus, ut inquit Grotius, *cit. loc. ut tamen is auditor Servii & Vari aliorumque, qui ſub Auguſto floruerunt, coævus fuerit, temporum ratio non permittit. Subjungitur enim a Cicerone L. Craſſo & Marco Antonio & reliquis prioris ævi oratoribus; quod ſi ita eſt, non potuit a Servio proficere iſte Gellius, qui aliquot ante Ciceronis Conſulatum annis & Conſul & Cenſor fuit, ut ex Faſtis videre eſt.* Pub. Rutilius *de vet. JCtorum vitis*, & eum ſecutus Coraſius ad *h. t.* malunt legere Publium Cæcilium, quam Publicium Gellium, ſed qua nixi auctoritate, incertum. Aliquoties Cæcilii apud Gellium fit mentio, cum Cæcilii poetæ *lib* 17. *cap.* 21. tum Senatoris *lib.* 7. *cap.* 14. ubi pro C. Acilio Senatore, Cæcilio reponendum quidam annotarunt. De Sexto Cæcilio Juriſconſulto ſermonem habet *lib.* 20. *c.* 1. eumque in diſciplina juris atque legibus populi Romani noſcendis interpretandiſque, ſcientia, uſu, auctoritateque illuſtrem fuiſſe teſtatur. Verum de hoc noſtro Gellium intelligi non poſſe, ex eo ſatis conſtat, quod ejus fuit coetaneus, quo familiariter uſus eſt Gellius, & conſequenter floruit ſub Trajano, adeoque eum ex Servii auditoribus non fuiſſe, manifeſtum eſt. Itaquè ne hiſce immoremur diutius, eorum amplectimur opinionem, qui Florentinam lectionem tuentes, hunc noſtrum Publicium Gellium eundem illum affirmant, cujus fit mentio toties in jure, ut in *l.* 2. *§.* 8. *ff. ad S. C. Tertull.* ubi inquit Ulpianus: *Sed ſi ſint ſui heredes, verum hereditas ad eos non pertineat, videamus an mater admittatur, ut puta, abſtinuit ſe hereditate.* Et Modeſtinus *l.* 51. *§.* 1. *ff. de cond. & demonſt. Heredi decem dare juſſus, & liber eſſe, & hæredis heredi dando perveniet ad libertatem: quod non ſimiliter in legatarii perſona cuſtodiri, Publicius ſcribit.*

---

§. 45. *Fuit eodem tempore &* Trebatius, *qui idem Cornelii Maximi auditor: fuit* Aulus Caſcelius, Quintus Mucius *Voluſii auditor: denique in illius honorem teſtamento Publium Mucium nepotem ejus*

Digitized by Google

reliquit hæredem: fuit autem Quæſtorius: nec ultra proficere voluit, cum illi etiam Auguſtus Conſulatum offerret. ex his Trebatius peritior Caſcelio, Caſcelius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur, Ofilius utroque doctior. Caſcelii ſcripta non exſtant, niſi unus liber Benedictorum. Trebatii complures: ſed minus frequentantur.

Et Trebatius.) C. Trebatius Teſta, Cornelii Maximi auditor, ut Pomponius teſtatur, Labeonis præceptor, eques Romanus, ſumma in jure civili ſcientia præditus fuit. Cicerone admodum familiariter uſus fuit, in cujus amicitiam fidemque adhuc adoleſcens ſeſe contulerat, oſtendunt id ipſum tot Ciceronis ad eum ſcriptæ literæ, ut & liber *Topicorum* ad eundem miſſus. Vel quoque Cajum Trebatium familiarem ſuum appellat *l.* 4. *ad famil. epiſt.* 1. Ciceronis quoque commendatione ad Cæſaris familiaritatem eſt admiſſus. Quam autem ſincera fuerit ea commendatio, perſpicimus ex *epiſt.* 5. *ad fam. lib.* 7. ad Cæſarem ſcripta: *Mitto igitur*, inquit, *ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea ſponte, poſt autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Cæſar, ſic velim omni tua comitate complectare, ut omnia quæ per me poſſis adduci ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine hæc ſpondeo, non illo vetere verbo meo, quod, cum ad te de Milone ſcripſiſſem, jure luſiſti: ſed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur; probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem eſſe neminem.* Et ad ipſum Trebatium ita ſcribit epiſtola ſequenti: *In omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem aut ad Balbum mitto, legitima eſt acceſſio commendationis tuæ, nec ea vulgaris, ſed cum aliquo inſigni indicio meæ erga te benevolentiæ.* Hac itaque ſingulari commendatione in intimam Cæſaris pervenit familiaritatem, adeo ut ei Cæſar tribunatus commoda, ſive ſtipendia, demto labore militiæ, deferret. Quæ contempſiſſe ſcribit Cicero, propter urbis & urbanitatis deſiderium, quo tenebatur, quas ineptias reprehendit in eo Cicero, eique per-

Digitized by Google

perſuadet, ut eas deponeret, itaque paulatim Cæſaris benevolentia & Ciceronis adhortationibus ſubſtitit in caſtris. Orto poſtea civili bello, Cæſaris ſemper ſecutus partes, ipſumque Ciceronem ſollicitare vehementer non deſtitit, ut vel Cæſaris partes amplecteretur, vel in Græciam ſe conferret. Plut. *in vita Cic.* Ita ut miretur jure Rutilius, Zaſium credidiſſe Trebatium inſigni interventu Ciceronis reſtitutionem a Cæſare impetraſſe, ac tum demum illa obtinuiſſe commoda, de quibus jam locuti. Idem Cæſarem, ut refert Suet. *in Cæſare cap.* 78. patribus univerſis conſcriptis, cum plurimis honorificentiſſimiſque decretis, adeuntibus ſe, ſedentem pro æde Veneris genetricis admonuit, ut aſſurgeret, quam admonitionem ægre ferens Cæſar, minus familiari vultu Trebatium reſpexit. Quam inſignem deſpecti Senatus contumeliam jure auctores inter præcipuas Cæſarianæ necis cauſas referunt. Fuit autem, ut de eodem refert Cicero, in jure civili ſumma ejus ſcientia, & ſingularis memoria. *lib.* 7. *epiſt.* 5. *ad fam.* quapropter eum *duxiſſe familiam* inquit, id eſt, ut interpretantur commentatores, tanti ejus ſcientia apud alios fuit ponderis & momenti, ut ceteri ejuſdem diſciplinæ cultores eum ſequerentur tanquam ducem & auctorem. Ita 4. *de finib.* dicit Cicero, *ſententiam ducere familiam*, quæ majorem vim habet & majoris eſt ponderis, & quaſi caput aliarum; ita enim inquit: *Sed primum illud vide graviſſimam illam veſtram ſententiam, quæ familiam ducit, honeſtum quod ſit, id ſolum eſſe bonum, honeſteque vivere, bonorum finem: &c.* Magnam itaque Trebatii auctoritatem in jure prædicat, cum familiam eum duxiſſe affirmet. Plurima fit ejus mentio in Digeſtis, licet ejus ſententia ſæpius rejiciatur. Citatur in *l. unic.* §. 1. *ff. de offic. Quæſt. l.* 18. §. 3. & 4. *ff de dol. mal. l* 33. *ff. de rei vind. l.* 9. §. 7. *ff. de uſufr. l.* 6. §. 6. *ff. comm. divid.* & paſſim plurimis aliis in legibus. Scribit Ulpianus *in l.* 21. *ff. de furt.* Trebatium exercuiſſe vulgarem illam Quæſtionem, *an is, qui ex acervo frumenti modium ſuſtulit, totius rei furtum faciat, an vero ejus tantum abſtulit? Ofilius totius acervi furem eſſe putat: nam & qui aurem alicujus tetigit, inquit* Trebatius, *totum eum videri tetigiſſe, proinde & qui dolium aperuit, & inde parvum vini abſtulit, non tantum*

ejus, quod abſtulit, verum totius videtur fur eſſe. Sed verum eſt (inquit Ulpianus) *in tantum eos furti actione teneri, quantum abſtulerunt.* In ejusmodi furtorum quæſtionibus enodandis ac diſſolvendis Trebatium occupatum fuiſſe confirmat quoque Cic. *in epiſt.* 22. *ad fam. lib.* 7. ubi inquit, ab eo inter Schyphos agitatam fuiſſe controverſiam, *Poſſetne heres, quod furtum antea factum eſſet, furti recte agere.* Notandum quoque, quod non ſolum commendatione Ciceronis in intimam Cæſaris pervenerit familiaritatem, verum & eum, Cæſare interfecto, non minimum apud Octavium Auguſtum tenuiſſe locum: utpote qui Trebatii potiſſimum ſuaſu codicillorum uſum receperit, ut ipſe Imperator Juſtinianus tradit §. 1. *inſt. de Codicil.* idque propter ſummam, qua in jure pollebat, auctoritatem.

Aulus Caſcelius Quintus Mucius Voluſii auditor.) Quis hic fuerit Q. Mucius Voluſius, cujus auditorem noſtrum Caſcellium fuiſſe tradit Pomponius, non conſtat, ideoque hunc locum tanquam corruptum varii auctores varie emendarunt. Antonius Auguſtinus Quintii Mucii Voluſii auditorem legendum putavit, quam lectionem & probat Magnus Cujacius, ſed qua auctoritate, mihi non liquet, cum nuſpiam apud auctores legiſſe me memini, Muciorum familiæ Voluſii cognomen inditum. Præterquam quod Voluſius nomen gentis fuerit, ut putat Balduinus, qui Voluſium Metianum Juriſconſultum multis poſteriorem fuiſſe tradit, & conſequenter huc referri non poſſe. Alii putant Q. Mucii Scævolæ auditor legendum, quod probabilius videtur. Verum rectius emendavit ſtatim allegatus auctor, *Quinti Mucii & Volcatii auditor*, ita ut duos habuerit in jure præceptores: ac primo præceptore uſus Scævola, poſtea eo mortuo Volcatii auditor fuit. Mucii diſcipulum fuiſſe, teſtatur ſatis aperte Pomponius, tradens Caſcelium in honorem illius ſcil. præceptoris Mucii, nepotem ejus teſtamento reliquiſſe heredem. Deinde enim non Voluſium, ſed Volcatium audiviſſe affirmat Plinius *lib.* 8. *cap.* 40. ubi inquit: *Apud nos Volcatium nobilem, qui Caſcelium jus civile docuit, aſturcone e ſuburbano redeuntem, cum adveſperaviſſet, canis a graſſatore defendit.* In quibuſdam editionibus legitur Cæſelium,

lium, ſed male; fuit autem noſter Caſcelius Trebatio & Ofilio æqualis, verum quemadmodum Trebatius fuit Caſcellio peritior & Ofilius utroque doctior, ita Caſcellius eloquentia & Trebatium & Ofilium ſuperavit, uti teſtatur Pomponius, habebatur tamen in pretio noſter JCtus. Ita enim Ammian. Marcel. *l.* 30. *c.* 4. *Hi ut altius videantur jura callere, Trebatium loquuntur, & Caſcellium, & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque jam diu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc ſeculis obrutas multis.* Et Horat. *de art. Poët. verſ.* 371.

- - - - Conſultus juris, & actor
Cauſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſallæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus.
Sed tamen in pretio eſt.

Juriſconſultum miræ urbanitatis & libertatis fuiſſe, teſtatur Macrob. Saturnal. *lib.* 2. *cap* 6. *Caſcellius* (inquit) *Juriſconſultus urbanitatis miræ libertatiſque habebatur, præcipue tamen is jocus ejus innotuit: Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut Ædiles edicerent, ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. Forte his diebus Caſcellius conſultus a quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit;* Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt. *Mercatori deinde, quemadmodum cum ſocio navim divideret interroganti reſpondiſſe traditur:* Navim ſi dividis, nec tu, nec ſocius habebitis. De libertate noſtri JCti ita Valer. *lib.* 6. *cap.* 2. *A. Cæſellius*, (Caſcellius legendum) *vir juris civilis ſcientia clarus, quam periculoſe contumax: nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant, formulam componeret. Hoc animi judicio victoriam beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem, cum multa de partibus Cæſaris liberius loqueretur, amicique, ne id faceret, monerent: Duas res, quæ hominibus amariſſimæ videntur, magnam ſibi licentiam præbere, reſpondit; ſenectutem & orbitatem.* Quod attinet ad dignitates, quibus ornatus fuit, ultra Quæſtoriam dignitatem proficere noluit, cum illi etiam Auguſtus Conſulatum offerret, propterea fortaſſe, ut Rutilius opinatur, quod præſentem Rei-

Reipub. ſtatum, in quem ejus jam inciderat ætas, accipiendis a Tyranno Magiſtratibus probare vellet a viro, in libera civitate & nato, & ad virilem uſque ætatem innutrito. Scripſit varia, verum ea non extant, niſi unus *Benedictorum* liber. Ad quem librum pertinere vult Bertrandus *l.* 158. *ff. de verb. ſig.* Et §. 7. *l.* 1. *ff. quod vi aut clam.* Ejus mentionem in Digeſtis ſæpiſſime Jcti faciunt, & præcipue Javolenus *l.* 39. *ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l.* 40. *ff. de cond. & demonſt. & paſſim.* Notandum hic, plane ab hoc noſtro Jcto diverſum eſſe Cæſellium illum, cujus mentionem facit Agell. *lib.* 2. *cap.* 16. quem antiquarum lectionum commentarios ſcripſiſſe tradit. Quemadmodum & alius quoque fuit Caſcellius ille prædiator, de quo Valer. *lib.* 8. *cap.* 12. ad quem Q. Scævola legum clariſſimus & certiſſimus vates, conſultores rejiciebat.

---

§. 46. *Poſt hos quoque* Tubero *fuit, qui Ofilio operam dedit: fuit autem Patricius, & tranſiit a cauſis agendis ad jus civile, maxime poſtquam Quintum Ligarium accuſavit, nec obtinuit apud Cajum Cæſarem. Is eſt Quintus Ligarius, qui, cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire, quo nomine eum accuſavit, & Cicero defendit. exſtat ejus oratio ſatis pulcherrima, quæ inſcribitur, pro Quinto Ligario. Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt juris publici, & privati: & complures utriuſque operis libros reliquit: ſermone etiam antiquo uſus affectavit ſcribere: & ideo parum libri grati habentur.*

Poſt hos quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit.] L. Tuberone patre nobili & patricio noſter natus fuit, primum orator fuit, deinde ad cauſas agendas animum applicuit. Itaque

Digitized by Google

que adoleſcens, Q. Ligarium coram Cæſare accuſavit, defendente eum Cicerone. Quod ad accuſandum Q. Ligarium Tubero deſcenderit, eo contigiſſe tradit Pomponius, quod Ligarius non permiſiſſet, cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare nec aquam haurire. Cæſar, qui hanc deſcribit Hiſtoriam *lib.* I. *de bell. Gall.* tradit, non Q Ligarium, ſed Accium Varum, Tuberonem venientem Uticam cum navibus portu atque oppido prohibuiſſe. *Et cum*, inquit, *in Africam veniſſet*, (ſcil. L. Tubero) *invenit in provincia cum imperio Attium Varum, qui ad Auximum amiſſis cohortibus protinus ex fuga in Africam pervenerat, atque eam ſua ſponte vacuam occupaverat, delectuque habito duas legiones effecerat, hominum & locorum notitiam, & uſus ejus provinciæ nactus. Aditus ad ea conauda, quod paucis ante annis ex prætura eam provinciam obtinuerat. Hic venientem Uticam cum navibus Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, ſed ſublatis anchoris excedere eo loco cogit.* Nullum hic quidem verbum de Q. Ligario Tuberonem prohibente portu atque oppido, quamobrem putat Bertrandus, eam non fuiſſe cauſam Tuberoni apud Cæſarem Ligarium accuſandi, quam affert Pomponius, ſed cam potius ſummam accuſationis fuiſſe, quam Quintilianus refert *lib. XI.* Scil. quod Ligarius, cum jam bello civili Cæſariano jactabatur Reſp. non Cæſaris partes amplexus fuerat, verum cum Repub. contra Cæſarem ſenſerat. Neque pro Cn. Pompejo, inter quem inquit & Cæſarem dignitatis fuerat contentio, cum ſalvam utrique Rempub. vellent; ſed pro Juba atque Afris inimiciſſimis populo Romano ſtetiſſet. Certiſſimum eſt, quod, cum Q. Ligarius non obtineret provinciam, ut tradit Cæſar, non potuerit prohibere Tuberonem cum navibus Uticam venientem portu, & conſequenter non fuit cauſa accuſationis, quam Tubero contra Ligarium ſuſcepiſſe tradit Pomponius. Aliter deſcribit hanc hiſtoriam Cicero in *orat. pro Ligario:* Scil. quod ante exortum inter Cæſarem & Pompejum bellum, Q. Ligarius cum Conſidio Conſule Legatus in Africam profectus a Conſidio abeunte, propter ſpectatam ejus virtutem ei Provinciæ vel invitus præficeretur. Bellum interea civile ex-

Digitized by Google

arſit. Quamobrem ii, qui in Africa erant, ducem quærebant, qui ſummæ rerum præeſſet. Cumque Ligarius ad patrios revertere lares properans, ſummum declinaret imperium, Accius Varus intervenit, illudque libentiſſime arripuit. Interea Tubero, qui caſtra Pompeji ſequebatur, a Senatu in Provinciam miſſus eſt, quem adventantem Ligarius, ut inquit Pomponius, *applicare non permiſit, nec aquam haurire*. Itaque relictis Africæ oris in Macedoniam ad Pompejum redire coactus fuit. Finitis autem bellis civilibus, Tubero filius eum accuſavit apud Cæſarem, non ſine ſpe victoriæ fretus offenſa Cæſaris in illum; verum patrocinante eum Cicerone, tantum valuit facundia, ut Cæſar Ligarium abſolverit, quamvis eum damnandi certum jam cœpiſſet conſilium. Alii ex Ciceronis oratione colligunt, P. Accium Varum miſſum fuiſſe cum imperio, ut Q. Ligario ſuccederet, poſtque ejus adventum aliquamdiu in Provincia manſiſſe. Interea Senatum Pompejo faventem L. Tuberonem ad eam obtinendam Provinciam miſiſſe: verum eum cum navibus Uticam venientem, Accium Varum portu atque oppido prohibuiſſe, ut ex Cæſare perſpeximus; atque hinc Tuberonis in Ligarium odium & ira, qua impulſus eum apud Cæſarem in foro pro tribunali ſedentem accuſavit.

Verum nuſpiam in oratione pro *Ligario* ſcribit Cicero, Accium Varum ex SC. in Africam miſſum, ſed plane contrarium ex Ciceronis verbis colligimus, cum inquit: *Interim P. Accius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Uticam venit, ad eum ſtatim concurſum eſt, atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio defertur*. Itaque ſummum imperium facto quidem, ſed non jure ſibi vindicaverat P. Accius Varus, attamen quia de facto illud arripuerat atque obtinuerat, merito ſi quid Tuberoni contigiſſet, quod contra jus faſque erat, id ipſum non Ligario, utpote qui jam depoſuerat imperium, verum Accio Varo imputari debuiſſet. Unde Tuberonem, inquit Cicero, veniſſe in Africam jam occupatam, ſcil. ab Accio, propterea fortaſſe Cæſar de Ligario quanquam & eodem tempore, quo jam ſum-

mum

mum imperium Accius habebat in Provincia, reſtiterat, nullum habet ſermonem, *de bell. Gal. cit. loc.* quia depoſito imperio ibi commorabatur tanquam privatus, & conſequenter ſi non fuerit in Provinciam receptus Tubero cum filio ægrotante, verum portu atque oppido prohibitus, auctor hujus prohibitionis ſummum iſtius Provinciæ obtinens imperium Varus, non vero Ligarius, qui eo ſe abdicaverat, nominari debuit. Quemadmodum Cæſar facit, deſcribens rem uti geſta eſt. Itaque nullam video inter Cæſarem & Ciceronem diſſenſionem, cum teſtentur utrique Ligarium culpa vacuum. Cæſar, quia aperte Accium Varum auctorem prohibitionis nominat; Cicero, quia Ligarium, licet fuerit eadem tempeſtate in Provincia, feciſſe negat, ut ex pulcherrima oratione, quæ inſcribitur pro *Ligario*, quæ una eſt ex tribus orationibus Ciceronis, quæ Cæſarianæ vocantur, perſpicimus; lectu ſane digna; tanta enim in ea dicendi vis, tanta facundia, ut, quanquam Cæſar certum, ut diximus, jam cœperat conſilium damnandi Ligarium, abſolutus tamen ſit ab ipſo Cæſare Ligarius. De facundiſſima hac oratione ita Plutarch. *in vita Ciceronis: Perhibent* (inquit) *quum accuſaretur Ligarius, quod hoſtis Cæſaris fuiſſet, defendente reum Cicerone, dixiſſe ad amicos Cæſarem, quid obſtat quin Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem, quando iſtum quidem jam dudum conſtat improbum hominem & hoſtem noſtrum eſſe? Poſtea vero quam Cicero dicere orſus mirifice eum movit, variiſque affectibus & mira gratia ejus progreſſa eſt oratio, colorem identidem Cæſaris faciem variaſſe, perſpicuumque fuiſſe omnibus eum animi motibus verſatum. Denique ubi pugnam Pharſalicam orator attigit, fuiſſe uſque adeo permotum, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint, Ligarium igitur expugnatus crimine abſolvit.* Hæc ipſe confirmat Cicero *Epiſt.* 14. *ad fam. lib.* 6. *Cum fratres* (inquit) *& propinqui tui jacerent adpedes, & ego eſſem locutus, quæ cauſſa, quæ tuum tempus poſtulabat: non ſolum ex oratione Cæſaris, quæ ſane mollis & liberalis fuit: ſed etiam ex oculis & vultu, & multis præterea ſignis, quæ facilius perſpicere potui quam ſcribere, hanc in opinionem diſceſſi, ut mihi tua ſalus non dubia eſſet.* Cum autem Ciceronis facundia plus

apud

apud Cæſarem valuiſſet, quam Tuberonis oratio, ita ut abſolutus fuerit à Cæſare Ligarius, Q. Tubero inde a cauſis agendis tranſiit ad jus civile, ut tradit Pomponius, & A. Ofilio operam dedit, doctiſſimuſque habitus eſt cum publici tum etiam privati juris. Nimirum hoc vult Pomponius, Tuberonem non amplius cauſidici ſed Juriſconſulti munere functum. Notandum hic diſtinctionem eſſe, ut ex Cicerone aliiſque ſcriptoribus manifeſtum eſt, inter Cauſidicos & Juriſconſultos: Cauſidici, qui cauſas in foro agebant: Juriſconſulti, qui de jure reſpondebant, dicebantur. Memini me nuper hanc diſtinctionem legiſſe apud Lactantium de *mortibus perſecutorum*, quem inter alios commentatores, notis ſuis doctiſſimis illuſtravit *Vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus Gysb. Cuperus*, cujus ſumma eruditio & in publicis negotiis tractandis mira ſolertia atque prudentia, nominis famam per totum terræ orbem circumtulit, eumque ut civem de patria optime meritum, & cotidie bene merentem, ad ſummum honoris dignitatiſque evexit faſtigium: apud dictum, inquam, ſcriptorem atque in nobiliſſimi viri ad eundem locum notis annotavi illam diſtinctionem, ita enim Lactantius *cap.* 22. *Eloquentia extincta, cauſidici ſublati, Jureconſulti aut relegati, aut necati.* Ad quem locum Vir Ampliſſimus, *Recte hos diſtinguit; quia illi cauſas in foro vel judiciis agebant; hi vero de jure reſpondebant, uti vel ex Cicerone patet, & Hotomanni libello, quem Juriſconſultum inſcripſit.* Servii Sulpicii filiam ſibi matrimonio junxit, ex qua filiam ſuſcepit, quæ mater fuit Caſſii Longini. Conſulatum geſſiſſe colligi poſſe videtur ex Plinio & Faſtis Capitolinis, anno 742. cum *Paulo Fabio Maximo*, temporibus Auguſti. Meminit ejus Conſulatus Plin. *lib.* 8. *cap.* 17. Idem *Q. Tuberone, & Fab. Maximo Coſſ. IV. Nonas Majas, Theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium Romæ oſtendit in cavea manſuefactam.* Meminit quoque Conſulatus Frontinus de *Aquæductibus*, traditque exemplum Senatuſconſulti tunc facti, de eorum officio & inſignibus, qui aquis publicis præfuturi eſſent.

Dion. anno U. C. 743. Conſulis Q. Ælii Tuberonis & Fabii Maximi mentionem facit *lib.* 54. *cap.* 370. Scripſit autem noſter

noſter libros complures cum publici tum etiam privati juris. Verum quia ſermone antiquo uſus affectavit ſcribere, parum ejus libri grati habentur, ut inquit Pomponius. Gell. *lib.* 14. *cap.* 2. tradit, eum quoque ſcripſiſſe quædam præcepta ſuper officio judicis. Scripſit prætérea hiſtorias, ut ex eodem Gellio colligi poteſt *lib.* 6. *cap.* 4. & *lib.* 10. *cap.* 18. ubi inquit: C. TUBERO (lege *Q. Tubero*) *Hiſtoriarum primo ſcripſit Servium Tullium Regem populi Romani, cum illas quinque claſſes juniorum, cenſus faciendi gratia, inſtituerit, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptendecim: atque inde ab anno ſeptimodecimo, quod idoneos jam eſſe Reipub. arbitraretur, milites ſcripſiſſe: eoſque ad annum quadrageſimum ſextum juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellaſſe.*

---

§. 47. *Poſt hunc maxime auctoritatis fuerunt* Atejus Capito, *qui Ofilium ſecutus eſt:* & Antiſtius Labeo, *qui omnes hos audivit: inſtitutus eſt autem à Trebatio. Ex his Atejus Conſul fuit. Labeo noluit, cum offerretur ei ab Auguſto Conſulatus, quo ſuffectus fieret, (&) honorem ſuſcipere: ſed plurimum ſtudiis operam dedit: & totum annum ita diviſerat: ut Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina: ex quibus plurima inter manus verſantur. Hi duo primum veluti diverſas ſectas fecerunt: nam Atejus Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perſeverabat; Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit, & ita Atejo Capitoni* Maſſurius Sabinus *ſucceſſit, Labeoni* Nerva, *adhuc eas diſſen-*

ſiones auxerunt. Hic etiam Nerva Cæſari familiariſſimus fuit ; Maſſurius Sabinus in equeſtri ordine fuit, & publice primus ſcripſit ; poſteaque hoc cœpit beneficium dari à Tiberio Cæſare, hoc tamen illi conceſſum erat. Et, ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publice reſpondendi jus non à principibus dabatur : ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neque reſponſa utique ſignata dabant : ſed plerumque judicibus ipſi ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant. Primus Divus Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit : & ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo viri Prætorii peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed præſtari ſolere : *& ideo ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe, populo ad reſpondendum ſe præpararet. Ergo Sabino conceſſum eſt à Tiberio Cæſare, ut populo reſponderet, qui in equeſtri ordine jam grandis natu, & fere annorum quinquaginta receptus eſt : huic nec amplæ facultates fuerunt : ſed plurimum à ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt. Huic ſucceſſit* Cajus Caſſius Longinus, *natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Ser. Sulpicii : & ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat. hic Conſul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii, ſed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eo uſque donec eum Caſar civitate pelleret. expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus à Veſpaſia-*

Digitized by Google

paſiano, diem ſuum obiit. Nervæ ſucceſſit Proculus. *fuit eodem tempore &* Nerva filius: *fuit & alius* Longinus *ex equeſtri quidem ordine, poſtea ad Præturam uſque pervenit, ſed Proculi auctoritas major fuit. nam etiam plurimum potuit, appellatique ſunt partim* Caſſiani, *partim* Proculejani: *quæ origo à Capitone, & Labeone cœperat. Caſſio* Cælius Sabinus *ſucceſſit, qui plurimum temporibus Veſpaſiani potuit. Proculo* Pegaſus, *qui temporibus Veſpaſiani præfectus urbi fuit. Cælio Sabino* Priſcus Javolenus. *Pegaſo* Celſus, *patri Celſo*, Celſus filius, & Priſcus Neratius: *qui utrique Conſules fuerunt: Celſus quidem & iterum. Javoleno Priſco* Aburnus Valens, & Tuſcianus, *item* Salvius Julianus.

Attejus Capito.] Quemadmodum, ut ſupra retulimus, Labeones a magnitudine labiorum, a naſo Naſones, ita a capite Capitones dicti fuere. Ex hac familia oriundus noſter Attejus Capito, maximæ auctoritatis Juriſconſultus, ut inquit Pomponius, qui una cum Labeone ſub Auguſto floruit, pervenitque ad imperium uſque Tiberii. Patrem habuit Capitonem virum Prætorium, avum centurionem Sullanum, ita enim Tacit. *lib.* 3. *Annal. cap.* 75. *Et Capito Attejus, de quo memoravi, principem in civitate locum ſtudiis civilibus adſecutus; ſed avo centurione Sullano, patre prætorio: Conſulatum ei acceleraverat Auguſtus, ut Labeonem Antiſtium iiſdem artibus præcellentem dignatione ejus Magiſtratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora ſimul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur.* Conſulatum, de quo hic Tacitus, cepit inter ſuffectos anno U. C. 759. Cal. Julii, ut teſtatur inſcriptio in lapide priſco Romæ:

C. ATEJO CAPITONE C. VIBIO. POSTHUMO COS.

Sum-

Summi obſequii & ſingularis adulationis exemplum in eodem Taciti libro legimus *cap.* 70. *L. Ennium* (inquit) *equitem Romanum, majeſtatis poſtulatum, quod effigiem Principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet, recipi Cæſar Tiberius inter reos vetuit, palam aſpernante Attejo Capitone, quaſi per libertatem; non enim debere eripi patribus vim ſtatuendi, neque tantum maleficium impune habendum; ſane lentus in ſuo dolore eſſet; Reipub. injurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius, ut erant magis, quam ut dicebantur; perſtititque intercedere.* Aliud exemplum huic non diſſimile refert Suet. *de illuſtribus Grammaticis cap.* 22. Ubi cum Pomponius Marcellus ſermonis Latini exactor moleſtiſſimus, ex oratione Tiberium reprehendiſſet, affirmavit Capito eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet, futurum certe jam inde. Verum a *Pomponio* reſponſum: *Mentitur* (inquit) *Capito, Tu enim Cæſar civitatem dare potes hominibus, verba non potes.* Vel ut alii habent cod. *verbis non potes*, ita legendum cenſet quoque Bertrandus. Ejuſmodi adulationes in cauſa fuere, quod ei Auguſtus Conſulatum acceleravit, ut tradit Tacitus. Fuit hic, ut dicere incepimus, Juriſconſultus maximæ auctoritatis, præterea publici privatique juris erat peritiſſimus, ut teſtatur Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. Pontificii juris inter primos eum peritum ſcribit Macrob. *lib.* 7. *Satur. cap.* 13. Verum, ut inquit Tacit. 3. *annal. cap.* 70. *Eo inſignitior infamia fuit, quod humani divinique juris ſciens, egregium publicum, & bonas domi artes deboneſtaviſſet.* Hanc autem inſignem juris ſcientiam ab Ofilio, de quo ſupra quædam delibavimus, acceperat, atque in iis, quæ ei a præceptore ſuo tradita fuerant, conſtanter perſeverabat, quo contigit, ut, quemadmodum diverſam a Labeone vitæ rationem habebat, ita quoque diverſam ab eo ſectam conſtitueret. Scripſit libros multos, quorum paſſim mentio apud Gellium: de Pontificio jure quinque certe libros compoſuiſſe apud eundem videre eſt *lib.* 4. *cap.* 6 Et Feſtus in dictione *mundus.* Ex quo & illa deſcripta, quæ referuntur a Macrobio *lib.* 7 *cap.* 13. *Saturn.* de annuli geſtatione, deque Deorum formis annulis non inſculpendis: *Si volentibus vobis erit*, inquit, *in medium proferam, quæ de hac cauſa apud Atejum Capitonem Pontificii ju-*

Digitized by Google

juris inter primos peritum legiſſe memini, qui, cum nefas eſſe ſanciret Deorum formas inſculpi annulis, eouſque proceſſit, ut cur in hoc digito vel in hac manu geſtaretur annulus, non taceret. Scripſit præterea libros plurimos *conjectaneorum*. Citatur enim ab Gellio *lib.* 14. *cap.* 7. liber ducenteſimus quinquageſimus nonus conjectaneorum. *Sed quod ait*, inquit, *Senatusconſultum duobus modis fieri ſolere, aut conquiſitis ſententiis, aut per diſceſſionem: parum convenire videtur cum eo, quod Atejus Capito in conjectaneis ſcriptum reliquit. Nam in libro ducenteſimo quinquageſimo nono Tuberonem dicere ait, nullum Senatusconſultum fieri poſſe, diſceſſione non facta. Quia in omnibus Senatusconſultis, etiam in iis quæ per relationem fierent, diſceſſio eſſet neceſſaria: idque ipſe Capito verum eſſe affirmat.* Meminit quoque eorum *lib.* 20. *cap.* 2. ubi de vocabulo *Siticinum*: *Nos autem* (inquit) *in Capitonis Ateji conjectaneis invenimus, Siticines appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vita functos & ſepultos, eoſque habuiſſe proprium genus tubæ, a ceterorum differens.* Et *lib.* 2. *cap.* 24. *Legi adeo nuper in Capitonis Ateji conjectaneis Senatus decretum vetus C. Fannio & M. Valerio Meſſala coſſ. factum*; &c. *Collectaneorum* quoque libros aliquot reliquit: liber nonus ab Gellio citatur, qui inſcriptus fuit *de judiciis publicis*. Nec non librum ſingularem *de officio Senatorio*, eodem Gellio teſte *lib.* 4. *cap.* 10. *Sed ipſum*, inquit, *Capito Atejus in libro, quem de officio Senatorio compoſuit, ſcriptum reliquit.* Eum de jure *ſacrificiorum* quoque ſcripſiſſe, teſtatur Macrob. *Saturn. lib.* 3. *cap.* 10. Præterea & epiſtolarum, quas ſcripſit, mentio fit apud Gell. *lib.* 13. *cap.* 12. Idem ſermonem habet de litteris cujusdam Sinnii, ſive ut emendant alii, *Aſinii* Capitonis *lib.* 5. *cap.* 20. & 21. ex quo perſpicimus, plures fuiſſe Capitonis familias. Sic apud Tacit. §. 4. *annal. cap.* 36. Fontejum Capitonem Aſiæ Proconſulem, inſontem renunciatum, ubi compertum, eſſe ficta in eum crimina per Vibium Serenum. Alius quoque eſt L. Fontejus Capito, qui anno U. C. 811. cum C. Vipſanio Aproniano Conſul fuit Nerone imperante, de quo Juvenalis *Satyr.* 13. *verſ.* 17.

- - - Stupet hæc, qui jam poſt terga reliquit
Sexaginta annos, Fontejo Conſule natus.

Zzzz De

De quo Tacit. *Avaritiam Fonteji Capitonis adimendis aſſignandisque ſuæ militiæ ordinibus integre mutaverat, nec Conſularis legati menſura.* Meminit ejus Conſulatus Plin. *lib.* 7. *cap.* 21. dum inquit: *Nuperque Fontejo, & Vipſanio Conſulibus annos novem genitum puerum a meridie ad veſperam 75. millia paſſuum cucurriſſe.* Fuit & alius C. Fontejus Capito Conſul anno U. C. 764. cum Germanico Cæſare, quem Conſulatum male nonnulli noſtro Juriſconſulto attribuunt. vid. Phig. *annal.* anno U. C. 758. & 765.

Et Antiſtius Labeo] Eſt hic filius iſtius Labeonis, cujus ſupra meminimus §. 44. & ſane dignus tanto patre fuit filius, cujus adauxit gloriam & propriis virtutibus familiam ſuam illuſtriorem & clariorem reddidit: *Forteſque creari fortibus & bonis*, ſuo confirmavit exemplo, atque paterna premens veſtigia, juris civilis excolendæ diſciplinæ ſeſe totum tradidit, C. Trebatii præceptore uſus, cujus ſub auſpiciis tantos in ea fecit progreſſus, ut publice tractandam ſuſceperit, idque tanto cum fructu, ut ipſe Capito ejus adverſarius non in doctrina, verum in tota vitæ inſtituendæ & agendæ ratione fateri neceſſe habuerit, *Labeonem Antiſtium legum atque morum Pop. Rom. juriſque civilis apprime doctum fuiſſe. Sed agitabat hominem libertas quædam nimia atque vecors: uſque eo, ut D. Auguſto jam principe, & Remp. obtinente ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod juſtum ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet.* Gell. *lib.* 13. *cap.* 12. Non potuit ſcil: ſecundum illud Ciceronis, neceſſitati cedere & tempori inſervire, quod tamen ſemper ſapientis fuiſſe affirmat. Ejuſmodi tunc temporis Reipub. facies erat, ut quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus eo magis extolleretur, ut inquit Tacit. 1. *annal. cap.* 2. Verſo enim civitatis ſtatu, nihil uſquam priſci & integri moris: verum omni exuta æqualitate juſſa Principis aſpectabant; ex cujus jam unius nutu arbitrioque pendebant. Libertate ſublata & priſcæ Reipub. legibus abolitis aut eluſis, *Omnes ruere in ſervitium, Conſules, Patres, Eques, & quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi & feſtinantes.* Tacit. *eod. cap.* 3. Verum quanquam Reſpub. ſervitute premebatur, animum tamen liberum ab omni ſervitio & adulatione

Digitized by Google

tione præ ſe ferebat Labeo, & in omnibus ſive dictis ſive factis & totius vitæ curſu declarabat, ſe in ipſa ſervitute libertate frui, cujus exemplum legimus apud Gellium dicto *cap.* 12. *lib.* 13. ubi refert, quid Labeo per viatorem a Tribunis plebis vocatus reſponderit: *Quum a muliere*, inquit, *quadam Tribuni plebis adverſum eum aditi Gellianum ad eum miſiſſent, ut veniret & mulieri reſponderet: juſſit eum, qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, jus eos non habere neque ſe neque alium quenquam vocandi; quorum moribus majorum Tribuni plebis prehenſionem haberent, vocationem non haberent. Poſſe igitur eos venire & prendi ſe jubere, ſed vocandi abſentem jus non habere.* Simile libertatis exemplum tradit Suet. *in Auguſto cap.* 54 ubi inquit: *Antiſtius Labeo Senatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum hoſtem olim ejus, & tunc exulantem legit, interrogatuſque ab eo, an eſſent alio digniores*, ſuum quemque judicium habere, *reſpondit*. Hoc immodicæ libertatis uſu factum, ut Horatius eum in gratiam Auguſti inſanum prædicare non dubitaverit. *lib.* 1. *Serm. Satyr.* 3. hiſce verſibus:

Si quis eum ſervum patinam qui tollere juſſus,
Semeſos piſces, tepidumque ligurierit jus.
In cruce fuſtigat, Labeone inſanior, inter
Sanos dicatur? quanto hoc furioſius atque
Majus peccatum eſt.

Eum intra Præturam ſtetiſſe, tradit Tacit. cui fidem habeo; quanquam Pomponius teſtetur Conſulatum ſuffectum ei obtuliſſe Auguſtum. Ita enim Tacit. 3. *annal. Capitoni Conſulatum acceleraverat Auguſtus, ut Labeonem Antiſtium iiſdem artibus præcellentem dignatione ejus Magiſtratus anteiret: & poſtea illi quod Præturam intra ſtetit commendatio ex injuria, huic quod Conſulatum adeptus eſt, odium ex invidia oriebatur.* Non enim veroſimile eſt eum Auguſtum ad ſummum in Repub. honoris culmen promovere voluiſſe, qui præſentem Reipub. ſtatum abnuens, ejus imperium abjiciendi & Rempub. in priſtinam libertatem aſſerendi animum, ſi occaſio ſeſe obtuliſſet, non obſcure declaraverat. Quamvis honores ſæpiſſime mutent

 mores,

mores, ejuſmodi tamen mutationem in Labeonem noſtrum virum conſtantem & nulla honorum vel dignitatum cupidine agitatum caſuram ſperare non poterat Auguſtus. Quanquam ſi boni civis officium implere voluiſſet, præſentem Reipub. tueri ſtatum & confirmatum reddere ipſi incumbebat: omnis enim regiminis mutatio periculoſa & multis obnoxia imcommodis, vixque ea contigit ſine ſummo Reipub. detrimento; propterea quod omni penitus ſublato imperio, tanquam fundamento ſuo deſtituta tota corruit ſocietatis civilis ſive Reipub. fabrica, ſummaque omnium rerum inducitur confuſio, & ad vetus relabitur Chaos Reſp. id eſt, belli ſtatum, in quo homo homini lupus, alter alterius imminet exitio, bona diripit, facultates, poſſeſſiones invadit, quo ſtatu nullum pejus imperium ſingi vel excogitari poteſt: ita ut merito ſtatuamus, aliquam potius perferendam dominationem quamvis maxime importunam vel inviſam, quam ut abjiciendo durum ſervitutis & Tyrannicæ poteſtatis ſive dominationis jugum, ſemetipſos cives in libertatem & beatiorem vitæ conditionem aſſerere conentur, ne, dum mutatione Imperii ſive regiminis ſeſe a tot malis liberare nitantur, iiſdem magis immergantur ac obruantur. Quemadmodum enim navis ſine gubernatore maris fluctibus huc illuc agitatur, eorumque vi ſæpiſſime ad ſcopulos appulſa diſſolvitur atque ſummergitur; ita quoque Reſp. diſſoluto Imperii vinculo, tot inconſtantis multitudinis male compoſitis deſideriis huc atque illuc jactatur, & in tot ſcopulos impingit, ut, antequam per tam multa rerum diſcrimina in portum rejicitur, naufragium patiatur ſæpiſſime, & omnium miſeriarum ſummergatur oceano. *Ferenda* Regum *ingenia, neque uſui ſunt crebræ mutationes*, apud Tacit. *annal.* 12. Et idem *cap.* 4. *Hiſt.* 8. *Bonus civis meminit temporum quibus natus eſt, quam civitatis formam patres avique inſtituerunt: ulteriora miratur, præſentia ſequitur, bonos Principes voto expetit, qualeſcunque tolerat.* Quippe & apud Plutarch. legimus, nulla Reipub. forma non melior eſt bello civili. Hæc illis dicta ſunto, qui novarum rerum cupidi, omnes ſuas cogitationes ad Regna atque Reſpub. perturbandas atque dilacerandas, ad omnia tum ſacra tum profana permiſcenda,

con-

convertunt. Quamobrem multa ſummorum imperantium facta quaſi Reipub. maxime damnoſa & noxia interpretantur, quæ nullam alicujus detrimenti, quod Reipub. allatura in vulgus diſſeminant, præ ſe ferunt ſpeciem. Ejuſmodi momi tanquam perturbatores ſocietatis civilis conſiderari debent, & conſequenter e Repub. ejiciendos atque penitus extirpandos eſſe, nullus dubito, quin omnes boni cives mecum cenſeant. Verum ut ad Labeonem noſtrum revertamur, quoniam teſtatur Agellius nimiam ejus libertatem ex illibata & conſtantis animi ſanctitate atque integritate profectam fuiſſe, ſi qua in re oblitus fuerit obſequii & officii, quod Auguſto tanquam ſuo legitimo Principi debebat, condonandum id viri nimio, quo ad priſtinam conſervandam libertatem ferebatur, amori & ſtudio, atque ſeveris moribus, quos in totius vitæ curſu præ ſe tulerat. Quare in adulationem neque ſubmiſſus fuit, neque voluntatem Principis, licet moderatiſſimi, juris auctoritate ſanctiorem habere potuit. Quæ incorrupta morum integritas & vitæ degendæ ratio Labeoni famam quidem conciliavit, verum ad ſummos honores aditum præcluſit, eo tamen cum fructu, ut ob id fama fuerit celebratior; ſpernebat honores, modo procul a negotiis ſtudiis inſervire poterat, quorum magis cura, quam honorum ambiendorum cupiditate tenebatur. Hinc totum ita diviſerat annum, ut ſex menſes cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operam daret, ut refert Pomponius. Ita quoque olim Demoſthenem locum ad ſcribendum procul ab hominum oculis ſtrepituque remotum ſibi delegiſſe, teſtatur Plutarchus. Et ita omnes, qui ſeriis rebus & conſcribendis libris operam dare voluere, ſolitudinem & ſeceſſum quæſiverunt: quemadmodum enim merulæ in remotis teſquis frigultiunt, & luſciniæ in ſolitudine Africæ canticum adoleſcentiæ garriunt, & olores apud avios fluvios carmen ſenectæ meditantur, ita omnis ſcriptorum chorus ſolitudinem & nemora amat, ut animus curis vacuus, ad ſcribendum & meditandum magis aptus eſſet; Juxta illud Horatii *lib.* 2. *Epiſt.* 2.

> *Præter cetera me, Romæne poëmata cenſes*
> *Scribere poſſe, inter tot curas, totque labores?*

Hic ſponſum vocat: hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis, cubat hic in colle Quirini.
Hic extremo in Aventino viſendus uterque.
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris.
Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.
I nunc & verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes:
Rite cliens Bacchi &c.

Verum in hoc otio & receſſu nihil minus quam otioſus fuit noſter Labeo, ut teſtantur tot volumina, quæ eum reliquiſſe ad numerum quadraginta, tanquam aſſidui laboris teſtimonia, ſcribit Pomponius. Reliquit autem commentarios ad ll. XII. tab. ut ex Gellio perſpicimus *lib.* 7. *cap.* 15: & *lib.* 20. *c.* 1. *Noct. Att.* Scripſit præterea libros πιθανῶν ſive probabilium, vel veriſimilium, quos in epitomen redegit JCtus Paulus, ut patet ex inſcriptione *l. fin. ff. ſi ſerv. vind.* & *l.* 10. *ff. ad leg. Rhod. de jactu.* Meminit quoque Gellius *lib.* 13. *c.* 10. librorum *poſteriorum*, qui poſt mortem ejus editi ſunt, *quorum librorum*, inquit, *tres continui triceſimus octavus, & triceſimus nonus & quadrageſimus pleni ſunt id genus rerum, ad enarrandam & illuſtrandam linguam latinam conducentium.* Ad Edictum Prætoris quoque ſcripſiſſe idem affirmat *eod. loc.* cum pergit: *Præterea in libris, quos ad Prætoris Edictum ſcripſit, multa poſuit partim lepide atque argute reperta; ſicut eſt, quod in quarto ad Edictum libro ſcriptum legimus*; Soror, *inquit*, appellata eſt, quod quaſi ſeorſum naſcitur, ſeparaturque ab ea domo, in qua nata eſt, & in aliam familiam transgreditur. Et libri primi ad Edictum meminit Ulpianus *l.* 1. *§.* 5 *ff. de fugitiv.* Libros quoque quam plurimos ſcripſit tam de officio Prætoris urbani quam peregrini. Meminit Ulpianus libri primi Prætoris urbani, *l.* 19. *ff. de V. S.* Et libri trigeſimi primi Prætoris peregrini *l.* 9. *§.* 4. *ff. de dol. mal.* Fuit quoque auctor epiſtolarum aliquot, *Labeo libris epiſtolarum ait* &c. inquit Pomponius *l.* 30. *§.* 1. *de uſucap.* De jure Pontificio libros quoque quindecim vel plures ſcripſiſſe, legimus apud Feſtum

ſtum in verbo *Siſtere*, ubi 15 libri mentionem facit, & in dictione *ſpurcum*, ubi librum decimum citat. Idem ſermonem habet de Antiſtii Labeonis mortis cauſa ſtipulatione, cum inquit: *Mortis cauſa ſtipulatio exiſtimatur fieri, ut ait Antiſtius Labeo, quæ ita fit, ut morte promiſſoris confirmetur, aut, ut quidam dixerunt, cujus ſtipulationis mors fuit cauſa.* Notandum hic, Labeonem non tantum florentiſſimum fuiſſe ætatis ſuæ Juriſconſultum, verum & in aliis bonis artibus exercitatum fuiſſe, ut Gellius teſtatur *l.* 13. *c.* 10. cum inquit: *Labeo Antiſtius juris quidem civilis diſciplinam principali ſtudio exercuit & conſulentibus de jure publice reſponſitavit, cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit, & in grammaticam ſeſe atque dialecticam litteraſque antiquiores altioreſque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationeſque percalluerat, eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur.* Quod & Feſtus Grammaticus affirmat ſatis, cum Seceſpitam nobis ex Labeone ſic deſcribit: *Seceſpitam eſſe, Antiſtius Labeo ait, cultrum ferreum oblongum, manubrio rotundo eburneo, ſolido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clavis æneis ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, Pontificeſque ad ſacrificia utuntur. Eadem alias dicitur, qua in ſacrario utuntur. Sacraria namque in templis, reticulo æneo olim ſepiebantur, in quo tubæ relictæ ſunt, per quas manibus ſacra tangere licet.* Hinc contigit, quod fiducia doctrinæ & ingenii qualitate plurima innovare voluerit, ut refert Pomponius, quæ ab aliis non iiſdem artibus imbutis non animadverſa, vel prætermiſſa fortaſſe fuerant. Quia vero in multis diſſentiebat Labeo a Capitone, quos duo ejuſdem ætatis decora vocat Tacitus, hinc ſectæ excitatæ. Capitonis partes ſecutum eſſe narrat Pomponius *Maſſurium Sabinum*, deinde *Caſſium Longinum*, cui ſucceſſerit *Cælius Sabinus*, ut huic *Javolenus*, & *Javoleno Julianus*. Labeonis partes amplexi fuere *Nerva*, deinde *Proculus*, cui *Pegaſus* ſucceſſerit, ut huic *Celſus*, & *Celſo Neratius*. Frequens eſt in Pandectis harum diſſenſionum & ſectarum mentio, multaque paſſim veſtigia, quæ diligenter notare oportet, qui ad juris civilis diſciplinam excolendam ſeſe applicuit,

cuit, propterea quod multis difficultatibus & juris nodis & laqueis ea obſervatio nos liberabit.

Maſſurius Sabinus.] Hujus mentionem facit Athenæus *lib.* 5. quo libro fere nihil aliud quam Maſſurii Sabini ſermones continentur. Fuit in jure civili maxime exercitatus, ita ut ſumma ejus eſſet auctoritas; de quo idem auctor *lib.* 14. *Maſſurius vir longe optimus & ſapiens, qui & interpres legum fuit nulli ſecundus, & muſicis aſſiduam operam navavit, inſtrumentaque artis ejus tractavit feliciter.* Meminit ejuſdem Perſius 5. *Satyr. verſ.* 88.

Vindicta, poſtquam meus a Prætore receſſit,
Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto, ſi quid Maſuri rubrica vetavit?

Et Arrianus *lib.* 4. *in Epict. Enchirid.* quando inquit, *potius obtemperandum naturæ legibus, quam Maſurii.* Pro toto jure civili præſtantiſſimum Juriſconſultum nominavit. Sermonem quoque de eo habet Plin. *lib.* 7. *cap.* 5. Quem locum integrum ad verbum Gellius tranſcripſit *lib.* 3. *c.* 16. Ita Plin. *Maſurius auctor eſt, L. Papirium Prætorem, ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe XIII. menſibus diceret tuliſſe: quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatum videretur.* Idem Gellius *l.* 14. *c.* 2. *Atque in rerum quidem diffiſſionibus comperendinationibuſque & aliis quibuſdam legitimis ritibus, ex ipſa lege Julia & ex Sabini Maſſurii & quorundam aliorum juriſperitorum commentariis commoniti & adminiculati ſumus.* Sabinum hic ſolum nominat, tanquam ſummæ auctoritatis virum, & cæteris longe præſtantiorem. Sic quoque ejus refert ſententiam *lib.* 5. *cap.* 19. *Libertinos vero ab ingenuis adoptari quidem jure poſſe Maſſurius Sabinus ſcripſit &c.* Et *lib.* 10. *cap.* 15. *Maſſurius Sabinus ſcripſit &c.* Et ita ubique tanquam ſummi Juriſconſulti ejus auctoritatem & ſententiam prodit. Natalium ſplendore non admodum illuſtris fuit, verum ipſe virtute ſua propriiſque meritis familiam clariorem illuſtrioremque fecit. Ex plebe enim natus ob virtutem & juris civilis eximiam cognitionem atque admirandam ſcientiam jam grandis natu, & fere annorum quinquaginta equeſtri ordini ad-

adſcriptus eſt, auctore Pomponio. Exiguæ adeo ei facultates fuere, ut plurimum ab ejus auditoribus ſuſtentatus fuerit. Impetravit hic noſter a Tiberio Cæſare facultatem publica auctoritate de jure reſpondendi; atque ita reſponſa ſua non viva voce, verum litteris obſignata dedit, qua ratione dicit Pomponius, eum publice ſcripſiſſe. Notandum enim, quod ante Auguſti tempora reſpondendi jus, non a Principibus dabatur; ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neque reſponſa ſignata dabant, ſed plerumque judicibus ipſi ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant. Primus Divus Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderent; & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit, teſtante Pomponio. Hinc Imperator §. 8. *inſt. de jur. nat. Reſponſa Prudentum*, vocat *ſententias & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere. Nam*, addit Imperator, *antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent, qui jura publice interpretarentur, quibus a Cæſare jus reſpondendi datum eſt, qui Juriſconſulti appellabantur, quorum omnium ſententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut, judices recedere a reſponſo eorum, non liceret, ut eſt conſtitutum.* Interjecto vero tempore, ſcribit Pomponius, optimum Principem Hadrianum priſtinum morem in uſum revocaſſe: itaque cum viri Prætorii ab eo peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed præſtari ſolere, & ideo, ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe, populo ad reſpondendum ſe præpararet. Nullum Magiſtratum eum geſſiſſe veroſimile eſt, propterea quod nullius meminit; quamvis Bertrandus ex antiquo nummo, cujus inſcriptio eſt

SABINUS TURPILIANUS III VIR.

aſſeveret, eum Triumvirum fuiſſe, idque eo magis, quod noſter Maſſurius floruit tempore Tiberii Cæſaris, ut teſtatur Pomponius, & ipſe quoque Tiberii meminit *lib. 2. Memorabilium*, ut apud Gellium relatum eſt. Hic autem Triumvir, inquit, Tiberii ſeculo vixit. Turpilianus enim collega Conſul fuit anno urbis conditæ DCCCXIII. cum Pæto, ut Cuſpianus & Caſſiodorus teſtantur XXIII. annis tantum poſt mortem

Digitized by Google

Cæſaris. Verum erroris eum facile convincit Guiel. Grotius, cum inquit, neminem auctorum Sabino noſtro cognomen Turpiliani appoſuiſſe, neque in dicta inſcriptione Maſſurii nomen legitur. Præterea ex faſtis Conſularibus manifeſtum eſt, illum, qui anno U. C. DCCCXIII. Conſul fuit, in quo collegam habuit Cæſonium Pætum, non Sabinum, verum Petronium Turpilianum nominatum. Deinde teſtatur Pomponius, Caſſium Longinum noſtro Sabino ſucceſſiſſe, qui jam anno U. C. 764. Conſul ſuffectus fuit, & deinde iterum anno 783. Conſul renunciatus, cum M. Vinutio Quartimo, imperante Tiberio, ita ut ſub Tiberio jam ſupremum obiiſſe diem videatur Sabinus, & conſequenter tot annis poſt obitum Tiberii Conſul eſſe non potuerit. Cum autem noſter ſummus eſſet Juriſconſultus, ita ſcripta, quæ reliquit, apud poſteros magnæ fuere auctoritatis. Scripſit autem *juris civilis libros tres*, qui in indice Juſtinianeo recenſentur. In quibus & de furto quædam tradidiſſe colligimus ex Gellio *l.* 11. *c. fin.* ubi inquit: *Manifeſtum autem furtum eſt, ut ait Maſſurius, quod deprehenditur dum fit; faciendi finis eſt, quum perlatum eſt, quo ferri cœperat.* Sic etiam *lib.* 4. *cap.* 1. *Maſſurius autem Sabinus in libro juris civilis ſecundo, etiam quod jumentorum cauſa apparatum eſſet, quibus dominus uteretur, penori attributum dicit.* De officiis eorumque gradu quædam ſcripſiſſe in libro tertio juris civilis auctor quoque Gell. *lib.* 5. *cap.* 13. ubi ait: *Maſſurius autem Sabinus, in libro juris civilis tertio, antiquiorem locum hoſpiti tribuit, quam clienti. Verba ex eo libro hæc ſunt. In officiis apud majores ita obſervatum eſt, primum tutelæ, deinde hoſpiti, deinde clienti, tum cognato, poſtea affini, de qua cauſa fœminæ viris potentiores ſunt habitæ, pupillarique tutelæ muliebris prælata: etiam adverſus quem affuiſſent, ejus filii tutores relicti in eadem cauſa pupillo aderant.* Eum præter libros, qui in indice Juſtinianeo habentur, quoque commentarios de *indigenis* compoſuiſſe, tradit idem Gell. *lib.* 4. *cap.* 9. ubi inquit: *Maſſurius autem Sabinus in Commentariis, quos de indigenis compoſuit, Religioſum, inquit, eſt, quod propter ſanctitatem aliquam remotum ac ſepoſitum a nobis eſt. Verbum a relinquendo dictum, tanquam cærimoniæ a carendo.*

Fa-

Digitized by Google

Faſtorum quoque libros aliquot ſcripſit, ut apud Macrob. *lib.* 1. *Saturn.* videre eſt: *Memorabilium* complures. *l.* 144. *ff. de V. S.* Citat Gellius librum ſeptimum & undecimum Memoralium *lib.* 4. *cap.* 20. & *lib.* 5. *c.* 6. Meminit Nonius Marcellus in verbo *Strigoſus* libri XVII. ejuſdem Maſſurii Sabini, quem putat Memorabilium Bertrandus eo fundamento, quod tot libros non ediderit, niſi Memoralium. Vide quoque Plin. *lib.* 16. *cap.* 18. & *lib.* 15. *cap.* 29. 30. Præterea compoſuit libros ad *Edictum Prætoris*, quorum quintus citatur a JCto Paulo *l.* 18. *ff. de oper. libert.* *Suo victu veſtituque operas præſtare debere libertum, Sabinus ad Edictum Prætoris Urbani libro* 5. *ſcribit.* Scripſit quoque *librum adſeſſoriorum*, *l.* 5. §. 8. *ff. de injur.* Et ad Vitellium libros ſcripſit quamplures, *l.* 45. *ff. de leg.* 3. Reſponſorum quoque ſecundus liber citatur a Calliſtrato *l* 4. *ff. ad L. Rhod. de jactu.*

Nerva] M. Coccejus Nerva, vir Senatorii ordinis, omnis divini humanique juris ſciens, Labeoni ſucceſſit, ejus ſecutus in jure diſciplinam, cum Sabino veteres Labeonis ac Capitonis diſſenſiones auxit. Patrem habuit Coccejum Nervam, qui anno U. C. 717. cum L. Gellio Triumvirali dominatu Conſulatum geſſit, idem ille, qui, ut tradit Appianus *lib.* 5. *de bell. civ.* conciliandæ pacis cauſa inter Antonium & Cæſarem ſeſe interpoſuit. Noſtrum Conſulatu quoque functum tradit Tacit. *lib.* 4. *annal. c.* 58. quanquam ejus Conſulatus Faſti nullam mentionem faciant: unde dicendum videtur, eum ſuffectum fuiſſe: quamobrem nullum annum in commentariis conficit. Refert tamen Guliel. Grot. *de vitis juriſc.* tempus geſti ab eo Conſulatus, quod ex veteri inſcriptione apud Smetium relata ſe eruiſſe tradit, quæ ita habet:

Ti. Cæſar. Divi Auguſti F. Auguſtus
Pont. Max. Imp. VIII. Tribun. Pot. XXIV.
Dedit, C. Vibio Rufino M. Coccejo
Nerva Coſſ.

Unde diſcimus, inquit, *Juriſconſultum noſtrum circa nonum Tiberii annum, qui ordinarios Conſules habet, C. Aſinium ſuffectum fuiſſe. Cum enim eo anno, quo Auguſtus obiit, Tiberius XV. Tri-*

Digitized by Google

bunitiæ poteſtatis annum egerit, ſicut ex faſtis conſtat, ſequitur, ut ad numerum, quem inſcriptio præ ſe fert, explendum, novem omnino anni de Tiberii imperio ſint adjiciendi. Fuit hic noſter avus Nervæ Imperatoris, ipſe ſcientia juris illuſtris, ut tradit Front. *lib.* 2. *de aquæduct.* ubi & ipſum inter curatores aquarum urbis Romæ nominat, quam curationem Tiberius poſt Satrium Rufum demandavit S. Cornelio Cethego, & L. Vitellio Varrone Coſſ. habebat enim Tiberius eum ſibi conjunctiſſimum. Quamobrem Cæſarem in Campaniam proficiſcentem ſolus ex Senatoribus ſecutus fuit. Ita enim Tacit. *lib* 4. *annal. cap.* 58. *Profectio arto comitatu fuit: unus Senator Conſulatu functus, Coccejus Nerva, cui legum peritia.* Interjecto vero tempore, cum jam conſuetudinem Tiberii, qui omnia cæde & libidine repleviſſet, ferre amplius non poterat, vir integer & priſcæ probitatis, conſilium moriendi cepit, integro ſtatu & corpore illæſo. Ita enim Dion. 58. *Nervaque conſuetudinem Tiberii præterea non ferens, cauſæ aliæ, tum quod a Cæſare latas leges de contractibus, is renovaturus erat, velut occaſiones anguſtæ fidei, & multorum tumultuum præbituras, multum hortante Tiberio, ut animum ſuum explicaret, nullo dato reſponſo, vitam abſtinentia finivit, qua re motus Tiberius rem fœnerariam temperavit.* De eodem quoque Tacit. *lib.* 6. *annal. cap.* 26. cum inquit: *Haud multo poſt Coccejus Nerva continuus Principis, omnis divini humanique juris ſciens, integro ſtatu, corpore illæſo, moriendi conſilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adſidere, cauſas requirere, addere preces, fateri poſtremo, grave conſcientiæ, grave famæ ſuæ, ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret: averſatus ſermonem Nervæ, abſtinentiam cibi conjunxit. Ferebant ignari cogitationum ejus, quanto propius mala Reipub. viſeret, ira, & metu, dum integer, dum intentatus, honeſtum finem voluiſſe.* Scripſit in jure quoſdam libros, verum eorum non conſtat numerus, *l.* 2. *§.* 28. *ff. ne quid in loco pub.* Videtur quædam ſcripſiſſe de *uſufructu*, quantum colligi poteſt ex *l.* 13. *§.* 7. *ff. de uſufruct.* ubi inquit Ulpianus, *Sed, ſi ædium uſusfructus legatus ſit, Nerva filius, & lumina eum immittere poſſe ait. Reſponſa* quoque ejus referuntur in Pandectis ſæpiſſime, quæ ab aliis Juriſconſultis refelluntur aliquando, ut

ut videre eſt *in l. 3. ff. de uſufr. earum rer.* aliquando & deridentur, ut in *l. 9. ff. in quibus cauſ. pign. tacit.* ubi inquit Paulus in fin. *Et deriſus Nerva Juriſconſultus, qui per feneſtram monſtraverat ſervos detentos ob penſionem, liberari poſſe.*

G. Caſſius Longinus.] Caſſianorum familia Romæ vetuſta atque illuſtris fuit, eaque patricia, non plebeja, ut vult Bertrandus, quamvis Taciti teſtimonio munitus, ſemper habita, ex hac oriundus noſter, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii, quamobrem proavum Servium Sulpicium appellat, ut tradit Pomponius. Fuit hic noſter Conſul temporibus Tiberii, cum Quartino, teſte Pomponio, quem erroris convincere tentat Lipſius in ſuis notis ad Tacit. Ita enim Tacitus 6. *annal. cap. 16. Ser. Galba, L. Sulla. Coſſ. diu quæſito quos neptibus ſuis maritos deſtinaret Cæſar, poſtquam inſtabat virginum ætas; L. Caſſium & M. Vinicium legit. Vinicium oppidanum genus, Calibus ortus, patre atque avo conſularibus, cætera equeſtri familia erat, mitis ingenio & comtæ facundiæ. Caſſius plebei Romæ generis, verum antiqui honoratique, & ſevera patris diſciplina eductus, facilitate ſæpius quam induſtria commendabatur. Huic Druſillam, Vinicio Juliam, Germanico genitas, conjungit.* Ad hunc locum ita Lipſius: *Ita recte*, inquit, *eſtque ille qui Conſul cum M. Vinicio Quartino fuit anno urbis 783.* Atque ejuſmodi argumentis & rationibus hanc ſententiam ſuam adſtruit, quando ita pergit: *Nam Suetonius diſertè notat Druſillam collocatam L. Caſſio Longino Conſulari: Pomponius de origine juris manum adiit viris magnis, qui ſcribenti credunt, C. Caſſium Longinum illum, qui Juriſconſultus, Conſulem fuiſſe cum Quartino Tiberii temporibus. Atque cenſent hunc ipſum eſſe, qui progener Cæſari nunc factus. Mihi cautio eſt ne temere credam homini, etiam alias fallaci. Erras. Non eſt hic, Pomponi, juris Antiſtes ille, quem cenſes. Primum, quia Tacitus inter elogia morum generiſque, laudem ei nullam tribuit juris: deinde quia prænominibus diverſi. Lucius hic eſt; Cajus ille tuus, conſtanti veterum ſcripto. Caſſiodorus ecce L. Caſſium, & M. Vinicium Coſſ. nominat. Suetonius in Cajo, L. Caſſium Longinum: Et Tacitus in hoc loco. Diverſi vita etiam & morte. Juriſconſultus ille in honore ſub Claudio fuit, Syriam adminiſtravit, pulſus a*

Nerone, per Veſpaſianum rediit, & omne illud tempus vixit: iſte ſub Cajo Proconſul Aſiæ, & monentibus ſortibus caveret Caſſium, a Tyranno occiſus eſt. Denique quid reſpondes ad illud Taciti, facilitate ſæpius quam induſtria commendabatur? demit ecce illi induſtriam, ingenium: & audeant dicere, hæc convenire in magnum illum Sacerdotem. Hæc vir eruditione & doctrina florentiſſimus Juſtus Lipſius. Verum fugit me, quamobrem noſtri Pomponii de C. Caſſio Longino ſermo, ei ita ſtomachum moverit: quippe nullus dubito, quin Pomponius noſter, ſi cum Lipſio in eundem ſermonem incidiſſe ipſi contigiſſet, ejus de L. Caſſio Longino ſententiam amplexus fuiſſet, nec ille fortaſſe Pomponii opinionem rejeciſſet. Facile Lipſio concedimus, alium eſſe & diverſum a noſtro, de quo Tacitus, quod tum prænomen, tum uxor, quam in matrimonio habuit, & id genus alia, quæ de eo prædicat Tacitus, declarant. Quod & Suet. affirmat, appellans quoque Lucium Caſſium virum conſularum, *in vita Calig. cap.* 24. cum inquit: *Ex his Druſillam vitiaſſe virginem prætextatus adhuc creditur. Atque etiam in concubitu ejus quondam deprehenſus ab avia Antonia, apud quam ſimul educabantur. Mox Lucio Caſſio Longino Conſulari collocatam abduxit, & in modum juſtæ uxoris propalam habuit.* Ita ut quidem veroſimile ſit anno 782. Lucium Caſſium Longinum Conſulem fuiſſe cum Vinicio. Et forte idem hic fuit, quem poſtea Caligula Proconſulem Aſiæ, occidendum delegavit. Verum ex hiſce non perſpicimus errorem, cujus Pomponium Lipſius accuſat. Non enim is M. Vinicium collegam dat Caſſio Juriſconſulto, ſed Quartinum, quem a Vinicio diverſum fuiſſe, ex eo ſatis conſtat, quod huic Vinicio neque a Tacito, neque in Faſtis, neque a Vellejo ſive a quoquam alio, Quartini nomen tribuatur; Conſules ergo ſimul *L. Caſſius Longinus*, & *M. Vinicius*, & quidem ordinarii. Rurſus Conſules C. Caſſius Juriſconſultus, & Quartinus, ſed ſuffecti. Et quid ſi demus, inquit Guiel. Grotius, M. Vinicium nomen Quartini habuiſſe, potuit idem diverſis temporibus L. Caſſii Longini & C. Caſſii Juriſconſulti in Conſulatu fuiſſe collega. Neque mirum id cuiquam videri poteſt in tanta ſuffectorum Conſulum multitudine, præſertim cum in

Faſtis

Digitized by Google

Faſtis Caſſiodori tertio anno, poſtquam M. Vinicius & L. Caſſius eum geſſerunt honorem, iterum Vinicii & Longini nomen occurrat. Cum interjecto tempore Claudius Cæſar rerum ſumma potiretur, Caſſium Syriæ Provinciæ præfecit, ut teſtatur Joſephus *lib.* 20. *cap.* 1. *Defuncto Rege Agrippa*, inquit, *ſicut ſuperiore volumine diximus, Claudius Cæſar miſit ſucceſſorem Marſo Caſſium Longinum, memoriæ Regis amici hoc tribuens, a quo vivo adhuc per literas ſæpe rogatus fuerat, ut Marſum amoveret ab adminiſtratione rerum Syriæ.* Qua in Provincia cum eſſet, tunicam talarem, & ſacerdotalem ſtolam, quam ſolum ſummum Pontificem induere fas eſt, in Caſtellum Antonianum deponere voluit, Cæſaris mandatum de hac re Hieroſolymitanorum primatibus exponens, ut eſſet in Romanorum poteſtate, quemadmodum olim fuerat. Joſeph. *dict. loc.* Attamen poſtea Cæſar Claudius, interveniente Agrippa Juniore, permiſit Judæis, ut ſacræ ſtolæ cuſtodiam haberent. Ex eo potuit fere prædicari, quod legimus apud Livium de Sempronio: *Bello quoque bonus habitus, ad cætera, quibus nemo ea tempeſtate inſtructior civis habebatur, congeſtis omnibus humanis a natura fortunaque bonis, nobilis idem ac dives erat: forma viribuſque corporis excellebat, facundiſſimus habebatur, ſeu cauſa oranda, ſeu in Senatu & ad populum ſuadendi locus eſſet: juris Pontificii peritiſſimus; ſuper hæc bellicæ quoque laudes Conſulatus compotem fecerant.* Quippe ita de Caſſio noſtro Tacitus 12. *annal. cap.* 11. *Datum poſthæc C. Caſſio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ad ripam Euphratis. Ea tempeſtate Caſſius cæteros præeminebat peritia legum. Nam militares artes per otium ignotæ, induſtrioſque ac ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum ſine bello dabatur, revocare priſcum morem, exercitare legiones, cura, proviſu deinde agere, ac ſi hoſtis ingrueret. Ita dignum majoribus ſuis, & familia Caſſia ratus, per illas quoque gentes celebrata.* Non legibus itaque tantum armatus, ſed & armis quoque decoratus, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſet gubernari, ut inquit Imperator *in proœm. inſt.* facile ſibi in civitate ſummam conciliavit auctoritatem, atque ad ſummos honores aditum patefecit. Quæ fortaſſe nimia auctoritas Neroni ſuſpecta, cauſa fuit,

Digitized by Google

fuit, ut eum civitate ejecerit. Paulo tamen ſeveriorem fuiſſe, quam iſta ferebant tempora, ex Tacito perſpicimus *lib.* 14. *c.* 43. qui memorat, eum in Senatu ſeveram in Pedanii ſecundi, præfecti urbis, a ſervo ſuo interfecti, reliquam, quæ ſub eodem tecto manſitaverat, familiam, ſententiam protuliſſe: obtinebat enim ex vetere more, ut domino occiſo omnem familiam ad ſupplicium agi oporteret, idque etiam libera Repub. Quem priſcæ ſeveritatis ritum firmavit SC. Silanianum ſub Auguſto, quo cautum refert Ulpianus *l.* 1. *ff. ad SC. Silanian.* Quod, *cum aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui, cuſtodiam domini, tam ab domeſticis, quam ab extraneis, ſervi præſtare cogantur, SC. introducta ſint de publica quæſtione a familia necatorum habenda.* Quare Paulus 3. *ſentent. Domino occiſo, de ea familia quæſtio habenda eſt, quæ intra tectum fuit, vel extra tectum cum domino, eo tempore quo occidebatur.* Hinc in *l.* 1. *§.* 31. *ff. eod. Cum dominus in itinere eſſet occiſus, de his, qui una cum eo fuerunt, cum occideretur, vel, cum una fuiſſent, profugerunt, ſupplicium ſumendum eſt.* Huic Neronianum Senatuſconſultum amplius adjecit, ut, occiſa uxore, etiam de familia viri quæſtio habeatur; idemque ut juxta uxoris familiam obſervetur, ſi vir dicatur occiſus, Paulus *dict. loc.* quod quamvis durum videatur, attamen ita ſcriptum eſt. Quare & ipſe Caſſius ſententiam ſuam hiſce verbis finit; *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Tandem noſter luminibus orbatus eſt, quam calamitatem & altera excepit, ſcil. in inſulam Sardiniam ejus deportatio, quanquam luminibus captus infenſum tamen Neronis animum effugere non poterat. Quæ omnia deſcribit Tacit. *annal.* 16. *cap.* 7. & 8. ita enim: *Mortem Poppææ ut palam triſtem, ita recordantibus lætam ob impudicitiam ejus ſævitiamque; nova inſuper invidia Nero complevit, prohibendo C. Caſſium officio exequiarum, quod primum indicium mali, neque in longum dilatum eſt. Sed Silanus additur. Nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis, & gravitate morum, Silanus claritudine generis, & modeſta juventa præcellebant. Igitur miſſa ad Senatum oratione,* Removendos a Rep. utroſque, *diſſeruit: Objectavitque Caſſio,* quod in-

inter imagines majorum etiam C. Caſſii effigiem coluiſſet, ita inſcriptam: DUCI PARTIUM. Quippe ſemina belli civilis, & defectionem a domo Cæſarum quæſitam. Ac ut memoria tantum inſenſi nominis ad diſcordias uteretur, adſumpſiſſe L. Silanum Juvenem genere nobilem, animo præruptum, quem novis rebus oſtentaret. *Ipſum dehinc Silanum increpuit iiſdem, quibus patruum ejus Torquatum*, tanquam diſponeret jam imperii curas, præficeretque rationibus, libellis & epiſtolis libertos; *inania ſimul & falſa. Nam Silanus intentior metu, & exitio patrui ad præcavendum exterritus erat.* Inducit poſthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Caſſii uxorem, Silani amitam, *inceſtum cum fratris filio, & diros ſacrorum ritus confingerent &c. Tunc* (inquit) *Senatusconſulto Caſſio & Silano exilia decernuntur; de Lepida Cæſar ſtatueret. Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius, & Senatus jus exſpectabatur.* Ultima hæc verba variis ab auctoribus emendantur modis; *Huic vulneri*, inquit Lipſius ad hunc locum, *non medeor.* Palmerius legit (ita ab Hieronymo Berchemio accepi, veteri meo amico) *Senatus juſſus exſpectabatur.* Franciſcus Medices, *& ſenectus ejus exſpectabatur.* Vetranius ita ſcriptum legit, *Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius e Senatus juſſu ſpectabatur*, id eſt, ex Senatusdecreto. Haud ſcio (inquit) damnato Caſſio, quale jus Senatus exſpectaretur. Franciſcus Medices, ut diximus, legendum putabat, *& Senectus ejus exſpectabatur:* id eſt, ut ſenectute caderet, contra quam acciderat Silano, cujus ſenectus non exſpectata fuit. Alii potius legendum volunt, *& exitus ejus exſpectabatur.* Hoc eſt, timebatur, ne Centurionem Nero ad cædem ejus mitteret, ut in Silanum factum fuerat, &, ut moris erat tunc, ad fugiendam invidiam civitatis. Quidam delenda hæc verba opinantur, quoniam & ſine his oratio ſatis integra: eaque nullo modo ad ſententiam aptari poſſe putant, niſi hunc in modum trajiciantur: *Tunc Senatusconſulto Caſſio & Silano exilia decernuntur, de Lepida Cæſar ſtatueret. Et Senatus ocius exequebatur: Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius. Silanus tanquam Naxum &c.* Nonnulli iterum ea verba retinenda omnino putant, neque temere

Digitized by Google

delenda, verum pro vocabulo &, *nec* reponunt, atque legunt, *nec Senatus jus exſpectabatur*, id eſt, probabatur: *ſpectari* enim ſæpius pro *probari* uſurpatum legi affirmant, in qua ſignificatione occurrit apud Ciceronem, 3. *in Verr. cap.* 78. ubi inquit: Ex omni pecunia, quam aratoribus ſolvere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebant: primum *pro ſpectatione, & collybo: deinde pro neſcio quo cerario.* Et in eadem ſignificatione apud Virgilium aliosque probatæ notæ veterum monumentorum auctores occurrit:

- - - - - - - Sunt nobis fortia bello
Pectora: Sunt animi, & rebus ſpectata juventus.

Virgil. 8. *Æneid.* 12. id eſt, experimentis probata, decennali ſcilicet prælio, Servius. Et Terent. *Adelph. act.* 5. *Scen.* 5.

Nam is mihi profecto eſt ſervus ſpectatus ſatis.

ſic quoque *Andr. in prolegom.*

Poſthac quas faciet de integro Comœdias
Spectandæ, an exigendæ vobis ſint prius.

Spectandæ, id eſt, *probandæ*. Idem quoque *act.* 1. *Scen.* 1. *verſ.* 64.

- - - - - - - Enimvero ſpectatum ſatis,
Putabam, & magnum exemplum continentiæ.

Spectatum, id eſt, *probatum.* Hanc lectionem orationis ſenſui cæteris magis conjunctiorem putant, atque ſenſum eſſe, Senatuſconſulto Caſſium & Silanum exilio quidem eſſe damnatos, verum Neronem Senatus jus ſive judicium non ſpectantem vel probantem Caſſium in inſulam Sardiniam deportaſſe, Silanum vero per Centurionem interfici juſſiſſe, atque ita rejeciſſe Neronem Senatus decretum, ſententiamque mutaſſe: *exilium* enim & *deportatio in inſulam*, diverſa ſunt. Exilii enim nomen generale eſt *l.* 5. *ff. de interd.* quippe & pro relegatio-

gatione nonnunquam ſumitur, quæ pœna mitior eſt deportatione; relegati enim in inſulam in poteſtate ſua liberos retinent, quia & alia omnia jura ſua retinent: tantum enim eis inſula egredi non licet, & bona quoque ſua omnia retinent. *l. 4. ff. eod.* Deportatio autem adimit civitatem Romanam *l. 6. ff. eod. l. 2. §. 17. ff. de pœnis.* Nec in Silani cauſa judicium Senatus a Nerone probatum, cum eum exilio a Senatu damnatum, morte punivit. Guliel. Grotius ita locum emendat, *Nec Senatus juſſus expectabatur.* Atque hac ratione ſe vulneri mederi poſſe exiſtimat. Hoc enim voluit Tacitus, ait, poſtquam Senatuſconſulto exilium generali vocabulo Caſſio eſſet decretum, non præfinito certo aliquo loco, intra quem ſe contineret, quem Senatus ſuo arbitrio reſervaverat, milites Neronianos Caſſium juſſu Principis, non expectato Senatus imperio, in peſſimi cœli inſulam, quo certius periret, deportaſſe. Sardinia enim peſtilentia aëris infamis erat; hinc Martial. *lib. 4.*

- - - - Cum mors
Venerit in medio Tibure Sardinia eſt.

Videor mihi quaſi in alium terrarum orbem delatus, quando hanc Criticorum turbam, quacum mihi res eſt, intueor, & plane alienam perſonam induo, quoties cenſoris agendi neceſſitas mihi imponitur; itaque qua me potiſſimum ratione expediam, non video, & fateri neceſſe habeo, hanc opinionum varietatem me adeo fluctuantem efficere, ut, quo me vertam, neſciam: utpote quæ mihi majorem difficultatem pariant, quam ipſe textus, quem emendandum ſuſcepere delicati atque acuti noſtri ſcioli, verborum aucupes diligentiſſimi & ſeveri, qui in emendandis & interpretandis auctoribus eorumque ſcriptis dilacerandis totum vitæ ſpatium conſumunt, & vix aliquid ſeſe profeciſſe putant, niſi unum vel alterum cujuſdam ſcriptoris verbum, vel ſenſum emendando, obſcuriorem ſæpiſſime vel magis mutilatum, vel plane transformatum, id eſt, ex alieno ſuum effecere, quem nobis pro auctoris genuino ſenſu vel propriis verbis obtrudunt. Verum hæc ideo a me dicta non ſunto, quaſi nullam emendationen vel interpretatio-

 nem

Digitized by Google

nem admittere vellem, neutiquam ſane; eam enim quandoque ſumme neceſſariam arbitror, verum maneat uſus & tollatur abuſus, nimiaque iſta licentia, quam ſibi quidam cenſores & Critici arrogant, limitetur. Eam nemini concedendam, neutiquam vero Theologo in divinis explicandis literis, & Juriſconſulto in legibus interpretandis cenſeo, ne divinæ ſcripturæ auctoritas ab humano pendeat arbitrio, vel incerto eoque arbitrario utamur jure, & jus novum quotidie conſtituatur. Memini me olim non plane a me diſſentientem, verum erudite admodum & docte de effrenata hac quorundam criticorum & cenſorum libertate audiviſſe diſputantem, Virum Conſularem, ampliſſimis functum quondam in civitate noſtra Trajectina honoribus, ejuſdemque olim nomine ad conſeſſum Ordinum Generalium, qui Hagæ comitis eſt, Delegatum, demum vero Illuſtribus & Potentibus Diœceſeos Ultrajectinæ Ordinibus a ſecretis, D. *Paulum Voet van Winſſen*, Virum, inquam, in omni diſciplinarum genere exercitatum, & in publicis gerendis negotiis promtum, cujus e jucundiſſima conſuetudine, quoties ea uti mihi licuit, ſemper doctior diſceſſi. Sed ad rem redeamus. Fateor hæc Taciti verba aliqua indigere emendatione, niſi dictionem *&*, idem ſignificare dicamus quod *quamvis*, ita ut verborum ſenſus poſſet ejuſmodi admitti, *Et deportatus in inſulam Sardiniam Caſſius, & Senatus jus expectabatur*, id eſt, *quamvis Senatus jus*, ſive decretum *exſpectabatur*, de certo ſcil. loco, intra quem ſeſe contineret Caſſius. Vel ut ſuperius annotavimus, loco dictionis *&*, voculam *nec*, reponere poſſumus; & quia levis tantum hæc emendatio, ad ſenſus intellectum ſufficiens, eam cæteris præferendam exiſtimavimus, ita ut verborum ſenſus ſit: *Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius, nec Senatus jus expectabatur*, id eſt, deportavit eum in dictam inſulam Nero, antequam Senatus jus ſive decretum de certo aliquo loco Caſſii exilio deſtinato ad eum veniſſet: decreverat quidem Senatus exilium Caſſio, verum locum exilii non eodem decreto ſtatuerat, ſed ſuo reſervaverat arbitrio. Cum autem ſummo adverſus Caſſium Cæſar Nero odio flagraret, ideoque nihil magis quam ejus interitum cuperet; eum in dictam inſulam, cujus

jus

Digitized by Google

jus peſſimum eſt cœlum, deportavit, non exſpectato Senatus jure ſive decreto; fortaſſe quia conjiciebat, Senatum ad mitiorem inclinaturum pœnam Caſſio infligendam, & conſequenter vel ipſum exilium mitigaturum, vel exilii locum æquiorem decreturum. Verum non reſpondit voto Neronis rerum eventus, ſupervixit enim ei Juriſconſultus noſter, & a Veſpaſiano revocatus diem ſuum obiit, ut Pomponius teſtatur, relinquens poſteris glorioſam ſui memoriam, ut apud Plin. legimus, *lib.* 7. *epiſt.* 24. *Lætor*, inquit, *etiam, quod domus aliquando C. Caſſii, hujus qui Caſſianæ Scholæ princeps & parens fuit, &c. Implebit enim illam Quadratus meus, ut decebit, rurſuſque ei priſtinam dignitatem, celebritatem, gloriamque reddet, cum tantus orator inde procedet, quantus ille Juriſconſultus.* Multa noſter doctrinæ & eruditionis ſuæ reliquit documenta, quæ abunde teſtantur, ſummum eum fuiſſe Juriſconſultum; juris civilis enim decem aut plures fortaſſe compoſuit libros; decimum librum citat Ulpianus in *l.* 70. § 2. *ff. de uſufruct.* Et octavi fit ſæpius mentio eod. tit. in *l.* 7. §. 3. & *l.* 9. §. 5. Et ex eodem fortaſſe libro deſumpta, quæ refert Ulpianus *l.* 17. §. 1. *eod.* Ad hoſce libros quædam annotaſſe Ariſtonem, ex allegatis legibus perſpicimus, quemadmodum quoque Javolenum feciſſe conſtat ex *l.* 28. §. 1. *ff. de ſtatu lib.* Præterea Caſſium ad Vitellium notas ſcripſiſſe, teſtatur Ulpianus in *l.* 12. §. 27. *ff. de inſtr. vel inſtrum.*

Proculus] Quemadmodum Cajus Caſſius Sabino, ita Nervæ Proculus ſucceſſit, & uterque doctrinam, quam diverſæ ſectæ anteceſſores Sabinus & Nerva profeſſi ſunt, tanquam ſibi a diverſæ diſciplinæ Principibus, Attejo nimir. Capitone, & Antiſtio Labeone ſummæ auctoritatis Juriſconſultis per manus traditam, magna conſtantia & mirabili perſeverantia amplexi fuerunt foveruntque. Proculus dictus, quia a patre peregrinante a patria procul natus. *Proculi, qui foris agente patre nati*, Alexand. ab Alexand. *genial. dier. l.* 1. *c.* 10. Vide quoque Feſtum in verb. *Proculum.* Quiſnam hic fuerit Proculus noſter, cum plures ejuſdem nominis extiterint, ſub judice lis eſt, niſi illum eundem eſſe vellemus affirmare, qui Othonis partes ſequutus, ab eo jam rerum potito, Præfectus

Digitized by Google

Prætorio creatus eſt. Eum appellat Tacitus Licinium Proculum, *virum pravum, callidum, urbanæ militiæ impigrum, bellorum inſolentem.* Ita enim Tacit. 1. *Hiſt. cap.* 82. *Manipulatim allocuti ſunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus Præfecti* ſcil. Prætorii, quippe *cap.* 46. ejusdem libri, tradit auctor Plotium Firmum & Licinium Proculum, Prætorii Præfectos ſibi legiſſe milites. Et idem auctor *cap.* 87. *ejuſd. lib. Peditum equitumque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celſus, Annius Gallus, rectores deſtinati. Sed plurima fides Licinio Prætorii præfecto. Is urbanæ militiæ impiger, bellorum inſolens, auctoritatem Paullini, vigorem Celſi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu eſt, pravus & callidus, bonos & modeſtos anteibat.* Sic quoque 2. *Hiſt. cap.* 33. *Otho pronus ad decertandum. Frater ejus Titianus, & præfectus Prætorii Proculus, imperitia properantes, fortunam & Deos & numen Othonis adeſſe conſiliis, affore conatibus teſtabantur.* Et *cap.* 39. *Profecto Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac poteſtas penes Proculum præfectum. Celſus & Paullinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum, alienæ culpæ prætendebantur. Tribuni centurioneſque ambigui, quod ſpretis melioribus deterrimi valebant.* Putat Guiel. Grotius, noſtrum Proculum, de quo Pomponius, diverſum ab eo, cujus Tacitus meminit, fuiſſe, ejuſque prænomen fuiſſe Sempronium, non vero Licinium: quod tamen certo affirmare vix poſſumus, quoniam de eo nihil Jurisconſultus noſter, & quantum conjecturis aſſequi poſſumus, idem ille noſter, cujus tot locis mentionem facit Tacitus, idque eo potiſſimum, quod tradit Pomponius, eum plurimum potuiſſe, ideoque ejus majorem quam cæterorum, quibuscum uno eodemque tempore vixit Jurisconſultis, auctoritatem fuiſſe; quippe alterius ejuſdem nominis Jurisconſulti, qui tanta auctoritate polluit, nuſpiam apud auctores mentio fit, niſi quod temporibus Alexandri Cæſaris alium quoque Proculum ſummæ auctoritatis Jurisconſultum floruiſſe tradat Lamprid. *in vita Alexand.* Verum eum Papinianus vocat diſcipulum & Alexandri familiarem, ac ſocium, quæ noſtro non conveniunt prædicata, utpote qui ſucceſſit

ceſſit Nervæ, vixitque multis ante eum ſeculis, temporibus ſcil. Neronis. Sempronium Proculum, de quo in *l.* 47. *ff. de leg.* 2. hujus nepotem fuiſſe veroſimile eſt. Quem conſuluit, tanquam non levem juris auctorem, ut eum Divi fratres appellant *l.* 17. *ff. de jure patron.* cujus ſumma auctoritas Proculianæ ſectæ nomen dedit. Scripſit autem Proculus *epiſtolarum* libros octo, qui in indice Juſtinianeo recenſentur, vel potius undecim reliquit, ut ex plurimis legum in Digeſtis inſcriptionibus perſpicimus: ita *l.* 69. *ff. de contrah. empt.* cujus inſcriptio *Proculus lib.* 11. *epiſtolarum.* Eadem quoque inſcriptio *l.* 12. *ff. de præſcript. verb.* & *l.* 17. *ff. de pact. dotal.* Compoſuiſſe præterea notas in quoſdam Labeonis libros colligimus ex *l.* 10. *§.* 1. *ff. de neg. geſt.* & *l.* 69. *ff. de cond. & demonſt.* ubi inquit JCtus Gajus: *Si ita expreſſum erit, Titio ſi voluerit, do lego, apud Labeonem Proculus notat, non aliter ad hæredem legatarii pertinere, quam ſi ipſe legatarius voluerit ad ſe pertinere, quia conditio perſonæ injuncta videtur.* Notavit vero ad Proculum Urſejus Ferox, ut colligi poteſt ex *l.* 11. *§.* 2. *ff. de aqua & aqu. pluv.* *Apud Ferocem Proculus ait. &c.*

Nerva Filius.] Floruit eodem tempore, ut inquit Pomponius, & Nervæ filius, quem patrem fuiſſe exiſtimant M. Cocceji Imperatoris, qui imperium Romanum optime adminiſtravit. Tacitus 15. *annal. cap.* 72. meminit Cocceji Nervæ Prætoris deſignati, *quem ita a Nerone elatum teſtatur, ut ſuper triumphalem in foro imaginem, apud palatium quoque ejus ſiſteret.* Quod ad noſtrum pertinere, Guliel. Grotius temporum ſeriem affirmare tradit. Ulpianus teſtatur, eum adeo felicis ingenii fuiſſe, ut decem & ſeptem annos natus publice de jure reſponſitaverit, *l.* 1. *§.* 3. *ff. de poſtul.* *Pueritiam, inquit, dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum complevit, prohibet poſtulare, quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum, qua ætate, aut paulo majore fertur Nervæ filius de jure reſponſitaſſe.* Nominatur in jure frequenter, ac ſæpius citatur. Scripſit autem *libros de uſucapionibus*, ut teſtatur Papinianus *l.* 47. *ff. de acq. poſſeſſ.* Plura de eo nuſpiam memorantur.

Fuit

Fuit & alius Longinus ex equeſtri quidem ordine.] Ex hiſce verbis ſatis perſpicimus, qua fuerit origine natus Caſſius Longinus, de quo ſupra quædam commentati ſumus, utpote quæ aliquam ad eum relationem habent, quaſi dicere vellet Pomponius, quamquam hic noſter Longinus ex Equeſtri quidem ordine quoque originem ducit, alius & diverſus tamen eſt ab eo, de quo ante diximus. Ad Præturam eum perveniſſe teſtatur Pomponius, itaque & diverſus ab Conſule Caſſio Longino, cujus jam vitam, qui collegam in Conſulatu habuit Quartinum, deſcripſimus. Diverſus quoque ab eo, cujus meminit Tacitus, quem plebeji generis Druſillam uxorem duxiſſe 6. *annal. cap.* 15. & Suet. Conſularem fuiſſe affirmat. Cum autem nuſpiam plura, quam quæ de eo tradit hic Pomponius, inveniamus, neque de ſcriptis ejus, ſive reſponſis aliiſque ejus monumentis, nec nobis plura addendi vel de eo prædicandi eſt facultas.

Caſſio Cælius Sabinus ſucceſſit] Non minimæ hic auctoritatis Juriſconſultus Longino ſucceſſit, qui ſub Veſpaſiano plurimum potuit, ob ſingularem juris civilis ſcientiam, qua præcellebat: quæ & in cauſa fuit, quod ſibi Othonis quoque voluntatem & benevolentiam conciliavit, ut qui Conſulatum & quidem bimeſtrem in eum contulit, ut Tacitus teſtatur *Hiſt. lib.* 1. *cap.* 77. *Cælio ac Flavio Sabinis, in Julios, Ario Antonino & Mario Celſo, in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem victor interceſſit.* Notandum, poſt bella civilia honores & Magiſtratus feſtinatos ac vulgatos, & interjecto tempore eo indignitatis prolapſos honores & Conſulatus, ut Commodo imperante in unum annum viginti quinque Conſules crearentur. Meminit noſtri Juriſconſulti quoque Gell. *lib.* 7. *cap.* 4. *Cum*, inquit, *pileatos ſervos venum ſolitos ire, quorum nomine venditor nihil præſtaret, Cælius Sabinus juriſperitus ſcriptum reliquit. Cujus rei cauſam eſſe ait, quod hujuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent, ut emtores errare & capi non poſſent.* Quæ verba videntur deſumpta ex libro, quem ſcripſit de Edicto Ædilium, cujus mentionem facit Gell. *lib.* 4. *cap.* 2. quoniam in eo de vendundis mancipiis tractare maxime ſubjectæ materiæ conſenta-

neum

neum eſt. Quam conjecturam a vero non alienam eſſe, confirmat Juriſconſultus Gajus *l.* 20. *ff. de Ædil. edict.* auctoritatem Cœlii Sabini allegans, in quæſtione *de redhibendo mancipio.* Notandum vero aliquando ſimpliciter Cœlium, nonnunquam etiam Cæcilium in Digeſtis appellari, interdum addito cognomine Sabino; quod ideo dictum volo, ne ſibi quis perſuaderet, de alio ſermonem habere Ulpianum in *l.* 1. *§.* 7. *ff. quando de pecul. act. annal.* & *l.* 17. *§.* 1. 6. 7. 8. 12. 13. 15. 16. & *l.* 38: *§.* 7. & 11. *ff. de Ædilit. edict.* Et Venulejum in *l. ult. §.* 2. *ff. eod.* & Papinianum, cum ejus quoque meminit in *l.* 72. *§.* 7. *ff. de cond. & demonſt.* addito nomine *Sabino.*

Pegaſus.] Proculum excepit Pegaſus tanquam ejuſdem diſciplinæ, cujus princeps Antiſtius Labeo erat, ſucceſſor & defenſor; floruit temporibus Cæſaris Veſpaſiani, ſub quo Conſul fuit, ſed ſuffectus cum Puſione, quando Senatuſconſultum, quod ab eo Pegaſianum nomen habet, conditum eſt, cujus meminit Juſtinianus Imperator *Inſt. de fideicom. hæred. §.* 5. *Sed quia*, inquit, *hæredes ſcripti, cum aut totam hæreditatem, aut pene totam plerumque reſtituere rogabantur, adire hæreditatem ob nullum vel minimum lucrum recuſabant, atque ob id extinguebantur fideicommiſſa: poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus Pegaſo & Puſione Conſulibus Senatus cenſuit, ut ei, qui rogatus eſſet hæreditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur.* Nec obſtat quod horum Conſulum nomina non inveniantur in Faſtis, quippe cum ſuffecti, non ordinarii Conſules erant, ideoque eorum nomina in Faſtos non fuiſſe relata, nihil eſt quod miremur. Quemadmodum nec in illis reperiuntur Trebellius Maximus & Annæus Seneca, de quibus Conſulibus idem ait Juſtinianus *Inſt. eod. §.* 4: cum inquit: *Et Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo & Annæo Seneca Conſulibus Senatuſconſultum factum eſt.* Quod Trebellianum a Conſule Trebellio dictum. Verum poſtea Juſtinianus Pegaſianum Senatuſconſultum in Trebellianum transfudit, ut inquit ipſe Imperator *§.* 7. *Inſt. eod.* ubi & rationem & cauſam hujus transfuſionis reddere Imperatori placuit, cum inquit: *Sed quia ſtipulationes ex Senatuſconſulto Pegaſiano deſcendentes, & ipſi antiquitati*

tati diſplicuerunt, & quibuſdam caſibus captioſas eas homo excelſi ingenii Papinianus appellat, & nobis in legibus magis ſimplicitas, quam difficultas placet, ideo omnibus nobis ſuggeſtis tam ſimilitudinibus, quam differentiis utriuſque Senatuſconſulti, placuit, exploſo Senatuſconſulto Pegaſiano, quod poſtea ſupervenit, omnem auctoritatem Trebelliano Senatuſconſulto præſtare, ut ex eo fideicommiſſariæ hæreditates reſtituantur. Eodem imperante Veſpaſiano Præfectus urbi fuit noſter Pegaſus, atque etiam ad Domitianum imperio devoluto, quod perſpicimus ex Juvenale Poeta *Sat.* 4. *verſ.* 77.

> *- - - Rapta properabat ab olla*
> *Pegaſus, attonitæ poſitus modo Villicus urb*
> *Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque*
> *Interpres legum ſanctiſſimus, omnia quanquam*
> *Temporibus diris tractanda putabat inermi*
> *Juſtitia.*

Villicus dubiam hic habet ſignificationem; vel enim pro cuſtode urbis ſumitur, quippe villicus proprie appellatur villæ gubernator, unde a villa villicus nomen habet. Hinc villicus dicitur ſervus (ut M. Cato & L. Columella tradunt) qui villam gubernat, aut præeſt pago, & totius rei ruſticæ curam habet. Villicus, ut ait M. Varro de *re ruſt.* primo agri colendi cauſa conſtitutus eſt, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur quum veniunt. Quare ita quoque interpretari Poëtæ mentem poſſumus, quaſi ſignificare vellet, Romam jam non eſſe urbem ſuis gaudentem commodis ac legibus, ſed villam eſſe, ejuſque Præfectum villicum, extraneum, ruſticum, non civem Romanum; quippe ob nimiam Neronis crudelitatem omnes honores & dignitates viluerant, nec licebat cuivis digne fungi officio. Ad hæc verba *Villicus urbi* Pithœus eleganter, ſub Nerone urbis præfecturam jacuiſſe dicit, quaſi ſcilicet urbs ipſa jam tum eſſet villa Principis & villico traderetur. Primam tamen ſignificationem cæteris præferrem, in qua occurrere videtur apud Cic. in Orat. pro *Cn. Planc. cap.* 62. ubi Magiſtratus, quaſi Reipub. villicos, id eſt cuſtodes, Præfectos, Magiſtros appel-

Digitized by Google

appellat, quando inquit: *Omnes enim iſtiuſmodi artes in iis reprehenduntur, qui cum profeſſi fuerint, ſatisfacere non poſſunt: non in his, qui abfuiſſe ab iſtis ſtudiis confitentur, virtus, probitas, integritas, in candidato non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet. Nos in mancipiis parandis quamvis frugi hominem, ſi pro fabro aut pro textore emimus, ferre moleſte ſolemus, ſi eas artes, quas in emendo ſequuti ſumus, forte neſciverit. Sin autem quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo niſi frugalitatem, laborem, vigilantiam eſſe curamus. Sic Populus Rom. deligit Magiſtratus, quaſi Reipub. villicos: in quibus ſi qua præterea eſt ars, facile patitur: ſin minus, virtute eorum & innocentia contentus eſt.* De ſcriptis ejus nihil certi conſtat, citatur aliquoties in Digeſtis a Juriſconſultis, ut ab Ulpiano in *l.* 7. *§.* 1. *ff. de Senat.* & ab eodem in *l.* 41. *ff. de acquir. rer. dom.* ſic etiam a Pomponio, Gajo, Papiniano, Paulo, aliiſque juris auctoribus.

Priſcus Javolenus] Cœlio Sabino *Priſcus Javolenus* ſive Jabolenus ſucceſſit, ut Pegaſo *Celſus*, ſcil. in eadem tradenda & explicanda juris diſciplina; floruit autem temporibus Hadriani Trajanique, atque ad Antonini Pii imperium perveniſſe Rutilius & Bertrandus ex quodam Capitolini loco *in Antonini vita* colligunt, cum inquit, Antoninum Pium *multa de jure ſanxiſſe, uſumque fuiſſe Juriſperitis, Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello & Jaboleno.* Verum autumat Gulielm. Grotius, Capitolinum de alio Jaboleno, quam de noſtro, fortaſſe de ejus filio, ſermonem habere; vix enim credibile putat noſtrum, quem ſcribit Plinius *lib.* 6. *epiſt.* 15. dubiæ ſanitatis fuiſſe, per totum imperium Hadriani viginti & amplius annis ea vixiſſe valetudine, ut ſucceſſori ejus conſilia præbere capax fuerit, ut ex dicto Capitolini loco perſpicimus. Functum hunc noſtrum in Africa & Syria Proconſulatu, colligit Bertrandus ex *l.* 5. *ff. de manumiſ. vind.* Ubi ita Julianus: *An apud ſe manumittere poſſit is, qui conſilium præbeat, ſæpe quæſitum eſt? Ego cum meminiſſem Javolenum præceptorem meum, & in Africa & in Syria ſervos ſuos manumiſiſſe, cum conſilium præberet, exemplum ejus ſecutus, & in Prætura & Conſulatu meo quoſdam ex ſervis meis vindicta*

liberavi , & quibuſdam Prætoribus conſulentibus idem ſuaſi. Ex quibus conſtat, inquit, Jabolenum Magiſtratum in Africa & Syria geſſiſſe; cum tantum hi, qui Magiſtratum gererent, conſilium præbere poſſent manumittere volentibus, & ſervos manumittere, vid. *l. 2. ff. de offic. ejus cui mand.* Præterea comparationem inſtituit Julianus, quaſi dicere vellet, ſe iiſdem fungentem Magiſtratibus, quos præceptor ſuus Javolenus geſſerat, ejus exemplum ſecutum idem feciſſe, ſcil. & conſilium præbuiſſe, & ſervos ſuos manumiſiſſe: quippe cum manumiſſio majoribus tantum competebat Magiſtratibus, non poterat Julianus hic allegare exemplum Javoleni, quod imitandum ſibi propoſuerat, niſi & ipſe majorem geſſiſſet Magiſtratum. Unde Gloſſa quoque annotat ad dictam legem, Javolenum iiſdem functum fuiſſe Magiſtratibus, quos ſe geſſiſſe Julianus tradit, id eſt, & Prætorem & Conſulem fuiſſe. Ex eadem lege conſtat, Juriſconſulto noſtro Julianum præceptore uſum fuiſſe, poſtea vero dubiæ ſanitatis fuiſſe, & ut nonnulli volunt, vix mentis compotem, ex ſupra dicta Plinii epiſtola. Cum enim Paſſienus Paulus elegos recitaret, & ita cœpiſſet dicere, *Priſce Jubes. Ad hoc Javolenus Priſcus, (aderat enim ut Paulo amiciſſimus) ego vero, non jubeo, Cogita qui riſus hominum, qui joci, eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis : intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam jus civile reſpondet: quo magis quod tunc fecit, & ridiculum & notabile fuit.* Scriptis claruit plurimis, extant ejus quindecim libri ex Caſſio, quorum paſſim in legibus fit mentio; ex decimo quinto deſumpta *l. 114. ff. de verb. ſig. Epiſtolarum* libros quatuordecim conſcripſit. Et ex quartodecimo deſumpta lex *l. 56. ff. de cond. & demonſt.* Ad Plautum quinque compoſuit, ex quinto deſcripta lex 83: *ff. de V. S.* In Epitomen quoque redegit Labeonis poſteriores libros, ut conſtat ex indice Juſtinianeo, & multis inſcriptionibus: imo & notas ad eos ſcripſiſſe, videtur colligi poſſe ex *l. 42. ff. de liberal. cauſ.*

Pegaſo, Celſus Pater, Celſo Patri Celſus Filius.] Floruit hic Celſus pater temporibus Trajani, a quo tanto in honore habitus eſt, ut ei ſtatuam erexerit. Celſus filius patris meminit in *l. 29 ff. de legat. 2.* cumque in conſilio Duceni Veri

Con-

Conſulis fuiſſe refert, atque reſponſum patris de ejuſmodi quæſtione in dicto conſilio propoſita memorat, ut, cum Otacilius Catulus, filia ex aſſe hærede inſtituta, liberto ducenta legaſſet, petiiſſetque ab eo, ut ea concubinæ ipſius daret, & libertus vivo teſtatore deceſſiſſet: & quod ei relictum erat, apud filiam remanſiſſet: quærebatur an filia id fideicommiſſum retinere poſſet, an concubinæ, cui relictum erat, reddere teneretur? & reſpondit Celſus, filiam cogi poſſe, ut præſtet fideicommiſſum concubinæ, atque itum in ſententiam ſuam. Ejus quoque meminit Ulpianus in *l.* 3. *§.* 7. *ff. cond. cauſ. dat.* ubi & ſententiam atque reſponſum ejuſdem quoque refert. Hujus filius dictus fuit *P. Juventius Celſus*, ob ſummam in jure ſcientiam clarus. Is, teſte Pomponio, bis Conſulatum geſſit, primum imperante Trajano adeptus, collegam habens, ut quidam ex Faſtis affirmare volunt, Criſpinum, anno 863. ſive 865. Caſſiodoro teſte. Verum obſervandum, ejus Celſi, cujus Caſſiodorus meminit, aliud fuiſſe prænomen, ideoque diverſum a noſtro, quod perſpicimus ex tabula Maphæorum ab Onuphrio prolata, quæ ita habet,

L. PUBLILIO CELSO II. C. CLODIO CRISPINO COSS. ID. APRIL.

Quæ inſcriptio eo magis de alio intelligenda videtur, quod in illa de II. ejus Conſulatu agatur, in quo collegam habuit *Q. Julium Balbum*, non vero *Criſpinum*. Præterquam quod & prænomine ab noſtro differt; fortaſſe idem ille, qui cum *Palma Pigrino* & *Luſio*, ſub imperio Adriani, Bajis, Senatu jubente, invito tamen Adriano, occiſus eſt, propter inſidias, quas Cæſari paraſſe dicebatur, Spartianus in *Adriano.* Fuit itaque noſter potius Conſul ſuffectus, quamobrem nulla in Faſtis primi Conſulatus mentio. Alterum Conſulatum geſſit ſub Hadriano, in quo, ut modo diximus, collegam habuit *Q. Julium Balbum*, ut ex inſcriptione veteris marmoris Romæ reperti refert Bertrandus, & ex Senatusconſulto iſtis temporibus facto conſtat: quod Senatusconſultum habemus in *l.* 20. *§.* 6. *ff. de hæred. petit.* ubi ita ſcriptum: *Pridie idus Martias*

tias Quintus Julius Balbus, *& Publius Juventius Celſus*, *Titius Aufidius*, *Oenus Severianus*, *Conſules &c.* Præter Conſulatum Præturam quoque geſſiſſe, auctor eſt Plin. *lib.* 6. *epiſt.* ubi contentionem Celſi cum Licinio Nepote deſcribit. Bertrandus præterea ex veteris marmoris inſcriptione, quam apud Rutilium & Briſſonium videmus, colligit, eum Antonini Imperatoris attigiſſe tempora, atque eum officio & munere Promagiſtri in libellis Imperatori oblatis ſubſcribendis functum fuiſſe. Adrianum vero Imperatorem Juventium in conſilio habuiſſe, teſtatur Spartianus *in ejus vita. Quum judicaret*, inquit, *in conſilio habuit non amicos ſuos aut Comites ſolum*, *ſed Juriſconſultos*, *& præcipue Julium Celſum*, *Salvium Julianum*, *Neratium Priſcum*, *alioſque*, *quos tamen Senatus omnes probaſſet.* Legendum autem pro Julio Juventium, ut viri docti ante nos annotarunt. Libros complures compoſuit. *Digeſtorum* enim libros ſcripſit 39. Ipſe meminit libri ſui 36. &. 37. *l.* 29. *&* 30. *ff. de legat.* 2. Præterea reliquit *Epiſtolarum* libros undecim, ut perſpicimus ex *l.* 3. *§.* 1. *ff. de minor. Commentariorum* quoque libros ſeptem, & *Quæſtionum* 19. compoſuit. Ulpianus enim meminit libri noni decimi quæſtionum, & commentariorum ſeptimi *l.* 19. *ff. de aur. argen. mund. leg.* Fuit autem æquitatis & veritatis ſummus cultor & amator, unde ex ejus ore illa juſtitiæ definitio, quod *jus ſit ars æqui & boni. l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* Imo adeo æquitatis obſervantiſſimus fuit, ut & patris ſui ſententiam tanquam ab æquitate alienam corrigere palam non veritus fuerit, ut conſtat ex *l.* 3. §. 7. *ff. de cond. cauſ. dat.* Ad eum quoque pertinent, quæ refert Paulus in *l.* 91. §. 3. *ff. de verb. oblig.* cum inquit: *Et Celſus adoleſcens ſcribit eum*, *qui moram fecit in ſolvendo Sticho*, *quem promiſerat*, *poſſe emendare eam moram poſtea offerendo: eſſe enim hanc quæſtionem de bono & æquo*, *in quo genere plerumque ſub auctoritate juris ſcientiæ pernicioſe erratur.* Imo & ipſum Senatum aliquando contra bonum & æquum aliquid ſtatuentem increpuiſſe, auctor eſt Plin. *lib.* 5. *epiſt.* Sane optandum eſſet, ut omnium, qui juri operam navant, & imprimis eorum, qui juſtitiam adminiſtrant, menti altius impreſſum eſſet illud axioma, *ſtricto juri æquitatem ſemper præferendam;* ſummum enim

jus

Digitized by Google

jus ſumma injuria, ut inquit Cicero, ἀκριβοδίκαιον appellat Ariſtoteles, id eſt, jus exactius duriuſque. *Leges res præclaræ ſunt: ſed qui eas accuratius, quam par eſt, intuetur, calumniator eſt.* Hinc apud Colum. *lib.* 1. *Nec ſane eſt nobis vindicandum quicquid licet. Nam ſummum jus antiqui ſummam putabant crucem.*

Priſcus Neratius.] Hic Celſi patris in jure diſciplinam, ſive velis Labeonis principis ejuſdem, doctrinam amplexus eſt. Virum animi dotibus præclarum, & juris imprimis ſcientia excellentem, ſub Trajano & Hadriano Imperatoribus floruiſſe perhibet Pomponius. Quanti eum exiſtimarit Trajanus, conſtare poteſt ex *l. fin. ff. ſi quis a parent. manumiſ.* ubi ejus potiſſimum conſilio Imperatorem uſum fuiſſe legimus. Imo adeo eum exiſtimavit, ut frequentem opinionem fuiſſe ſcribat Spartianus *in ejus vita*, Imperatori id animi fuiſſe, ut eum, non Adrianum, ſucceſſorem relinqueret, multis amicis in hoc conſentientibus, uſque eo, ut Priſco aliquando dixerit, *commendo tibi provincias, ſi quid mihi fatale contigerit.* Id ipſum tamen non alienavit Hadriani jam ſumma rerum potiti ab eo animum, verum & ejus quoque in adminiſtranda Repub. conſilio uſus eſt, eumque ſummo in honore habuit, atque eodem imperante Conſulatum geſſit, in quo collegam habuit Annium. Verum ut conſtat ex *l. 6. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* ubi inquit JCtus, *Is qui ſervum caſtrandum tradiderit, pro parte dimidia multatur ex Senatuſconſulto, quod Neratio Priſco & Annio Vero Coſſ. factum eſt.* Scripta hic noſter reliquit plurima. *Membranarum* libri extant 7. ut conſtat ex inſcriptione *l.* 18. *ff. de in rem verſo.* *Reſponſorum* libri 3. meminit libri primi Ulpianus in *l.* 3. *ff. de uſufr. accreſ.* *Regularum* libri quindecim. Ex libro tertio deſumpta eſt *l.* 2. *de confirm. tut.* ex quarto *l.* 2. *ff. de ſervit. ruſt. præd.* Ex quinto & ſexto *l.* 15. *ff. de acquir. rer. dom. l.* 40. *ff. de uſurp. & l.* 13. *ff. de acquir. rer. dom.* Ex decimo *l.* 118. *ff. de legat.* 1. Præterea *epiſtolarum* libros edidit quatuor. Quarti meminit Ulpianus *l.* 12. §. 43. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg. Denique Neratius lib.* 4. *Epiſtolarum Marcello fratri reſpondit. &c.* Fit quoque mentio epiſtolæ Neratii ad Ariſtonem in *l.* 19. §. 2 *ff. locat. cond.* Librum etiam de *nuptiis* ſcripſiſſe, teſtatur Gellius *lib.* 4. *cap.* 4. *in fine.*

Hæc

Digitized by Google

νομοθέτην, & fortaſſe eum Juſtinianus eadem de cauſa in indice, primum obtinere locum voluit, fuit cognomento Severus, origine Mediolanenſis, nobiliſſima oriundus familia, proavus Didii Juliani, ut refert Spartianus in ejus vita, cum inquit: *Didio Juliano, qui poſt Pertinacem imperium adeptus eſt, proavus fuit Salvius Julianus, bis Conſul, Præfectus urbi, & Juriſconſultus. Quod magis eum nobilem fecit.* Tanta in exiſtimatione ſemper habita fuit Juriſprudentia. Ipſe Conſulatus ſui, ſicut & Præturæ ſuæ meminit in *l.* 5. *ff. de manumiſ. vind.* Quo autem anno U. C. Conſulatum geſſerit, non ſatis conſtat: volunt nonnulli eum D. Pio imperante Conſulatu functum fuiſſe cum Torquato tertium, ut apud Caſſiod. in *Chron.* Ad tempora enim D. Pii vixiſſe, perſpicimus ex *l.* 18. *ff. quod met. cauſ.* ubi de Imperatore Tito Antonino ſermonem habet, quem tum temporis adhuc in vivis fuiſſe ex eo conſtat, quod Imperatorem eum appellat. Verum an primus hic fuerit ejus Conſulatus, quem ſub imperio D. Pii geſſit, dubitari poſſet, quippe, ut inquit Guielm. Grotius, non poſſum induci ut credam eum, cujus tanta ſub Hadriano fuit celebritas, tam ſero Conſulatum obtinuiſſe; potius itaque crediderim, ſuffectum ſub dicto Imperatore geſſiſſe honorem. Cujus & Conſiliarium fuiſſe ex ſupra allegato Spartiani in *vita Hadriani*, loco oſtendimus. Fuit autem diſcendi cupiditate adeo inflammatus, ut eam ſolam optimam vivendi rationem ducens, etiam agens annum octavum & ſeptuageſimum, memor ſemper fuerit ejus ſententiæ, quam dixiſſe fertur: *Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere. l.* 20. *ff. de fideicom. libert.* Non mirum itaque noſtrum Juriſconſultum ea diſcendi aviditate agitatum, tantos in juris civilis excolenda diſciplina feciſſe progreſſus, ut ſummæ auctoritatis Juriſconſultus evaſerit, ita ut in Conſilio ſemper eum habuerit Hadrianus, teſtante Spartiano, nomenque ejus magnæ ſemper apud antiquos commendationis fuerit. Hinc aliquando ab ipſis Imperatoribus *amicus, clariſſimus* vir appellatur. Sub Hadriano autem perpetuum Edictum compoſuit, egregium & tanto Juriſconſulto dignum, ſummæ juris ſcientiæ, qua præditus fuit, ſingulare argumentum, & ſpecimen; unde a Juſtiniano *legum &*

Edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor l. 2. §. 18. *Cod. de veter. jur. enucl.* & in *l.* 10. *Cod. de cond. indeb. ſummæ auctoritatis homo*, & *prætorii Edicti perpetui ordinator* dicitur. Et in *l.* 15. *Cod. de uſufr. ſummus juris ſcientiæ auctor*, & in *l.* 5. *Cod. de bon. quæ liber. tantæ exiſtimationis*, & *diſertiſſimus Juriſperitus*, in *Novell.* 87. *ſapientiſſimus* vocatur. Quantum autem laboris & ſtudii impenderit, ut ex tot ſparſis annuis Prætorum Edictis, perpetuum & nullis mutationibus obnoxium conderet Edictum, facile perſpicere poteſt, qui ad jus civile addiſcendum animum applicuit. Hiſce Prætorum Edictis, quæ Prætores initio Magiſtratus ſolebant proponere, admonebant cives, quomodo de ſingulis controverſiis jus dicturi eſſent in ſuo Magiſtratu, qui anno finiebatur: quamobrem a Cicerone annuas leges edicta vocari, diximus in prima noſtrarum exercitationum parte, ad §. 10. Cujuſmodi Edicta perpetua quidem vocantur, ſcil. reſpectu eorum, quæ, prout res incidit, quæ apud ipſos in jure agebatur, ponebantur. *d. l.* 7 *ff. de juriſd.* quorum in numero habetur Edictum peremptorium, cujus meminit Ulpianus in *l.* 68. *ff. de judic.* Ex hiſce Prætorum Edictis non tantum perpetuum quoddam Edictum compoſuit Julianus, verum etiam clauſulas quaſdam, quæ novæ dicuntur, de ſuo addidit, ut perſpicimus ex *l.* 3. *ff. de conjung. cum emancip. lib.* Quemadmodum & quædam eis detraxit, quæ neceſſaria vel forte non magis in uſu erant, quædam etiam immutavit. Tradit enim Gell. *lib.* 10. *cap.* 15. verba Prætoris Edicti perpetui de Flamine Diali & de Sacerdote Veſtæ in hunc modum concepta: SACERDOTEM. VESTALEM. ET. FLAMINEM. DIALEM. IN. OMNI. MEA. JURISDICTIONE. JURARE. NON. COGAM. Quæ hodie in Edicto perpetuo non habentur. Mutationis exemplum habemus in *l. ff. de commod.* ubi inquit Ulpianus, Ait Prætor: *Quod quis commodaſſe dicetur, de eo judicium dabo. Hujus Edicti interpretatio non eſt difficilis: unum ſolummodo notandum, quod qui Edictum concepit* (quæ verba ad Julianum pertinent, qui & ejus conditor quoque appellatur, ut mox annotavimus) *commodati fecit mentionem, cum Pacuvius utendi fecit mentionem.* Et in *l.* 1. *ff. quod met.*

Digitized by Google

met. cauſ. Ait Prætor: *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo.* Olim ita dicebatur: *Quod vi metuſve cauſa.* Quod autem ad ſcripta ejus attinet, ſunt ea multa & plurima. *Digeſtorum* libri, qui & *Edictorum* libri dicuntur, utpote in quibus late explicavit, quæ Edicto perpetuo continebantur, numerantur nonaginta, ut patet ex indice, vel ſi fidem habeamus inſcriptioni *l.* 31. *ff. de ll.* excrevit eorum numerus ad 93. ad quos Scævolam quaſdam notas ſcripſiſſe colligi poſſe videtur ex *l.* 10. *§.* 1. *ff. de peric. & commod. rei vend.* Scripſit etiam ad *Urſinum Ferocem* libros quatuor. Vid. *l.* 28. *ff. de act. emp. & vend. De ambiguitatibus* unum, ad *Minucium* libros ſex compoſuit, ut ex inſcriptione videre eſt *l.* 29. *ff. de act. emp. & vend. l.* 61. *ff. de rei. vind.* Ad Edictum quoque ſcripſiſſe conſtat ex *l.* 1. *ff. de hiſ. qui not. infam.* Meminerunt autem ejus in numeris in legibus omnes fere Juriſperiti. Atque ad eum ſcripſerunt notas, ut *Scævola* ex l. ſtatim allegata *ff. de peric. rei. commod rei. vend* itemque *Marcellus* & *Paulus l.* 16 *ff. de pecul.* & *l.* 4. *ff. de Reſcind. vend.* & *Mauricianus l.* 7. *§.* 2. *ff. de pact.* ut & *Africanus l.* 19. *ff. ad SC. Vellej.* Quoniam vero in ſummi hujus Juriſconſulti vitæ commemoratione, (quamquam & plurimi iique maximi viri memorantur in indice, quorum non meminit Jctus) ſubſiſtit hic Pomponius, cum ad ejus Hiſtoriam tantum commentati ſimus, & nobis hic finem imponendum arbitramur, ſi quis cæterorum Juriſconſultorum vitas & Hiſtoriam deſiderat, adeat *Bertrandum*, *Rutilium*, *Grotium*, & inſpiciat *Ælium Lamprid. Spartianum*, *Vopiſcum*, *Capitolinum*, aliosque ſcriptores, viros doctrina & eruditione florentes, & a nobis ſæpius laudatos, in quibus paſſim veterum Juriſconſultorum Hiſtoriam deſcriptam lector inveniet.

Digitized by Google

LIBRARIORUM MENDA.

Pag. 3.l. 11.leg. eam ipſis infligendo. p. 6 l. 12. leg. leges. l. 33. leg. Plaut. Curcul. 2. 3. 71. l. 36. leg. cujus. p. 10. l. 33. leg. juſtitiam. pag. 15. l. 14. leg. Cæcina. p. 16. l. 23. leg. aberrat, eſſe rectum. p. 18. l. 21. leg. & iis. l. 26. leg. duritiam lenitate. l. 31. leg. duritie. p. 20. l. 22. leg. Ariſtotelis l. 36. leg. omnique ut ambiguitate. p. 21. l. 4. leg. poſſint, quibus. p. 25. l. 20. leg. caſus qui. p. 26. l. 33. leg. & ſummum jus. p. 31. l. 14. leg. emendatio. p. 33. l. 16. leg. venerentur. p. 37. l. 7. leg. in bell. Jugurthin. l. 26. leg. ſumptum. p. 41. l. 32. leg. GRACILIS. l. 33. leg. TURBATO ORDINE p. 42. l. 1. leg. lib. 4. l. 15. leg. Hottomannus p. 43 l. 5. leg. pertinent. l. 11. leg. Phaleris. l. 21. leg. in juſtitiæ. p. 44. l. 3. leg. pertinent. p. 45. l. 11. leg. Hermotimo. p. 47. l. 4. leg. Satyr. IV. l. 6. leg. Act. 2. Scen. 7. l. 20. leg. Res Agamemnonias. p. 54. l. 21. leg. quas. p. 55. l. 21. leg. iis. p. 58. l. 5. leg. genti. p. 60. l. 7. leg. vocant. p. 65. l. 12. leg. ſuas. p. 66. l. 5. leg. quibus indidit. l. 9. leg. opificis l. 30. leg. tit. 1. Dig. p. 68. l. 14. videmur. l. 17. leg. lib. 4. l. 30. leg. apud quos. p. 72. l. 32. leg. ea præſtari reverentia atque honor. l. 34. leg. ea adhiberi cura l. 35. leg maritum, nec maritum uxorem, nec liberos parentes. l. 37. leg. amore mutuo. p. 73. l. 27. leg. alligetur. p 75. l. 28. leg. ipſi procreandi actus. p. 77. l. 8. leg. habendi p. 78. l. 1. leg. ipſam. l. 3. leg. amitteret, l. 8. leg. debeant. l. 79. l. 24. lege denegare. p. 80. l. 21. leg. medium. p. 81. l. 30. leg. ex nefario. p. 83. l. 13. leg. perſpiciamus. p 84. l. 1. leg. abhorruerit. l. 17. leg. Oedipus. l. 18. leg. gener. l. 19. leg. liberum l. ult. leg. ſoror. vocabere fratris. p. 85. l. 6. leg. fratres, matris. l. 25. leg. tollunt. l. 27. leg. evertunt. inducunt. p. 86. l. 28. leg. quemque p. 89. l. 23. leg. quam. p. 91. l. 5. leg. adimpleant. p. 93. l. 6. leg. ſit aliud animal. l. 33. leg. colere & venerari. p. 94. l. 11. leg. formam. l. 32. προληψιν l. 33. leg. quicquam, nec quæri, nec. p. 101. l. 6. leg. dominio & p. 102. l. 4. leg. promittenti. p. 104. l. 8. leg. quale cuique. l. 28. leg. hæc. p. 105. leg. quæ ſuam cuique. p. 107. l. 29. l. Tyaneus. l. 32. leg. omnibus, qui. p. 109. l. 1. Tejus Odor 2. l. 3. l. δ' ἰδὼν ἵππους. l. 22. leg. quam. p. 110. l. 26. leg. jure reſiſtit. l. 33. leg. capacia. p. 113. l. 19. leg. mutetur. l. 20. leg. degeneretur. p. 115. l. 2. leg. adhibendam. p. 118. l. 9. leg. injuria. p. 121. l. 1. leg. manumitti. p. 124. l. 7. leg vox. l. 9. leg. quando de pecul. act. annal. eſt. p. 125. l. 11. leg. [illegible] p. 127 l. 17. leg ingenium ſervitio aptum. l. 19. leg. patiantur. l. 21. leg. jus ſuit quæſitum, eandem vel invitus eripiendi p. 129. l. 11. leg contractu innominato. l. 17. leg. ad quas præſtandas & exequendas. p. 30. l. 8. leg. incolumitati In Fr. Heſſelii carmine pro, Heſperi leg. Heſperii.

Si qua plura menda irrepſerint, lectori corrigenda relinquimus.

NJ 1
131830

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google